 15 extima ne noctu quidem diurnum sidus ocellitur, ita ut
 continui solis presencia alternos horarum dedita successus
 utriusque tempori pari luminis administracione de-
 seruiat.

Ab huius latere occidentali insula, que Glacialis
 20 dicitur, magno circunfusa reperitur Oceano, obsolete ad
 modum habitationis tellus, rerumque ueri fidem excedencium p. 14
 et insolitorum euentuum miraculis predicanda. Illie fons
 est, qui fumigantis aque uicio natuam rei cuiuslibet ori-
 genem demolitur. Sane quiequid fumi huius exhalacione
 25 respergitur, in lapidee nature duriciam transmutatur. Que
 res mirabilior an periculosior existat, in dubio positum
 constat, cum fluidam aque teneritudinem tantus obsideat
 rigor, ut admotum quidlibet fumidoque eius uapore per-
 fusum in lapidis proprietatem, forma duntaxat superstite,
 30 subita conuersione transmutet. Ibidemque complures alii
 latices referuntur, qui modo crescentis limphe copiis ad-
 aucti plenisque exundantes alueis crebras in sublime guttas
 iaciunt, modo torpentibus scatebris uix ab imo conspecti
 profundis subduccioris terre latibulis absorbentur. Quo fit,
 35 ut exuberantes proxima queque || spumarum candore con-
 spergant, exinaniti nullo uisu ingenio capiantur. In hac
 itidem insula mons est, qui rupem | sidream perpetue p. 15
 flagracionis estibus imitatus, incendia sempiterna iugi flam-
 marum eructacione continuat. Cuius rei ammiracio supra-
 40 dictis equatur, cum tellus extremis subiecta frigoribus tanti

caloris fomentis exuberet, ut ignium perennitatem arcanis instruat nutrimentis, eternumque fouendis ardoribus prebeat incentiu[m]. Huic eciam insule certis statutisque temporibus infinita glaciei aduoluitur moles: que cum aduentans scabris primum cautibus illidi ceperit, perinde ac remugientibus scopulis fragose ex alto uoces ac uarii inusitate conclamacionis strepitus audiuntur. Quamobrem animas ob nocentis uite culpam suppliciis addictas illic algoris p. 16 magnitudine delictorum pendere penas existimat[ur] est.

10 Huius itaque molis excisa particula, quantiscunque nodorum condulis obseretur, mox ut supradicta glacies terris auelitur, claustra custodiamque frustratur. Stupet animus ammiracione plenus, dum res inextricabilibus seris obsita ac multiplici impedimentorum perplexione conclusa, sic molis, 15 cuius pars erat, discessum insequitur, ut omnem obseruacionis diligenciam ineuitabilis fuge necessitate decipiat. Est et illic aliud glaciei genus, moncium iugis ac rupibus intersertum, quod certis uicibus constat, superioribus ad imadeiectis infimisque rursum ad superna reflexis, uersili quadam mutacione transponi. In cuius assertio[n]is fidem afferatur, quod quidam, | dum planum forte glaciale percurrenter, p. 17 in obiectas uoragine[s], hiancumque rimarum penita prouoluti, paulo post exanimes fuerint, nulla glaciei rimula superstante, reperti. Quamobrem a compluribus existimari 20 solet, quod, quos funde glacialis urna desorbuit, eosdem post modum supinata reddiderit. Illuc eciam fama est pestilentis unde laticem scaturire, quo quis gustato perinde ac ueneno prosternitur. Sunt et alii fontes, quorum scatebra cerealis poculi proprietatem imitari perhibetur. Sunt 25 et ignes, qui cum li[g]num consumere nequeant,* aque IIIa molliciem depascuntur. Est et saxum, quod moncium prerupta non extrinseca agitacione, sed propria natuaque mocione peruolitat.

Et ut paulo alcius Noruagie descripcio replicetur, 35 sciendum, quod ab ortu Suetie Gothicique contermina aquis utrinque secus | Oceani uicinantis includitur. Eadem a septentrione regionem ignoti situs ac nominis intuetur, humani cultus expertem, sed monstrouse nouitatis populis abundantem, quam ab aduersis Noruagie partibus interflua 40 pelagi separauit immensitas. Quod cum incerte nauigacionis

existat, perpaucis eam ingredientibus salutarem redditum tribuit.

Ceterum Oceani superior flexus, Daniam intersecando pretermeans, australem Gothie plagam sinu laxiore contingit; inferior uero meatus, eius Noruagieque latus septentrionale preteriens, ad ortum uersus, magno cum latitudinis incremento, solido limitatur anfractu. Quem maris terminum gentis nostre ueteres G[r]anduicum dixere. Igitur inter G[r]anduicum et meridianum pelagus breve continentis spacium patet, maria utrinque secus allapsa prospectans: quod nisi rerum natura limitis loco congressis pene fluctibus obiecisset: Suetiam Noruagiamque confui fretorum estus in insulam redegissent. Harum ortiuas partes Skricfinni incolunt. Que gens, inusitatis assueta uehieulis, | moncium inaccessa uenacionis ardore sectatur, p. 19 locorumque complacitas sedes dispendio lubrice flexionis assequitur. Neque enim ulla adeo rupes prominet, quin ad eius fastigium callida cursus ambage perueniat. Primo siquidem uallium profunda relinquens, scopulorum radices tortuosa giracione perlabitur, sicque meatum crebre declinationis obliquitate perfectit, donec per sinuosos callium anfractus destinatum loci cacumen exsuperet. Eadem apud finitimos mercium loco quorundam animalium pellibus uti consuevit.

Suetia uero Daniam ab occasu Noruagiamque respiciens, a meridie et multa orientis parte uicino preterritur Oceano. Post quam ab ortu quoque multiplex diuersitatibus barbarice consercio reperitur.

Danicam uero regionem giganteo quondam cultu exercitam eximie magnitudinis saxa ueterum bustis ac specubus affixa | testantur. Quod si quis ui monstrosa p. 20 patratum ambigat, quorundam moncium excelsa suspiciat, dicatque, si callet, quis eorum uerticibus cautes tante granditatis inuixerit. Inopinabile namque quiuis miraculi huius estimator aduertet, ut molem super plano minime uel difficile mobilem in tantum montane sublimitatis apicem simplex mortalitatis labor aut usitatus humani roboris conatus extulerit. Vtrum uero talium rerum auctores post diluuialis inundacionis excusum gigantes extiterint, an uiri corporis uiribus ante alios prediti, parum noticie tra-

ditum. Talibus, ut nostri autumant, subitam mirandamque nunc propinquitatis, nunc absencie potestatem, comparendique ac subterlabendi uicissitudinem uersilis corporum status indulget, qui hodieque scrupeam inaccessamque solitudinem, cuius supra mencionem fecimus, incolere perhibentur.⁵ Eiusdem aditus, horrendi generis periculis obsitus, raro sui expertoribus incolumentate regressumque concessit. Nunc stilum ad propositum transferam.

FINIS PREFACIONIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIE DANICE
LIBER PRIMVS.

III^b (5)
p. 21

Dan igitur et Angul, a quibus Danorum cepit origo,
5 patre Humblo procreati, non solum conditores gentis nostre,
uerum eciam rectores fuere. Quanquam Dudo, rerum
Aquitanicarum scriptor, Danos a Danais ortos nuncupatos-
que recenseat. Hi licet fauentibus patrie uotis regni do-
minio potirentur, rerumque summam ob egregia fortitudinis
10 merita assentientibus ciuium suffragiis obtinerent, regii
tamen nominis expertes degebant, cuius usum nulla tunc
temporis apud nostros consuetudinum frequentabat au-
ctoritas.

Ex quibus Angul, a quo gentis Anglice principia p. 22
15 manasse memorie proditum est, nomen suum prouincie,
cui preerat, aptandum curauit, leui monumenti genere
perennem sui noticiam traditurus. Cuius successores post
modum Britannia potiti priscum insule nomen nouo patrie
sue uocabulo permutarunt. Magni id factum a ueteribus
20 estimatum. Testis est Beda (*hist. eccl. I 15 sqq.*), non
minima pars diuini stili, qui in Anglia ortus, sanctissimis
suorum uoluminum thesauris res patrias sociare cure habuit,
eque ad religionem pertinere iudicans, patrie facta literis
illustrare et res diuinias conscribere.

25 Verum a Dan (ut fert antiquitas) regum nostrorum
stemma, ceu quodam deriuata principio, splendido suc-
cessionis ordine profluxerunt. Huic filii Humblus et Lo-
therus fuere, ex Grytha, summe inter Teutones dignitatis
matrona, suscepti.

30 Lecturi regem ueteres affixis humo saxis insistere,
suffragiaque promere consueuerant, subiectorum lapidum

firmitate facti constanciam ominaturi. Quo ritu Humblus,
 decedente patre, nouo patrie beneficio rex creatus, sequentis
 fortune malignitate ex rege priuatus euasit. Bello siquidem
 a Lothero captus, regni deposicione spiritum mercatus est;
⁵ hec sola quippe uicto salutis condicio reddebatur. Ita
 fraternis iniuriis imperium abdicare coactus, documentum
 hominibus prebuit, ut plus splendoris, ita minus securi-
 tatis aulis quam tuguriis inesse. Ceterum iniurie tam
 paciens fuit, ut honoris damno tanquam beneficio gratulari
^{p. 23}
¹⁰ crederetur; sagaciter, ut puto, regie condicionis habitum
 contemplatus. Sed nec Lotherus tolerabiliorem regem
 quam militem egit, ut prorsus insolencia ac scelere regnum
 auspicari uideretur; siquidem illustrissimum quemque uita
¹⁵ aut opibus spoliare, patriamque bonis ciuibus uacuefacere
 probitatis loco duxit, regni emulos ratus, quos nobilitate
 pares habuerat. Nec diu scelerum impunitus, patrie con-
 sternacione perimitur, eadem spiritum eripiente, que regnum
 largita fuerat.

Cuius filius Scioldus naturam ab ipso, non mores sor-
²⁰ titus, per summam tenerioris etatis industriad cuneta paterne
 contagionis uestigia ingeniti[s] erroris deuio preteribat. Igitur
 ut a paternis uiciis prudenter descivit, ita auitis nirtutibus
 feliciter respondit, remociorem pariter ac prestanciorem here-
 ditarii moris porcionem amplexus. Huius adolescencia inter
²⁵ paternos uenatores immanis belue subaccione insignis exti-
 tit, mirandoque rei euentu future eius fortitudinis habitum
 ominata est. *Nam cum a tutoribus forte, quorum summo
 studio educabatur, inspectande uenacionis licenciam impe-
 trasset, obuium sibi insolite granditatis ursum, telo uacuus,
³⁰ cingulo, cuius usum habebat, religandum curauit, necan-
 dumque comitibus prebuit. Sed et complures spellctate ⁽⁶⁾
 fortitudinis pugiles per idem tempus uirilim ab eo superati
^{p. 24}
 produntur, e quibus Attalus et Scatus clari illustresque
 fuere. Quindecim annos natus, inusitato corporis incre-
³⁵ mento perfectissimum humani roboris specimen preferebat,
 tantaque indolis eius experimenta fuere, ut ab ipso ceteri
 Danorum reges communi quodam uocabulo Scioldungi
 nuncuparentur. [Idem perditam et eneruam uitam agentes
⁴⁰ continenciamque luxu labefacere solitos, ad capessendam
 uirtutem rerum agitacione sedulus excitabat.]

Precurrebat igitur Scioldus uirium complementum animi maturitate, conflictusque gessit, quorum uix spectator ob teneritudinem esse poterat. In quo annorum uirtutisque procursu, ob Aluildam Saxonum regis filiam, quam summe puleritudinis intuitu postulabat, cum Seato, Allemannie satrapa, eiusdem puelle competitore, Teutonum Danorumque exercitu inspectante, ex prouocacione dimicauit: imperfectoqe eo omnem Allemannorum gentem, perinde ac ducis sui interitu debellatam, tributaria pensione perdomuit. Hic non armis modo, uerum eciam patrie caritate conspicuus extitit. Siquidem impias leges abrogauit, salutares tulit, et quicquid ad emendandum patrie statum attinuit, summa diligencia prestit. Sed et regnum, patris improbitate amissum, uirtute recuperauit. Primus rescindendarum manumissionum legem edidit. Serui, | quem forte p. 25 libertate donauerat, clandestinis insidiis petitus acrem penam exegit, tanquam in omnium libertorum penam unius crimen redundare par esset. Omnium es alienum ex fisco suo soluebat, et quasi cum aliorum regum fortitudine, munificencia ac liberalitate certabat. Egros fomentis prosequi, remediaque grauiter affectis benignius exhibere solebat, se non sui, sed patrie curam suscepisse testatus. Proceres non solum domesticis stipendiis colebat, sed eciam spoliis ex hoste quesitis, affirmare solitus, pecuniam ad milites, gloria ad ducem redundare debere.

Puellam, cuius amore conflixerat, acerrimo nupciarum emulo liberatus, in pugne premium recepit, eamque sibi matrimonio copulauit. Ex qua paruo post tempore Gram filium sustulit. Cuius mirifica indoles ita paternas uirtutes redoluit, ut prorsus per earum uestigia decurrere putaretur. Corporis animique prestantissimis dotibus preditam adolescenciam ad summum glorie cumulum perduxit, tantumque magnitudini eius a posteris tributum est, ut in uetustissimis Danorum carminibus ipsius uocabulo regia nobilitas censeatur. Quicquid ad firmandas acuendasque uires attinet, acerrima ingenii ex[c]ercitacione tractabat. A gladiatoribus uitandi inferendique ictus consuetudinem studioso exercitii genere contrahebat. Educatoris sui Roari filiam, coeuam sibi collacteamque, quo maiorem incunabulis 40 graciam referret, uxorem adciuit, quam post modum Besso

cuidam, quod eius strenua opera sepe numero usus fuerat, mercedis loco coniugem donauit. Quo bellicorum operum socio fretus, plus glorie sua an Bessi uirtute contracserit, incertum reliquit.

Hic cum forte Sueonum regis Sigtrugi filiam, Gro, gigantum cuidam desponsam cognosset, tam indignam regio sanguine copulam execratus bellum Suethicum auspicatur, Herculee uirtutis exemplo monstrorum nisibus obstaturus. Initia Gothia, cum deturbandorum obuiorum gracia caprinis 10 tergoribus amictus incederet, ac uariis ferarum pellibus circumcaetus orrificumque dextra gestamen complexus giganteas simularer exuuias, | ipsam Gro, siluestres forte latices ^{p. 27} cum paucis ad modum pedissequis lauandi gracia petentem, equo obuiam habuit. Que sponsum* occurrisse rata, simul- *IIIIB
15 que tam insoliti cultus horrore muliebriter territa, succussis frenis, maxima cum tocius corporis trepidacione, patrio carmine sic cepit:

Conspicor inuisum regi uenisse gigantem,
Et gressu medias obtenebrare uias:
Aut oculis fallor. Nam tegmine sepe ferino
Contigit audace delituisse uiros.

Tum Bessus sic orsus:

(7)

Virgo, caballi
Que premis armos.
Verba uicissim
Mutua fundens,
Quod tibi nomen,
Qua fueris, dic,
Gente creata?

Ad hec Gro:

Gro michi nomen,
Rex pater exstat,
Sanguine fulgens,
Fulgidus armis.
Tu quoque, qui sis,
Aut satus unde,
Promito nobis.

Cui Bessus:

5
 Bessus ego sum,
 Fortis in armis,
 Trux inimicis,
 Gentibus horror,
 Atque alieno
 Sepe refundens
 Sanguine dextram.

Tum Gro:

10
 Quis, rogo, uestrum
 Dirigit agmen?
 Quo duce signa
 Bellica fertis?
 Quis moderatur
 15
 Prelia princeps?
 Quoue paratur
 Prestite bellum?

Contra sic Bessus:

20
 Gram regit agmen
 Marte beatus,
 Quem metus aut uis
 Flectere nescit;
 Nec rogus ardens
 25
 Nec ferus ensis
 Aut maris umquam
 Terruit estus.
 Hoc duce belli
 Signa leuamus
 Aurea, uirgo.

p. 28

30
 Rursum Gro:
 Hinc remeantes
 Vertite cursum,
 Ne proprio uos
 Opprimat omnes
 35
 Agmine Sigtrug,
 Inque feroci
 Stipite figat

Illaqueato⟨s⟩
Guttura nexu,
Detque rigenti
Corpora nodo,
Ac male toruus
Trudat edaci
Funera coruo.

Iterum Bessus:

Gram prior illum
Manibus addet
Ac dabit orco,
Quam sua fatis
Lumina claudat,
Inque pauenda,
Vertice plexum,
Tartara mittet.
Nulla Sueonum
Castra timemus.
Quid minitaris,
Tristia nobis
Funera, uirgo ?

Ad quem Gro:

En ferar istinc
Nota reuisens
Tecta parentis,
Ne uenientis
Conspicer audax
Agmina fratris.
Vos remanentes
Vltima queso
Fata morentur.

Ad quam Bessus:

Leta reuise
Nata parentem;
Nec cita nobis
Fata precare,
Nec tua bilis

5

10

15

20

25

30

35

Pectora pulset.
Namque petenti
Aspera primum
Difficilisque,
5 Sepe secundo
Femina cedit.

p. 29

Post hec Gram, horrende monstrosequē uocis habi-
tum trucioris soni modulis emulatus, silenciique diuturnioris
inpaciens, talibus uirginem dictis aggreditur:

- 10 Ne timeat rapidi germanum uirgo gigantis:
Me neque contiguum palleat esse sibi.
A Grip missus enim, numquam, nisi compare uoto,
Fulera puellarum concubitumque peto.

Cui Gro :

- 15 Que sensus exors scortum uelit esse gigantum?
Aut que monstriferum possit amare thorū?
Que coniunx fore demonum
Possit, monstrigeni conscientia seminis?
Suumque giganti fero
20 Consociare uelit cubile?
Quis spina digitos fouet?
Quis syncera luto misceat oscula?
Quis membra iungat hispida
Leuibus impariter locatis?
25 Cum natura reclamitat,
Haud plenum Veneris carpitur ociū:
Nec congruit monstris amor
Femineo celebratus usu.

p. 30

Gram contra :

V.a

- 30 Regum colla potentium
Victrici tocies perdomui manu,
Fastus [r]eorum turgidos
Exuperans pociore dextra.

Hinc aurum rutilans cape,
35 Quo perpes maneat paccio munere,
Ac firma consistat fides,
Coniugiis adhibenda nostris.

Quo dicto, discussis laruis, natuum oris decorem confessus, tantum pene uoluptatis uno sui aspectu puelle attulit, quantum adulterino terroris incussit; quam eciam forme sue luculencia ad concubitum prouocatam, amatoriis 5 donis prosequi non omisit. Progressus ex obuiis cognoscit, binis callem latronibus obsideri. Quos ad se spoliandum cupidius prouentes, solo exanimauit impulsu. Quo facto, ne ullum hostili solo beneficium attulisse uideretur, peremptorum corpora subiectis affixa stipitibus simulata pedum 10 ereccione distendit; ut, quibus re nocuerant uiui, specie minarentur extincti; post fata quoque formidabiles forent, nec iter imagine minus, quam opere propredirent. Quamobrem constat eum latrones interimendo sibi, non Suetie, consulere studuisse, cuius quanto odio teneretur, tam in 15 signis facti indicio patefecit. Qui cum ab aruspiciis accepisset, nisi auro Sigtrugum superari non posse, continuo lignee clae nexilem auri nodum adiecit, eaque bello, quo regem aggrediebatur, instructus uoti se compotem fecit. Quod factum Bessus impensiori laudacionis genere pro 20 secutus sic cecinit:

Gram ferus clae gerulus beate,
Nescius ferri, celebrabat ictu
Ensis obtentum, pepulitque truncu
Tela potentis.

25 Fata sectatus superumque mentem,
Sueonum pressit decus impotentum,
Dum neci regem dedit et rigenti
Contudit auro.

30 Namque pugnaces meditatus artes,
Robur amplexu rutilum grecbat,
Et ducem uictor nitido supinum
Verbere torsit.

35 Fata quem ferro perimi uetabant,
Aureo prudens domuit rigore,
Ense dum cassus pociore gessit
Bella metallo.

Clarius post hoc agathum manebit
 Agnatum late meliore fama,
 Cui suus laudem decorisque culmen,
 Arrogat auctor.

p. 32

5 Occiso Suetie rege Sigtrugo, Gram quesitum armis
 imperium possessione firmare cupiens, Suarinum Gothie
 prefectum ob affectati regni suspicionem in pugne certamen
 deuocatum oppressit, fratresque eius septem matrimonio,
 nouem pellice procreatos, impari dimicacionis genere, fra-
 10 terne necis ulcionem petentes, absumpsit.

Hunc pater, ultime iam etatis, ob res egregie gestas
 imperii consorcione donauit, regnique summam cum sanguine
 suo communicare, quam in occidue uite statu sine parti-
 cipe gerere tum utilius, tum eciam com*modius duxit. Vb

15 Igitur cum Ringo, splendido Sialandie loco natus,
 alterum ex his honori intempestium, alterum iam uirum
 cursu defunctum putaret, infirmam utriusque etatem cau-
 satus, nouarum rerum studio maiorem Danorum partem
 sollicitat; hunc puerilis, illum senilis animi deliramento
 20 regie potestati inhabilem protestando. A quibus bello ob-
 tritus documento hominibus fuit, nullam etatis partem
 uirtuti incongruam existimari debere.

Alia quoque complura Gram regis facinora fuere. p. 33
 Aduersus Sumblum Phinnorum regem bellum professus,
 25 ad aspectum filie eius Signes depositis armis, ex hoste
 procus euasit, eamque promisso coniugis sue repudio
 pactus despondit. Quam cum, bello Noruagico, quod
 aduersum Swibdagerum regem ob sororis filieque stuprum
 suscepérat, ad modum occupatus, Saxonie regi || Henrico (9)
 30 Sumbli perfidia in matrimonium promissam nuncio didicisset,
 propior uirginis, quam militum caritati, relicto exercitu
 tacitus in Phinniam contendit, inchoatisque iam nupciis
 superueniens, extreme uilitatis ueste sumpta, despicibili
 sedendi loco discubuit. Rogatus quidnam afferret, medendi
 35 solertia profitetur. Ad postremum, omnibus ebrietate ma-
 dentibus, puellam intuens, mediis perstreptenis conuiuui
 gaudiis per summam feminee leuitatis execrationem maxi-
 mamque uirtutum suarum gloriacionem, indignacionis magni-
 tudinem huiusmodi carmine patefecit:

Solus in octo pariter spicula mortis egi,
 Atque nouenos gladio corripui reducto,
 Quando Suarinum ex anima ui, titulis abusum
 Nec meritum conciliantem sibi nomen: unde
 Sepe cruentum nece ferrum madidumque cede
 Sanguine tinxi peregrino, timuique numquam
 Ad crepitus ensiculi, uel galee nitorem.
 Nunc male me proiiciens fert aliena uota
 Filia Sumbli fera Signe, uetus execrata
 Fedus, et incompositum concipiens amorem,
 Feminee dat leuitatis facinus notandum,
 Que proceres illaqueat, pellicit, atque fedat,
 Ante alias ingenuos precipue refellens,
 Nec stabilis permanet ulli, titubatque semper,
 Ancipites parturientis, diuiduosque motus.

p. 34

10
 Et cum dicto discubitu euolans Henricum inter sacra
 mense et amicorum complexus obtruncat, sponsamque
 mediis abstractam pronubis, magna coniuuarum parte pro-
 strata, secum nauigio deportat. Igitur nupeiis in exequias
 20 uersis, doceri Finni potuerunt, alienis amoribus manus
 iniici non oportere.

His gestis, a rege Noruagie Swibdagero, dum stuprate
 sororis iniuriam ac lacessitam filie pudiciciam ulcisci cona-
 tur, opprimitur. Hoc prelum Saxoni*ci*s insigne copiis
 25 fuit, quas ad auxilia Swibdagero ferenda non tam ipsius
 caritas, quam Henriciane ulcionis cupiditas prouocabat.

Fili Gram, Guthormus et Hadingus, quorum alterum
 Gro, alterum Signe enixa est, Swibdagero Daniam obti-
 nente, per educatorem suum Brache naue Suetiam de-
 30 portati, Vagnophto et Haphlio gigantibus non solum alendi,
 uerum eciam defensandi traduntur.

Quorum summatim opera perstricturus, ne publice
 existimacioni contraria aut ueri fidem excedencia fidenter
 astruere uidear, nosse opere precium est, triplex quondam
 35 mathematicorum genus inauditi generis miracula discretis
 exercuisse prestigiis.

Horum primi fuere monstrosi *generis uiri, quos
 gigantes antiquitas nominauit, humane magnitudinis habitum
 eximia corporum granditate uincentes.

p. 35
VIa

Secundi post hos, primam physiculandi solerciam obtinentes, artem possedere Phitonicam. Qui quantum superioribus habitu cessere corporeo, tantum uiuaci mentis ingenio prestiterunt. Hos inter gigantesque de rerum summa bellis certabatur assiduis, quoad magi uictores giganteum armis genus subigerent, sibique non solum regnandi ius, uerum eciam diuinitatis opinionem consicserent. Horum utrique per summam ludificandorum oculorum periciam, proprios alienosque uultus, uariis rerum imaginibus adumbrare callebant, illicibusque formis ueros obscurare conspectus.

Tercii uero generis homines, ex alterna superiorum copula pullulantes, auctorum suorum nature, nec corporum magnitudine nec arcium exercicio respondebant. His tamen apud delusas prestigiis mentes diuinitatis accessit opinio.

Nec mirandum, si prodigalibus eorum portentis ad- (10) ducta barbaries in adulterine religionis cultum concesserit, cum Latinorum quoque prudenciam perlexerit talium quorundam diuinis honoribus celebrata mortalitas. Hec idcirco tetigerim, ne, cum prestigia portentaue perscripsero, lectoris incredula refragetur opinio. His pretermisis, propositum repetam.

Occiso Gram, Swibdagerus, Danie Suetieque imperiis auctus, fratrem coniugis Guthormum, eadem sepius flagi- p. 36
25 tante, exilio abductum, tributaque pollicitum, Danis prefecit, Hadingo patris ulcionem hostis beneficio preferente.

Hic primis adolescencie temporibus felicissimis nature incrementis summam uirilis etatis perfectionem sortitus, omisso uoluptatis studio, continua armorum meditacione flagrabat, memor, se, bellico patre natum, omne uite tempus spectatis milicie operibus exigere debere. Cuius fortem animum Harthgrepa, Vagnhofthi filia, amoris sui illecebris emollire conata, sedula affirmacione certabat, oportere cum primum genialis thori munus suis erogare connubiis, que infancie eius exaccioris cure fomenta porrexerit, primaque subministrarit crepundia. Nec simplici uerborum exhortacione contenta, carminis quoque modo sic orsa:

Quid tibi sic uaga uita fluit?
Quid celebs tua lustra teris,

Arma sequens, iugulum siciens?
 Nec species tua uota trahit.
 Eximia raperis rabie,
 Labilis in Venerem minime.
 5 Cedibus atque cruore madens
 Bella thoris pociora probas,
 Nec stimulis animum recreas.
 Ocia nulla fero subeunt;
 Lusus abest, feritas colitur;
 10 Nec manus impietate uacat,
 Dum Venerem coluisse piget.
 Cedat odibilis iste rigor,
 Adueniat pius ille calor,
 Et Veneris michi necete fidem,
 15 Que puerō tibi prima dedi
 Vbera lactis, opemque tuli,
 Officium genitricis agens,
 Vsibus officiosa tuis.

VIb

Quo corporis eius magnitudinem humanis inhabilem p. 37
 20 amplexibus referente, cuius nature contextum dubium non
 esset giganteo germini respondere, Non te moueat, inquit,
 'insolitus mee granditatis aspectus. Nunc enim contraccioris,
 nunc capacioris, nunc exilis, nunc affluentis substancie,
 modo corrugati, modo explicati corporis situm arbitraria
 25 mutacione transformo; nunc proceritate celis inuehor, nunc
 in hominem, angustioris habitus dicione, componor. Adhuc
 hesitante eo, fidemque dictis habere cunctante, tale carmen
 adiecit:

Ne paureas nostri, iuuenis, commercia lecti.
 Corpoream gemina uario racione figuram,
 Et duplarem neruis legem prescribere sueui.
 Nam sequor alternas diuerso schemate formas
 Arbitrio uariata meo; nunc sidera ceruix
 Equat, et excelso rapitur uicina Tonanti;
 Rursus in humanum ruit inclinata uigorem,
 Contiguumque polo caput in tellure refigit.
 Sic leuis in uarios transmuto corpora flexus
 Ambiguis conspecta modis; nunc colligit anceps
 Strictus membra rigor, nunc gracia corporis alti
 40 Explicat, et summas tribuit contingere nubes.

(11)

Nunc breuitate premor, nunc laxo poplite tendor,
Versilis inque nouos conuerti cerea uultus.

Nec me mirari debet, qui Protea nouit.

Nunc premit effusos, modo clausos exerit artus
5 Forma situs incerta sui speciesque biformis,
Que nunc extricat, nunc membra reuoluit in orbem.
Exero contractos artus, tensosque subinde
Corrujo, uultum formis partita gemellis,
Et sortes complexa duas; maiore feroce
10 Territo, concubitus hominum breuiore capesso.

p. 38

His assertis Hadingi concubitu potita, tanto iuuenis
amore flagrauit, ut, cum eum reuisende patrie cupidum
comperisset, uirili more culta prosequi non dubitaret, labori-
busque eius ac periculis interesse uoluptatis loco duceret.

15 Quo comite, susceptum iter ingressa, penatibus forte per-
noctatura succedit, quorum defuncti hospitis funus mestis
ducebatur exequiis. Vbi magice speculacionis officio supe-
rum mentem rimari cupiens, diris ad modum carminibus
20 ligno insculptis, iisdemque lingue defuncti per Hadingum
suppositis, hac uoce eum horrendum auribus carmen edere
cocgit.

Sequitur carmen magice editum:

Inferis me qui retraxit, execrandus oppetat
Tartaroque deuocati spiritus penas luat.

VII*

25 Quisquis ab inferna sede reuocauit
Me functum fatis exanimemque,
Ac rursum superas egit in auras,
Sub Styge liuenti tristibus umbris
Persoluat proprio funere penas.

p. 39

30 En preter placitum propositumque
Quedam grata parum promere cogor.
Ex hac namque pedem sede ferentes
Angustum nemoris aduenie[n]tis,
Passim demonibus preda futuri.

35 Tunc que nostra chao fata reduxit,
Et dedit hoc rursum uisere lumen,
Mire corporeis nexibus indens
Manes elicitos sollicitando,
Quod nisa est temere, flebit acerbe.

Inferis me qui retraxit, execrandus oppetat
Tartaroque deuocati spiritus penas luat.

Nam cum monstrigeni turbinis atra lues
Intima conatu presserit exta graui,
Atque manus uiuos uerrerit ungue fero,
Artibus auulsis corpora rapta secans,
Tunc, Hadinge, tibi uita superstes erit,
Nec rapient manes infera regna tuos,
Nec grauis in Stygias spiritus ibit aquas;
Femina sed nostros, crimine pressa suo,
Placabit cineres, ipsa futura cinis,
Que miseris umbris huc remeare dedit.

Inferis me qui reduxit, execrandus oppetat
Tartaroque deuocati spiritus penas luat.

15 Igitur cum apud predictum nemus compacto ramalibus
tecto noctem agerent, inusitate granditatis manus domicilium
penitus pererrare conspecta. Quo monstro territus Ha- p. 40
dingus nutricis opem implorat. Tunc Harthgrepa || artus (12)
explicans ac magno se turgore distendens, manum arccius
20 apprehensam alumno prebuit abscindendam. Ex cuius
teterimis uulneribus plus tabi quam cruris manauit. Cuius
facti post modum ab originis sue consortibus laniata penas
pependit; neque illi aut nature condicio aut corporis magni-
tudo, quo minus infestos hostium unguis experiretur, opi-
25 tulata est.

Spoliatum nutrice Hadingum grandeus forte quidam,
altero orbus oculo, solitarium miseratus, Lisero cuidam
pirate solemnii paccionis iure conciliat. Siquidem icturi fedus
ueteres uestigia sua mutui sanguinis aspersione perfundere
30 consueuerant, amiciciarum pignus alterni cruris commercio
firmaturi. Quo pacto Liserus et Hadingus arctissimis socie-
tatis uinculis colligati Lokero, Curetum tyranno, bellum
denunciant. Quibus superatis fugientem Hadingum pre-
dictus senex ad penates suos equo deuehendum curauit,
35 ibique suauissime cuiusdam pocionis beneficio recreatum
uege*ciori corporis firmitate constaturum predixit. Cuius VII^b
augurii monitum huiusmodi carmine probauit:

Hinc te tendentem gressus profugum ratus hostis
Impetet, ut teneat uinclis faucisque ferine

Obiectet depascendum laniatibus: at tu
Custodes uariis rerum narratibus imple;
Cumque sopor dapibus functos exceperit altus,
Iniectos nexus et uincula dira relide.

5 Inde pedem referens, ubi se mora paruula fundet,
Viribus in rapidum totis assurge leonem,
Qui captiuorum iactare cadauera sueuit,
Inque truces armos ualidis conare lacertis,
Et cordis fibras ferro rimare patenti.

10 Protinus admissa uapidum cape fauce cruem;
Corporeamque dapem mordacibus attere malis.
Tunc noua uis membris aderit, tunc robora neruis
Succedent inopina tuis, solidique uigoris
Congeries penitus neruosos illinet artus.

15 Ipse struam uotis aditum, famulosque sopore
Conficiam et lenta stertentes nocte tenebo.

Et cum dicto relatum equo iuuenem pristino loco
restituit. Tunc Hadingus amiculi eius rimas, sub quo tre-
pidus delitebat, per summam rerum admiracionem uisus
20 perspicuitate traiiciens, animaduertit equinis freta patere
uestigis, prohibitusque rei inconcesse captare conspectum,
plenos stuporis oculos a terribili itinerum suorum contem-
placione deflexit.

Qui cum a Lokero captus omnem predicionis euen-
25 tum certissimis rerum experimentis circa se peractum
sensisset, Handwanum, Hellesponti regem, apud Dunam
urbem, inuictis murorum presidiis uallatum menibusque,
non acie, resistentem, bello pertentat. Quorum fastigio
oppugnacionis aditum prohibente, diuersi generis aues loci
30 illius domiciliis assuetas per aucupii peritos preendi iussit,
earumque pennis accensos igne fungos suffigi curauit; que
propria nidorum hospicia repetentes, urbem incendio com-
pleuere. Cuius extinguendi gracia concurrentibus | oppi-
danis, uaeuas defensoribus portas reliquerunt. Adortus
35 Handwanum cepit, eique redempcionis nomine corpus suum
auro rependendi potestatem fecit, cumque hostem tollere
licheret, spiritu donare maluit; adeo seuiciam clemencia tem-
perabat.

Post hec multo Orientalium robore debellato, Suetiam
40 reuersus, Swibdagerum apud Gudlandiam ingenti classe

p. 41

p. 42

obuium pugna adortus oppressit. Sicque non solum exterorum manubiis, uerum eciam paternae fraterneque uindictae tropheis ad eminentem claritatis gradum prouectus, exilio regnum mutauit, cui patriam non ante repetere quam
5 regere contigit.

Ea tempestate cum Othinus quidam Europa tota falso diuinitatis titulo || censeretur, apud Vpsalam tamen (13) crebriorem diuersandi usum habebat, eamque siue ob incolarum inerciam siue locorum amenitatem, singulari quadam
10 habitacionis consuetudine dignabatur. Cuius numen Septentrionis reges propensiore cultu prosequi cupientes, effigiem ipsius aureo complexi simulacro, statuam sue dignacionis indicem maxima cum religionis simulacione Bizantium transmiserunt, cuius eciam brachiorum lineamenta confertissimo
15 armillarum pondere perstringebant. Ille tanta sui celebritate gausus, mittencium caritatem *cupide exosculatus VIII^a est. Cuius coniunx Frigga, quo culcior progredi posset, ad citis fabris, aurum statue detrahendum curauit. Quibus Othinus suspendio consumptis, statuam in crepidine collo-
20 cauit, quam eciam mira artis industria ad humanos tactus uocalem reddidit. At nihilominus Frigga, cultus sui uitorem diuinis mariti | honoribus anteponens, uni familiarium se p. 43 stupro subiecit; cuius ingenio simulacrum demolita, aurum publice supersticioni consecratum ad priuati luxus instrumentum conuertit. Nec pensi duxit impudiciciam sectari, quo prompcius auaricia frueretur, indigna femina, que numinis coniugio potiretur. Hoc loci quid aliud adiecerim, quam tale numen hac coniuge dignum extitisse? Tanto quondam errore mortalium ludificabantur ingenia. Igitur
25 Othinus, gemina uxoris iniuria lacessitus, haut leuius imaginis sue quam thori lesionе dolebat. Duplici itaque ruboris irritamento perstrictus, plenum ingenui pudoris exilium carpsit, eoque se contracti dedecoris sordes aboliturum putauit.
30 Cuius secessu Mithotyn quidam prestigiis celeber, perinde ac celesti beneficio uegetatus, occasionem et ipse fingende diuinitatis arripuit, barbarasque mentes nouis erroris tenebris circunfusas, prestigiarum fama ad ceremonias suo nomini persoluendas adduxit. Hic deorum iram aut
35 numinum uiolacionem confusis permixtisque sacrificiis ex-

piari negabat, ideoque eius uota communiter nuncupari prohibebat, discreta superum cuique libamenta constituens. Qui cum, Othino redeunte, relicta prestigiarum ope, latendi gracia Pheoniam accessisset, concursu incolarum occiditur.

5 Cuius extincti quoque flagicia patuere; siquidem busto suo propinquantes repentina mortis genere consumebat, tantisque post fata pestes edidit, ut pene tetriora mortis quam uite monimenta dedisse uideretur, perinde ac necis sue penas a noxiis exacturus. Quo malo obfusi incole egestum

10 tumulo corpus capite spoliant, acuto pectus stipite transfigentes; id genti remedio fuit.

Post hec Othinus, coniugis fato pristine claritatis p. 4^a opinione recuperata, ac ueluti expiata diuinitatis infamia, ab exilio regressus, cunctos, qui per absenciam suam 15 celestium honorum titulos gesserant, tanquam alienos depone coegit, subortosque magorum cetus, ueluti tenebras quasdam superueniente numinis sui fulgore discussit. Nec solum eos deponende diuinitatis, uerum eciam deserende patrie imperio constrinxit, merito terris extrudendos ratus,

20 qui se celis tam nequiter ingerebant.

Interea Asmundus, Swibdageri filius, in ulcionem patris pugna cum Hadingo congressus, ut filium Henricum, cuius caritatem eciam proprio spiritui preferebat, fortissime dimicantem occidisse cognouit, auido fati animo lucem pero-

25 sus, tali carmen uoce compegit:

Quis nostra fortis ausit arma sumere?
 Nil proficit cassis uacillanti nitens,
 Lorica iam nec commode fusum tegit;
 Armis ouemus, interrempto filio;
 Cuīs mori me cogit imminens amor,
 Caro superstes ne relinquār pignori.
 Vtraque ferrum comprimi iuuat manu;
 Nunc bella, preter scuta, nudo pectore,
 Exerceamus fulgidis mucronibus.

30 Ferocitatis fama nostre luceat;
 Audacter agmen obteramus hosti[c]um;
 Nec longa nos exasperent certamina,
 Fugaque fractus conquiescat impetus.

Quo dicto, geminam capulo manum iniiciens, absque VIII

(14)
p. 45

periculi respectu, reflexo in tergum clypeo, complures in necem egit. Igitur Hadingo familiarium sibi numinum presidia postulante, subito Vagnoftus partibus eius propugnaturus aduehitur. Cuius aduncum Asmundus gladium contemplatus, hanc in uocem carmine clamabundus erupit:

Quid gladio pugnas incuruo?
 Ensiculus fato tibi fiet,
 Framea torta necem generabit.
 Hostem namque manu superandum
 10 Carminibus lacerari fidis,
 Plus uerbis quam ui connisus,
 In magna uires ope ponens.
 Quid me sic umbone retundis,
 Audaci iaculo minitando?
 15 Cum sis criminibus miserandis
 Obsitus et maculis refertus.
 Infamis sic te nota sparsit
 Putentem uiciis labeonem.

Hec uociferantem Hadingus hasta traiicit amentata. p. 46

20 Sed nec mortis Asmundo solacia defuere. Siquidem inter exiguas uite reliquias, uulneratum interfectoris pedem, perpetua claudicacione mulctauit, clademque suam, paruulo ulcionis momento memorabilem reddidit. Ita alterum membra debilitas, alterum uite finis exceptit. Corpus eius 25 solemni funere elatum apud Vpsalam regiis procuratur exequiis. Cuius coniunx Gunnilda, ne ei superesset, spiritum sibi ferro surripuit, uirumque fato insequi, quam uita deserere preoptauit. Huius corpus amici sepulture mandantes, mariti cineribus adiunixerunt, dignam eius tumulo rati, cuius 30 caritatem uite pretulerat. Iacet itaque Gunnilda aliquanto speciosius uirum busti quam thori societate complexa.

Post hec Hadingo uictore Suetiam populante, Asmundi filius, Vffo nomine, conserende manus diffidencia adductus, in Daniam exercitum traiicit, hostilesque lares incessere, 35 quam proprios tueri sacius duxit, opportunum propulsandarum iniuriarum genus existimans, quod ab hoste patetur, inferre. Ita Danis ad propria defensanda redire compulsis, salutemque patrie exterarum rerum dominio preferentibus, domesticum solum hostilibus armis uacefactum 40 repeciit.

Igitur cum Hadingus e bello Suetico regressus, erarium suum, quo bellis ac spoliis quesitas opes excipere consuevit, furto uiolatum animaduerteret, continuo custodem eius Glumerum suspendio consumpsit, callidoque commenti genere 5 edixit, ut, si quis e noxiis ablata referre curasset, honoris locum, quem Glumerus possederat, obtineret. Quo promisso, soncium quidam beneficii percipiendi quam criminis tegendi studiosior redditus, pecuniam regi reportandam curauit. Quem consciit in summam principis amiciciam receptum putantes, nec uberioris quam fidelius honoratum credentes, et ipsi pari premii spe relatis pecuniis, reatum detegunt. Quorum confessio primum honoribus ac beneficiis excepta, mox suppliciis punita, haut paruum uitande crudelitatis documentum reliquit. Dignos dixerim, qui p. 10 15 15 solute taciturnitatis penas patibulis luerent, quos cum silencii salubritas tutos prestare posset, uocis stoliditas in exicum pertraxit.

His gestis, Hadingus per summum integrandi belli apparatum hyberna permensus, uerno sole frigoribus liquatis 20 Suetiam repetit, ibique lustrum militando confecit. Cuius milites, diurne expedicionis negocio consumptis aliamentis, ad ultimam pene tabem redacti, siluestribus fungis famem lenire ceperunt. Tandem per summam necessitatis indigenciam commandu*catis equis, ad postremum canina 25 cadauera corporibus indulserunt. Sed neque humanis artibus uesti nefas habitum. Itaque Danis in extremas desperacionis angustias compulsis, nocte concubia, sine auctore tale castris carmen insonuit:

Tetro penates omine patrios
30 Liquistis, hoc rus Marte sequi rati.
Que uana mentes ludit opinio?
Que ceca sensus corripuit fides,
Hoc arbitrantes posse solum capi?
Non amplitudo Suetica cedere,
35 Non exterorum Marte ualet quati.
At summa uestri defluet agminis,
Cum Marte nostros ceperit aggredi.
Nam cum ferocem uim fuga soluerit,
Et preliorum pars uaga labitur,
40 In terga dantes Marte prioribus

Cedis potestas liberior datur,
 Maiorque ferri parta licencia,
 Cum sors rebellem precipitem fugat;
 Nec tela tendat, quem metus abstrahit.

5 Quod presagium crebra Danorum cede sequens lucis p. 48
 euentus impleuit. Nocte postera uocem huiusmodi, incerto
 auctore editam, Suetica auribus iuuentus exceptit.

Quid me sic Vffo prouocat
 Seditione graui,
 Penas daturus ultimas?
 Confodietur enim
 Multa premendus cuspide.
 Exanimisque ruet,
 Audaciam cepti luens.
 Nec petulantis erit
 Liuoris intactum scelus:
 Augurioque meo,
 Cum bella primum gesserit,
 Contuleritque manum,
 Excepta membris spicula
 Corpus ubique patent,
 Crudosque hiatus uulnerum
 Fascia nulla premet;
 Nec ampla plagarum loca
 Contrahet ulla salus.

Eadem nocte congressis exercitibus, duo senes humano
 habitu tetroires, capitibus coma uacuis, inter siderum mi-
 catus, triste uisu caluicium preferentes, contrariis uotorum
 studiis monstriferos diuisere conatus. Siquidem alter Da-
 30 norum partibus intendebat, alter Sueonum studiosus extabat.
 Victus Hadingus cum in Helsingiam configisset, ibique
 solis feroire percalefactum corpus frigida maris aqua sub-
 lueret, inauditi generis beluam crebris ictibus attentatam
 oppressit, necatamque in castra preferendam curauit. Quem
 35 facto ouantem obuia femina hac uoce compellat:

Seu pede rura teras, seu ponto carbasa tendas,
 Infestos paciere deos, totumque per orbem
 Propositis inimica tuis elementa uidebis.

p. 49

Rure rues, quaciere mari, dabiturque uaganti
 Perpetuus tibi turbo comes, nec deseret umquam (10)
 Vela rigor; nec tecta tegent, que si petis, icta
 Tempestate ruent; diro pecus occidet algu.
 5 Omnia presentis sortem uiciata dolebunt.
 Vt scabies fugiere nocens, nec tetrior ulla
 Pestis erit. Tantum pene uis celica pensat. IX
 Quippe unum e superis alieno corpore tectum
 Sacrilege necuere manus: sic numinis almi
 10 Interfector ades! Sed cum te exceperit equor,
 Carceris Eolici laxos paciere furores.
 Te Zephyrus Boreasque ruens, te proteret Auster,
 Et coniuratos certabunt edere fatus;
 Donec diuinum uoto meliore rigorem
 15 Solueris et meritam tuleris placamine penam.

Rergusus igitur Hadingus eodemque cuncta tenore
 perpessus tranquilla queque proprio turbidabat aduentu.
 Siquidem nauigante eo oborta nimbi uis ingenti classem
 tempestate consumpsit. Naufragum hospicia petentem
 20 subita penacium strages exceptit. Nec ante malo remedium
 fuit, quam scelere sacrificiis expiato, cum superis in graciam
 redire potuisset. Siquidem propiciandorum numinum p.
 gracia, Frø deo rem diuinam furuis hostiis fecit. Quem
 litacionis morem annuo feriarum circuitu repetitum, posteris
 25 imitandum reliquit. Frøblod Sueones uocant.

Cumque forte gigantum quendam Nitherorum regis
 Haquini filiam Regnildam pactum animaduerteret, indignam
 rei condicionem perosus, per summam future copule de-
 testacionem ingenuo ausu nupcias precucurrit, Noruagiam-
 30 que profectus, tam fedum regie uirginis amatorem armis
 oppressit. Adeo namque uirtutem ocio pretulit, ut, cum
 regiis deliciis frui liceret, non solum suas, uerum eciam
 alienas iniurias propulsare omni uoluptate iocundius duceret.
 Auctorem beneficii puella crebris obtusum uulneribus,
 35 ignara, medendi cura prosequitur. Cuius ne noticiam sibi
 temporis interiectus eriperet, crus eius annulo uulneri in-
 cluso obsignatum reliquit. Eadem post modum a patre
 eligendi mariti libertate donata, contractam conuiuio iuuen-
 tum curiosiore corporum attractacione lustrabat, deposita

quondam insignia perquirens. Spretis omnibus, Hadingum latentis annuli in dicio deprehensum amplectitur, eique se p. 51 coniugem donat, qui coniugio suo gigantem potiri passus non fuerat.

Apud quam diuersante[m] Hadingo mirum dictu prodigium incidit. Siquidem cenante eo, femina cicutarum gerula propter foculum humo caput extulisse conspecta, porrectoque sinu percunctari uisa, qua mundi parte tam recencia grama brumali tempore fuissent exorta. Cuius cognoscendi cupidum regem, proprio obuolutum amiculo, refuga secum sub terras abduxit; credo, diis infernalibus ita destinantibus, ut in ea loca uiuus adduceretur, que morienti petenda fuerant. Primum igitur uapide cuiusdam caliginis nubilum penetrantes, perque calle diurnis adesum meatibus incidentes, quosdam pretextatos, amictosque ostro proceres conspicantur; quibus preteritis loca demum aprica subeunt, que delata a femina grama protulerunt. Progressique precipitis lapsus ac liuentis aque fluuium diuersi generis tela rapido uolumine detorquentem eundemque ponte meabilem factum offendunt. Quo pertransito binas acies mutuis uiribus concurrere contemplantur; quarum condicionem a femina percunctante Hadingo, ii sunt, inquit, qui ferro in necem acti, cladis sue speciem continuo protestantur exemplo, presentique spectaculo preterite uite facinus emulantur. Prodeuntibus murus aditu transcensuque difficilis obsistebat; quem femina nequicquam transilire conata, cum ne corrugati quidem corporis exilitate proficeret, galli caput, quem secum forte (17) deferebat, abruptum ultra menium septa iactauit, statimque rediuius ales resumpti fidem spiraculi claro testabatur occentu.

Rerum igitur Hadingus patriamque cum coniuge repetere orsus, imminencium sibi piratarum insidias celeri nauigacione | cassauit. Qui licet iisdem pene flatibus iu- p. 52 uarentur, *ipsum tamen equora presulcantem paribus uelis X^a occupare non poterant.

Inter hec Vffo, cum mire pulcritudinis filiam haberet, potitorum ea, qui uita Hadingum spoliaret, edixit. Quo pacto Thuningus quidam ad modum sollicitatus, ad cita Byarmensium manu, uotuum studuit impetrare progressum.

Quem excepturus Hadingus, dum classe Noruagiam preteriret, animaduertit in littore senem crebro amiculi motu appellendi nauigii monitus afferentem. Quem, repugnantibus sociis, damnosumque profecccionis diuerticulum affirmantibus,

5 naue susceptum centuriandi exercitus auctorem habuit, in ordinanda agminum ratione curiosius attendere solitum, ut prima per dyadem phalanx, ac per tetradem secunda constaret, tercia uero octoadis adieccione succresceret, semperque priorem insequens duplicitatis augmento transcederet.

10 Idem quoque funditorum alas in extremam aciem concedere iussit, eisque sagittariorum ordines sociauit. Ita digestis in cuneum cateruis, ipse post bellatorum terga consistens, ac folliculo, quem ceruici impensum habebat, ballistam extrahens, que primum exilis uisa, mox cornu

15 tensiore prominuit, denos neruo calamos adaptauit; qui uegecioire iactu pariter in hostem detorti, | totidem numero p. 53
uulnera confixerunt. Tunc Byarmenses, arma artibus permutantes, carminibus in nimbos soluere celum letamque aeris faciem tristi imbrium aspergine confuderunt. Et con-

20 trario senex obortam *imb(r)ium* molem obuia nube pellebat, madoremque pluie nubilo castigabat obiectu. Vito-rem Hadingum dimissus senex, non ui hostili, sed uolun-

25 tario mortis genere consumendum predixit, clarisque bellis obscura ac longinquis finitima preponere uetus.

Quo relicto, Hadingus ab Vffone per colloquii simula-

lacionem in Vpsalam accersitus, amissis per insidias sociis,

noctis habitu protectus aufugit. Nam Danis edis, in quam conuiuii nomine contracti fuerant, excessum petentibus presto erat, qui, cuiusque exertum foribus caput ferro de-

30 meteret. Cuius facti iniuriam prelio insecurus Vffonem oppressit, eiusque corpus, deposito odio, conspicui operis mausoleo mandauit, amplitudinem hostis elaborato busti splendore confessus. Ita, quem uiuum hostili studio insectari solebat, extinctum honoris impendio decorabat.

35 Et ut sibi deuictae gentis animos conciliaret, fratrem Vffonis Hundingum regno prefecit, ne imperium pocius in exteris transfusum, quam in Asmundi familia continuatum uide-

retur.

Cumque, sublato iam emulo, complures annos per

40 summam armorum desuetudinem rerum agitacione uacuus

exegisset, tandem diutinum ruris cultum nimiamque maritimorum rerum abstinenciam causatus et quasi bellum pace iocundius ratus, talibus se ipsum culpare desidie modis aggreditur:

- | | | |
|----|---|----------------|
| | Quid moror in latebris opacis,
Collibus implicitus scruposis,
Nec mare more sequor priori?
Eripit ex oculis quietem
Agminis increpitans lupini
Stridor, et usque polum leuatus
Questus inutilium ferarum
Impaciensque rigor leonum.
Tristia sunt iuga uastitasque
Pectoribus truciora fisis. | p. 54 |
| 10 | | |
| 15 | Officiunt scopuli rigentes
Difficilisque situs locorum
Mentibus equor amare suetis.
Nam freta remigiis probare,
Officii pocioris esset, | |
| 20 | Mercibus ac spoliis ouare,
Era aliena sequi locello,
Equor(e)is inhiare lucris,
Quam salebras nemorumque flexus
Et steriles habitare saltus. | X ^b |
| | | p. 55 |

25 Cuius uxor, ruralis uite studio maritimorum aiuum (18) matutinos pertesa concentus, quantum in siluestri locorum usu uoluptatis reponeret, hac uoce detexit:

- Me canorus angit ales immorantem littori
Et soporis indigentem garriendo concitat.
Hinc sonorus estuose mocionis impetus
Ex ocello dormientis mite demit ocium,
Nec sinit pausare noctu mergus alte garrulus,
Auribus fastidiosa delicatis inserens,
Nec uolentem decubare recreari sustinet,
Tristiore flexione dire uocis obstrepens.
Tucius siluis fruendum dulciusque censeo.
Quis minor quietis usus luce, nocte carpitur,
Quam marinis immorari fluctuando motibus?

Eodem tempore Tosto quidam, obscuro Iutie loco
 ortus, ferocitate clarus emersit. Plebe namque uario petu-
 lanie genere lacessita, late crudelitatis famam extulit,
 tantaque malignitatis opinione percrebuit, ut Facinorosi
 5 cognomine notaretur. Sed nec exterorum iniuriis abstinens,
 post fedam patrie uexacionem eciam Saxoniam tentat.
 Cuius duce Syfrido, laborantibus prelio sociis, pacem pe-
 tente, fore, quod ab ipso poscebatur, asseruit, dummodo
 sibi gerendi cum Hadingo belli societatem polliceri uoluisset.
 10 Refragantem illum, condicionique parere metuentem, acri
 minarum genere ad eam, quam optabat, promissionem
 perduxit. Fit enim, ut, quod blande non struitur, mina-
 eiter impetretur. A quo terrestri negocio superatus Hadin-
 gus, cum uictoris classem | inter fugiendum repartam per-
 15 fossis lateribus nauigacioni inutilem reddidisset, con(s)censam
 scapham in altum direxit. Quem Tosto occidisse ratus,
 cum diu inter promiscua necatorum cadauera quesitum
 reperire non posset, ad classem regressus, animaduertit
 eminus myoparonem mediis maris estibus fluctuantem.
 20 Quem cum adduetis in altum nauigiis persequi statuisset,
 fraccionis periculo reuocatus, egre littus repeciit. Tunc
 correptis integris ceptum uie genus exequitur. Hadingus,
 occupari se uidens, percontari comitem cepit, an nandi
 25 usum calleret, neganteque eo, fuge diffidencia sponte
 cuersi nauigii concavas partes amplexus, mortis fidem in-
 sequentibus fecit. Securum deinde Tostonem inopinatumque
 et spoliorum reliquiis audius incubantem adortus, prostrato
 exercitu, predam deserere coegit, suamque eius fuga ul-
 ciscitur.
 30 Nec Tostoni in uindictam sui animus defuit. Nam
 eum ob accepti uulneris magnitudinem reparandarum intra
 patriam uirium copiam non haberet, legati titulo Britan-
 niam peciit. In qua profecione nauigacionis socios in alee
 lusum per lasciuiam contraxit, rixamque a tesserarum iacti-
 35 bus ortam funesta cede finire docuit. Ita placido exer-
 cicii genere discordiam per totum nauigium diffudit, cruen-
 tamque pugnam mutatus lite iocus progenuit. Et ut ali-
 quod ex alieno malo commodum caperet, correptis inter-
 fectorum pecuniis, Collonem quendam piratica tunc tem-
 40 po|ris insignem adciuit. Quo comite paruo post in patriam p 57

reuersus, cum Hadingo, suam quam militum fortunam expendere preoptante, ex prouocacione congressus occiditur. Nolebant enim prisce fortitudinis duces uniuersorum dis crimine exequi, quod paucorum sorte peragi potuisset.

5 His gestis, Hadingo defuncte coniugis species per quietem obuersata sic cecinit:

Belua nata tibi est rabiem domitura ferarum,
Queque truci rapidos atteret ore lupos.

xi^a

At post pauca subiunxit:

10 Fac caueas; ex te nocuus tibi prodiit ales,
Felle ferox bubo, uoce canorus olor.

Rex mane, sopore discusso, cuidam conjecturarum (19) sagaci usum exponit. Qui lupi nomine future ferocitatis filium interpretatus, uoloris uocabulo filiam denotauit, illum 15 hostibus perniciosum, hanc patri insidiosam fore presagiens. Euentus augurio respondit. Siquidem Hadingi filia Vluida, priuato cuidam Guthormo denupta, siue copule indignitate siue claritatis affectacione perimota, maritum in parentis cedem absque pietatis respectu sollicitat, reginam se, quam 20 regis filiam censeri mallo prefata. Cuius exhortacionis modum iisdem pene uerbis, quibus ab ipsa editus fuerat, explicare constitui; qui fere huiusmodi erat:

O miseram me, cuius nobilitatem dispar copule nexus ob- p. 58
tenebrat! O infelicem, cuius stemmati rustica iugatur humili-
tas! O infortunata in principis prolem, quam thori lege plebeius
equiparat! Miserandam regis filiam, cuius decorum ignauus
pater in obsoletos ac despicabiles transmisit amplexus! In-
faustum matris sobolem, cuius felicitati thori commercium
derogat; cuius mundiciam inmundicia ruralis attractat, di-
gnitatem indignitas uulgaris inclinat, ingenuitatem condicio
maritalis extenuat! At si quis tibi uigor inest, si qua mentem
uirtus possidet, si dignum te regis generum probas, socero
fasces eripe, genus probitate redime, prosapie defectum
uirtute estima, sanguinis damnum animo pensa. Felicior
35 est honos audacia, quam hereditate quesitus. Melius hono-
res meritum, quam natura conciliat. Adde quod senectutem

subruere nefas non est, que proprio in ruinam pondere suppressa deuergit. Sufficient socero tot temporum fasces; senilis tibi potestas obueniat, que si te frustrata fuerit, alteri cedet. Lapsui uicinum est, quicquid senio constat. Sat 5 illi regnasse sit; tibi quandoque preesse conueniat. Malo preterea uirum regnare, quam patrem. Malo regis coniunx, quam nata conseri. Melius est principem intus amplecti, quam exterius uenerari, gloriosius nubere regi, quam obsequi. Ipse quoque tibi sceptrum, quam socero malle 10 debeas. Proximum sibi quemque natura constituit. Aderit cepto facultas, si facto uoluntas accesserit. Nihil est, quod non ingenio cedat. Instaurandum epulum est, exornandum conuiuium, prouidendi paratus, inuitandus socer. Frauduiam familiaritas simulata prestabit. Nullo melius quam 15 affinitatis nomine insidie teguntur. Adde quod temulencia promptum cedi iter aperiet. Cumque rex capitis cultui intentus fabulis mentem, barbe manum intulerit, pilorumque perplexio|nem crinali spico seu pectinis enodacione dis- p. 59 creuerit, applicari ferrum uisceribus senciat. Minor occu- 20 patis solet cautela perquiri. Dextera tua tot scelerum uindex accedat. Pium est ultricem miserorum manum extendere.

Talibus insistente Vluida, uir suggestione uictus insidiis operam pollicetur. Interea Hadingus generi dolum 25 cauere somnio monitus, petito conuiuio, quod ei filia caritatis simulacione parauerat, armatorum non longe presidia statuit, quibus aduersum insidias, cum res exigeret, uteretur. Quo cibum capiente, satelles in fraudis ministerium adcitus, occultato sub ueste ferro, opportunum sceleri tempus tac- 30 tus expectabat. Quo rex animaduerso, collocatis in vicino militibus signum lituo dedit. Quibus continuo opem feren- tibus, dolum in auctorem retorsit.

Interea rex Sueonum Hundingus occasum Hadingi falso acceptum nuncio inferiis excepturus, optimatibus con- 35 tractis, eximie capacitatis dolium cereali liquore completum deliciarum loco medium conuiui[i]s apponi precepit, et nequid celebritatis deesset, ipse ministri partibus assumptis, pincernam agere cunctatus non^{est}. Cumque exe*quendi p. 60 officii gracia regiam perlustraret, offenso gradu in dolium X^b collapsus, interclusum. humore spiritum reddidit, deditque

penas siue Orco, quem falsa exequiarum accione placabat,
siue Hadingo, cuius interitum mentitus fuerat. Quo co-
gnito Hadingus, parem ueneratori graciam relaturus, extinc-
toque superesse non passus, suspendio se uulgo inspectante
5 consumpsit.

FINIS LIBRI PRIMI.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIE DANICE
LIBER SECUNDVS.

p. 61
(20)

Hadingo filius Frotho succedit, cuius uarii insignesque
casus fuere. Pubertatis annos emensus iuuenilium preferebat
complementa uirtutum. Quas ne desidie corrumpendas
preberet, abstractum uoluptatibus animum assidua armorum
intencione torquebat. Qui cum, paterno thezauro bellicis
operibus absumpto, stipendiorum facultatem, qua militem
aleret, non haberet, attenciusque necessarii usus subsidia
circunspiceret, tali subeuntis indigene carmine concitatur:

Insula non longe est premollibus edita cliuis,
Collibus era tegens et opime conscientia prede.
Hic tenet eximium, montis possessor, aceruum
Implicitus giris serpens crebrisque reflexus
Orbibus et caude sinuosa uolumina ducens,
Multiplicesque agitans spiras, uirusque profundens.
Quem superare uolens clypeo, quo conuenit uti,
Taurinas intende cutes, corpusque bouinis
Tergoribus tegito, nec amaro nuda ueneno
Membra patere sinas; sanies, quod conspuit, urit.
Lingua trisulca micans patulo licet ore resultet,
Tristiaque orrifico minitetur uulnera rictu,
Intrepidum mentis habitum retinere memento;
Nec te permoueat spinosi dentis acumen,
Nec rigor, aut rapida iactatum fauce uenenum.
Tela licet temnat uis squamea, uentre sub imo
Esse locum scito, quo ferrum mergere fas est;
Hunc mucrone petens medium rimaberis anguem.
Hinc montem securus adi, pressoque ligone
Perfossos scrutare cauos; mox ere crumenas
Imbue, completamque reduc ad littora puppim.

p. 62

Credulus Frotho solitarius in insulam traicit, ne comitacior beluam adoriretur, quam atletas aggredi moris fuerat. Que cum aquis pota specum repeteret, impactum Frothonis ferrum ^{p. 63} | aspero cutis horrore contempsit. Sed et spicula, que in eam coniecta fuerant, eluso mittentis conatu lesionis irrita resultabant. At ubi nil tergi duricia cessit, uentris curiosius annotati mollices ferro patuit. Que se morsu ulcisci cupiens, clypeo duntaxat spinosum oris acumen impegit. Crebris deinde linguam micatibus 10 ducens, uitam pariter ac uirus efflauit.

Reperte pecunie regem locupletem fecere; quibus instructus, classe Curetum partibus admouetur. Quorum rex Dorno periculosi belli metu huiusmodi ad milites orationem habuisse fertur: Externum, proceres, hostem, et ^{XIIa} 15 tocius ferme occidentis ar^{*}mis opibusque succinctum, salutarem pugne cunctacionem sectantes, inedie uiribus obtinendum curemus. Internum hoc malum est. Difficillimum erit domesticum debellare periculum. Facile famelicis obuiatur. Melius aduersarium esurie quam armis tentabimus, nullum hosti inedia acrius iaculum adacturi. Edax uirium pestis edendi penuria nutritur. Armorum opem alimentorum inopia subruit. Illa, quiescentibus nobis, tela contorqueat, illa pugne ius officiumque suscipiat. Di^lscri- ⁽²¹⁾ minis expertes, discrimin licebit inferre. Exangues absque 20 sanguinis detrimento prestare poterimus. Inimicum ocio ^{p. 64} superare fas est. Quis damnose quam tuto dimicare maluerit? Quis, cum impune certare liceat, penam experiri contendat? Felicior armorum successus aderit, si preuia fames bellum committit. Hac primam configendi copiam 25 duce captemus. Castra nostra tumultus expercia maneant, illa nostri loco decernat; que si uicta cesserit, ocium rumpendum est. Facile ab indefesso lassitudine concussus opprimitur. Adesa marcore dextera pigrior in arma perueniet. Lenciores ferro manus dabit, quem quispiam prius 30 labor exhauserit. Preceps uictoria est, ubi tabe consumptus cum robusto congreditur. Taliter indemnes aliis da- <m>norum auctores fore poterimus.

His dictis, quecumque tutatu difficilia animaduertit, defensionis diffidencia populatus, adeo hostilem seuiciam 40 in uastanda patria precucurrit, ut nihil, quod a superuenien-

tibus occupari posset, intactum relinquaret. Maiorem deinde copiarum partem indubitate firmitatis municipio complexus, ab hoste se circunconsideri permittit. Cuius Frotho oppugnandi diffidencia concitatus, complures insolite profunditatis fossas intra castra fieri, latenterque per corbes humum egeri, et in flumen menibus propinquum tacite p. 65 disiici iussit. Quem dolum crebro cespite fossis superaddito, occultandum curauit, incautum hostem precipio consumpturus, futurumque ratus, ut ignaros desidentis glebe lapsus obrueret. Post hec simulato metu castra paulisper deserere cepit. Quibus imminentes oppidanos passimque elusis uestigiis in foueas prouolutos ingestis desuper iaculis trucidauit.

Inde profectus in Trannonem Rutene gentis tyrannum incidunt; cuius maritimas copias speculaturus, crebros clavos ex fustibus creat, iisdemque carabum onerat. Quo hostilem noctu classem subiens, imas nauigiorum partes terebro sauciat. Que ne repentinum undarum paterentur incursum, patencia foraminum loca prouisis antea clavis obstruit, terebrique damnum stipitibus pensat. At ubi foraminum copiam mergende classi sufficere credidit, demptis obstaculis promptum aquis aditum patefecit, hostilemque classem sua circumfundere properauit. Ancipiti periculo circunuenti Ruteni, armis prius an undis resisterent, hesitabant. Naufragio pereunt, dum nauigium ab hoste uindicare contendunt. Internum discrimen externo atrocius erat; dum foris ferrum stringunt, intus fluctibus cedunt. Bina simul in miseros pericula grassabantur. Incertum erat, celerius nando salus an dimicando peteretur. Medium pugne certamen noua fati diremit occasio. Gemine mortes uno ferebantur incessu; due leti uie socium egere periculum. Ambiguum erat, ferrum magis an fretum afficeret. Gladios propulsantem tacitus fluctuum allapsus exceptit; e contrario p. 66 fluctibus obuiantem obuius ensis implicuit. Aquarium eluuius cruoris aspergine fedabatur.

Victis itaque Rutenis, patria Frothoni repetitur. Qui cum legatos in Rusciam exigendi tributi studio missos, incolarum perfidia, atroci mortis genere consumptos animaduerteret, dupli iniuria permotus, urbem Rotalam arcta 40 ad modum obsidione persequebitur. Qua ne fluuii intersticio

prohibente tardius potiretur, uniuersam aque molem noua
 riuorum diuersitate partitus, ex ignote profunditatis alueo
 meabilia uada perfecit; nec ante destitit, quam rapidior
 uortex diuiduo minoratus excursu languidiore undas lapsu
 5 ageret, ac per exiles flexus uadosa paulatim constrictio
 raresceret. Ita amne domito, oppidum nature presidio
 uacuum inoffensa militum irrupcione prosternit. His ge-
 stis, ad urbem Paltiscam exercitum contulit.* Quam uiribus XII^b
 inuictam ratus, bellum fallacia mutauit. Siquidem, paucis
 10 ad modum conciis, ignote opacitatis latebras petiuit, ex-
 tinctumque se, quo minus hosti terroris afferret, uulgo nun-
 ciari precepit. Addite in fidem exequie, tumulusque con-
 structus. Sed et milites conscio fraudis merore, simulatum
 ducis obitum prosequuntur. Qua fama rex urbis Vespa-
 15 sius, perinde ac uictoria potitus, tam lan|guidam ac remis-
 sam defensionem egit, ut hostibus irrumpendi potestate
 facta, inter lusus ac ocia necaretur.
p. 67

Vrbe capta, Frotho, spe Orientis imperium complexus,
(H)andwani menibus admouetur. Qui quondam succense
 20 per Hadingum urbis admonitus, cunctos eius penates do-
 mesticis auibus uacuefecit, quo minus similis iacture peri-
 culo mulctaretur. Nec noua Frothoni calliditas defuit.
 Quippe permutata cum ancillulis ueste, peritam se pugnandi
 25 puellam simulat, depositoque uirili cultu, femineum emulatus,
 transfuge titulo oppidum petit. Illic omnibus curiosius
 exploratis, postridie emissso comite exercitum muris affore
 iubet, portasque sua pandendas opera pollicetur. Taliter
 elusis uigilibus urbs somno sepulta diripitur, securitatis
 30 penas interitu luens, desidiaque sua quam hostium uirtute
 miserior. Nihil enim in re militari perniciosius animaduer-
 titur, quam per ocium metu uacuum solutis neglectisque
 rebus nimia fiducie presumpcione torpescere. *(H)andwanus*
 eum patrie res perditas euersasque conspiceret, regias opes
 nauibus impositas, ut undas pocius quam hostem ditaret, in
 35 altum demersit; quanquam sacius fuerat aduersariorum
 fauorem pecunie largicionibus occupare, quam eius commo-
 dum mortalitatis usibus inuidere. Post hec Frothone filiam
 in matrimonium per legatos poscente, cauendum respon-
 dit, ne rerum prosperitate corruptus, uictorie successum in
 40 superbiam uertat; sed pocius uictis parcere et in deiectorum

condicione pristinum fulgoris habitum uenerari meminerit,
discatque in miserorum sorte preteritam estimare fortunam.
Curandum itaque, ne, cuius affinitatem expetat, imperium
rapiat, et, quem nupciis illustrare gestiat, obscuritatis | sor-
5 dibus respergat, matrimonii dignitatem auaricie studio cor-
rupturus. Cuius dicti comitate et uictorem generum adscivit
et regni libertatem obtinuit.

Interea Sueonum regis Hundingi coniunx Thorilda,
cum priuignos suos Regnerum et Thoraldum, quorum in-
finito odio tenebatur, ut uariis periculorum generibus im-
plicaret, regio tandem pecori prefecisset, Hadingi filia
Suanhuita, sororibus in famulicum sumptis, Suetiam petit,
clarissime indolis exicum muliebri ingenio precursura.
Cumque predictos adolescentes, nocturnis gregum excubiis
15 occupatos, diuersi generis portentis circumfundи uideret,
sorores equis descendere cupientes tali poematis sono
uetuit:

Monstra quidem video celerem captancia saltum
Corpora nocturnis precipitare locis.
20 Bella gerit demon, et inique dedita rixe
Militat in mediis turba nefanda uiis.
Effigie spectanda truci portenta feruntur,
Hecque hominum nulli rura patere sinunt.
Agmina precipiti per inane ruencia cursu
25 Hac nos progressum sistere sede iubent;
Flectere lora monent sacrisque absistere campis,
Aruaque nos prohibent ulteriora sequi.
Trux lemurum chorus aduehitur, precepsque per auras
Cursitat, et uastos edit ad astra sonos.
30 Accedunt Fauni Satyris, Panumque caterua
Manibus admixta militat ore fero;
Siluanis coeunt Aquili, Larueque nocentes
Cum Lamiis callem participare student.
Saltu librantur Furie, glomerantur eisdem
35 Larue, quas Simis Fantua iuncta premit.
Calcandus pediti trames terrore redundat;
Tucius excelsi terga premantur equi.

Ad hec Regnerus, seruum regium se professus, tam (23)
longinqui a domo excessus causam astruxit, quod, cum

pastoralis operis gracia rus relegatus, pecus, cui preerat, amisisset, desperata recuperacione, reditu abstinere, quam ulcionis penam incurrere preoptasset. Et ne fratris condicione silencio preteriret, tale dictis poema subiunxit:

- 5 Nos homines, non monstra puta, seruosque manentes
Per loca pascendos exagitasse greges.
At cum per teneros ageremus tempora lusus,
Forte remota uagum cessit in arua pecus.
- 10 Cumque petita diu spes deforet inueniendi,
Incessit miseris sollicitudo reis.
Cumque boum nusquam uestigia certa paterent,
Obtinuit mestus soncia corda pauor.
- 15 Hinc est, quod uirge uulnus penale uerentes
Duximus in proprios triste redire lares.
Credidimus, quam ferre manum penamque subire,
Tucius assuetis abstinuisse foci.
- 20 Sic penam differre iuuat, redditumque perosis
Hac dominum latebra fallere cura manet.
Hac ope neglecti pecoris uitabitur ulti,
Solaque stat nostris hec fuga tuta uiis.

p. 70

Tunc Suanhuita speciosissimum lineamentorum eius habitum curiosiori contemplacione lustratum impensius ammirata, Regibus te, inquit, non seruis editum preradians luminum uibratus eloquitur. Forma prosapiam pandit, et
25 in oculorum micatu nature uenustas eluget. Acritas uisus ortus excellenciam prefert, nec humili loco natum liquet, quem certissima nobilitatis index pulcritudo commendat. Exterior pupillarum alacritas interni fulgoris genium confitetur. Facies fidem generi facit, et in luculencia uultus
30 maiorum claritudo respicitur. Neque enim tam comis tamque ingenua species ab ignobili potuit auctore profundi. Sanguinis decus cognato frontem decore perfundit, et in oris speculo condicio nativa resultat. Minime ergo tam spectati celaminis simulacrum obscurus opifex absoluit.
35 Nunc itaque celerrima declinacione crebros uie excessus petentes, monstrigenos uitate concursus, ne elegantissimorum corporum preda sordidissimis pastum agminibus prebeatis.

At Regnero maximus ob deformitatem cultus rubor ^{p. 71}
incesserat, cuius unicum in obscuranda nobilitate remedium

ducebat. Seruitutem itaque non semper uirilitate uacuum reperiri subiunxit; sepe enim sordido cultu robustam obtagi manum, forte inque dextram atra ueste concludi interdum; itaque nature uicium uirtute redimi, damnumque generis animi ingenuitatem pensari. Se ergo, Thor deo excepto, nullam monstogene uirtutis potentiam expauere, cuius uirium *magnitudini nihil humanarum diuinorum rerum XIII digna possit equalitate conferri. Sed neque laruas liuido tantum squalore terribiles a masculis debere pectoribus formidari, quarum effigies, adulterino distincta pallore, momentaneum corporis habitum ab aeris teneritudine mutuari consueuerit. Falli igitur Suanhuitam, que solidum uirorum robur muliebriter emollire, uiresque uinci insolitas effeminato pauore perfundere conetur.

15 Ammirata iuuenis constanciam Suanhuita, ablegato nubile inumbracionis uapore, pretentas ori tenebras suda perspicuitate discussit, ensemque uariis conflictibus opportunum se ei daturam pollicita, miram uirginei candoris speciem nouo membro|rum iubare preferebat. Taliter p. 72
20 accensi iuuenis connubium pacta, prolatu mucrone sic cepit:

In gladio, quo monstra tibi ferienda patebunt,
Suscipe, rex, spose munera prima tue.
Hoc dignum te rite proba; manus emula ferri
Gestamen studeat condecorare suum.
Ferrea uis tenerum mentis confortet acumen,
Atque animus dextre nouerit esse comes.
Equet onus lator, et ut ensi congruat actus,
Accedat grauitas par in utroque tibi.
Framea quid prodest, ubi languet debile pectus,
Et telum trepide destituere manus?
Ferrum animo coeat, corpusque armetur utroque;
Iungatur capulo consona dextra suo.
Hec celebres edunt pugnas, quia iuncta uigoris
Plus retinere solent, dissociata minus.
35 Hinc tibi si uolue est belli clarescere palma,
Consectare ausu, quod premis ipse manu.
Cumque multa ad hunc modum coaptato ritmorum canore prompsisset, dimissis comitibus, aduersum obscenissimas portentorum cateruas noctem dimicando permensa,
40 luce redditu uarias laruarum formulas et inusitata specierum

figmenta passim aruis incidisse cognoscit, inter quas et ipsius Thorilde crebris obfusa uulneribus effigies uisebatur. Quas in struem congestas ingenti pyra accensa cremauit, ne teter obscenorum cadauerum odor pestifera exhalacione diffusus, proprius accedentes corrupcionis contagio sauciaret. Quo facto, Regnero Suetie regnum, sibi nero Regneri thorum conciliauit. Qui licet tirocinium nupciis auspicari deforme existimaret, seruate salutis sue respectu prouocatus promissum beneficio exsoluit.

10 Inter hec Vbbo quidam, sororem Frothonis Vluidam iam pridem matrimonio complexus, Danie regnum, cuius procuracionem perfuntorie gerebat, uxoris nobilitate p. 73 fretus occupat. Quamobrem Frotho, Orientis bella deserere coactus, apud Suetiam cum Suanhuita sorore graue prelum 15 facit. Quo afflictus, noctu, consensa cymba, per occultos nauigacionis anfractus, perforande hostium classis aditum querebat. Deprehensus a sorore rogatusque, cur tacito remigio uarias meatuum ambages sequeretur, simili questionis modo percontantem absoluit. Nam Suanhuita quoque, 20 eodem noctis tempore solitariam nauigacionem ingressa, anicipiti declinacionis giro multiplices sensim aditus recessusque captabat. Fratrem itaque dudum ab eo collate sibi libertatis ammonitum rogare cepit, ut, quam bellum Ruthenicum petiturus, arbitraria nubendi potestate donauerat, assumpto coniuge frui permittat, ratumque post factum habeat, quod fieri ipse concesserit. Tam iustis precibus 25 permotus Frotho pacem cum Regnero componit, iniuriamque, quam ex sororis petulancia suscepisse uidebatur, rogatui remisit. A quibus eciam manu, quantam per eos amiserat, donatus, deforme uulnus specioso beneficio pensatum gaudebat.

Daniam ingressus, capto perductoque ad se Vbboni ignouit, ueniamque, quam penam mali merito rependere maluit, quod regnum pocius uxoris impulsu, quam propria cupiditate tentasse, nec tam auctor iniurie, quam imitator fuisse uideretur. Vluidam eidem ademptam amico suo Scotto, qui et ipse Scottici nominis conditor fuit, nubere coegit, thori uarietatem supplicii loco reputans. Cuius dissessum regiis eciam uehiculis prosequutus, iniuriam beneficio pensauit. Sororis siquidem naturam, non ingenium

intuens, sue pocie fame, quam illius nequicie consulebat. Que fraternis meritis nihil ex consueti odii pertinacia remittens, noui mariti animum occidendi Frothonis occupandiique Danorum imperii consilio fatigabat. Segniter enim
 5 deserere solet animus, quiequid solido fuerit amore complexus, neque fluidis annis molitum continuo crimen elabitur. Primeuam | quippe mentem posterior imitatur affecio: nec cito uiciorum uestigia pereunt, que tenera moribus etas impresserit. Cum uacuas mariti aures haberet, insidias a
 10 fratre in uirum conuertit, mercede conductis, qui iugulum dormientis confoderent. Qua de re Scottus per pedissequam certior factus, nocte, qua cedis ministerium circa se peragendum || acceperat, lecto loricatus incessit. Rogatus ab Vluilda,
 15 quid ita assuete quietis usum ferreo cultu mutasset, sic ad presens sibi collibitum retulit. Cum somno obfusus putaretur, irrumptentes insidiarum ministros lecto delapsus obtruncat. Quo euenit, ut Vluildam insidiis fratri nectendis abstraheret, et aliis uxorum perfidiam cauendi documentum preberet.

20 Que dum geruntur, adoriende bello Fresie Frothoni consilium indicit, claritatem Orientis diuicione quesitam Occidentis oculis infundere auido. Oceanum petenti prima aduersum Vitthonem Fresorum piratam congressio fuit, in qua sociis primos hostium impetus solo clypearum obiectu
 25 pacienter excipere iussis, non ante missilibus utendum edixit. quam penitus hosti^(li)um iaculorum imbre exhaustum aduerterent. Que tanto a Fresis auidius emissa, quanto a Danis tolerabilius excepta, Vitthone Frothonis pacienciam a pacis cupiditate profectam existimante. Oritur ingens
 30 classicum, et immenso pila stridore dissultant. Cum nullum ineautis iaculum superesset, Danorum telis obfusi uincuntur. Fuga littus amplexi, inter flexuosos fossarum ambitus obtruncantur. Rhenum deinde classe rimatus, extremis Germanie partibus manus iniecit. Repetito Oceano, Fresorum classem uadosis inflictam uorticibus adortus, cede naufragium cumulauit. Nec tantas hostium acies obtruiisse contentus, Britanniam tentat. Cuius rege deuicto, Melbicum Scottice regionis prefectum aggreditur. Cui cum bellum illatus Britannorum regem imminere ex speculatore cognosset, tergoque simul ac pectori consulere nequiret,

militibus ad concessionem uocatis deserenda uehicula, abiiciendam supellectilem, aurumque, quod ab eis gestaretur, passim per arua disiiciendum edixit, affirmans, solam in opum effusione opem restare, nec aliud conclusis sub-
5 sidiuum superesse, quam hostem ab armis in auariciam pellicere. Libenter predam apud exterios quesitam supreme necessitati impendi debere; fore enim, ut hostes non minore auiditate collectam abiicerent, quam repartam corriperent, oneri pocius quam usui futuram.

10 Tunc Torkillus, auaricia ante alios insignis, ceterisque eloquio prestans, capite galea nudato, clypeo innexus: Mouet, inquit, rex, plerosque tue preceptionis austeritas, qui magni estimant, quod sanguine pepererunt. Egre proprieitur, quod maximo constat periculo quesitum. Inuiti de-
15 serunt, quod uite diserimin'e emerunt. Extreme enim demencie est, ui*rili animo ac manu parta muliebriter spernere opesque hosti insperatas afferre. Quid deformius, quam belli fortunam prede, quam gerimus, contemptu precurrere certumque et presens bonum dubii mali metu
20 relinqueret? Nondum Scottos aspeximus, et aruum auto spargemus? Quales in prelio existimandi sunt, quos bellum petentes sola bellorum eneruat opinio? An, qui hosti formidolosi fuimus, ridiculi crimus, claritatemque contemptu mutabimus? Mirabitur Britannus ab his se uictum, quos
25 solo uinci timore conspexerit. Illorum metu premeatur, quibus metum priores ingessimus? Quorum presenciam contempsimus, absenciam metuemus? Quando opes probitate mercabimus, quas timore uitamus? Pecunias | pro p. 76 quibus pugnauimus, pugnam uitando temnemus? Quos
30 paupertati subiicere debuimus, diuiciis imbuemus? Spolia fortiter cepimus; molliter iaciemus? Quid turpius a nobis committi poterit, quam aurum erogare, quibus ferrum infligere debemus? Pauor numquam eximet, quod uirtus peperit. Quod bello quesiuimus, bello linquendum est.
35 Tanti preda ueneat, quanti empta est; ferro precium ponderetur. Prestat speciosa defungi morte, quam lucis auiditate uilesccere. A uita paruulo temporis momento deserrimur; pudor eciam fatum insequitur. Huic accedit, quod iactantes aurum hostis hoc audius insequetur, quo maiore
40 metu urgeri crediderit. Preterea neutra nobis fortuna auri

odium facit. Victores namque ere, quod gestamus, ouabimus, uicti sepulture premio relinquemus. Hec senior.

At milites, regis pocius quam sodalis consilium intuentes, prioremque || exhortacionem postere preferentes, (2) 5 quod cuique opum erat, certatim loculis egerunt. Mannos quoque uarie supellectilis gerulos oneribus absoluunt; sique uacuefactis crumenis, armis habilius accinguntur. Quibus progressis, succedentes Britanni in patentem late predam dissiliunt. Quos rex circa pecunie raptum audius 10 equo occupatos conspiciens, cauere iubet, ne destinatas prelio manus opum onero fatigent, scientes, triumphum ante carpendum quam censem. Proinde, auro spreto, auri dominos insequantur, nec eris, sed uictorie fulgorem mirentur, meminerintque, sacius tropheum pensare, quam questum. 15 Pociorem esse metallo uirtutem, si rite amborum habitum mecientur. Hoc namque exteriorem ornatum conciliari, illam interno externoque cultui precium afferre. Quam obrem remotos a pecunie contemplacione oculos habeant, abstractumque auaricia animum belli studiis impendant. 20 Preterea nouerint, predam ab hostibus de industria reiectam, aurumque insidiis pocius, quam usui seminatum. Sed et simplicem argenti nitorem latentis hami fraude implicitum teneri. Neque enim facile fugisse existimandum, qui forte Britannorum gente fuge prior adegerit. Ceterum p. 25 nihil indignius opibus esse, que raptorem captiuant, dum ditare creduntur. Siquidem Danos, quibus opes obtulisse uideantur, ferro cedeque mulctandos duxisse. Itaque si sparsa rapiant, eo hostem instruere uiderentur. Si enim eris in medio positi specie tangerentur, non solum id, sed 30 et, si quid eis proprie pecunie superesset, amitterent. Quid enim colligere prodesset, que protinus erogare cogantur? Sin pecunie prosterni renuerint, hostem haut dubie prostratueros. Pocius itaque uirtute arduos, quam cupiditate pronos existere debere, nec occiduos in auariciam animos, 35 sed erectos in gloriam habendos esse; armis, non auro certandum fore.

Finiente rege, eques Britannicus, cunctis onustum auro gremium ostendens, Colliguntur, inquit, rex, ex oracione tua gemini rerum affectus, unus timoris, alter 40 maliuolencie testis, cum et opibus propter hostem uti pro-

hibeas, nosque egenos tibi quam locupletes militare sacius ducas. Quid hac deformius uoluntate? Quid exhortacione stolidius? Domesticas hic gazas agnoscimus; agnitas tollere dubitabimus? Quod armis repetere pergebamus, quod 5 sanguine recuperare contendimus, ultro resti*tutum uitabimus? Propria uendicare cunetabimur? Vter timidior est, qui parta fundit, an qui fusa legere pertimescit? En, quod necessitas ademit, casus reddidit. Non hostium, sed nostra hec spolia sunt; non attulit aurum Britannie Danus, 10 sed abstulit. Que subacti inuitique perdidimus, gratis redeuincia fugiemus? Nefas est tautum fortune beneficium indignanter excipere. Quid enim uesanius, quam opes in <pro>patulo constitutas despicer, conclusas ac ueritas affectare? Ante oculos collocata fastidio dabimus, fugiecia 15 captaturi? In medio positis abstinebimus, longinqua atque extera petituri? Quando peregrina predabimur, si propria | refutamus? Numquam deos tam infestos experiar, ut sinum paterna auitaque pecunia refertum tam iusto onere uacuefacere compellar. Noui Danorum luxum; 20 numquam plena meri uasa liquissent, ni timor aufugere compulisset. Facilius uitam deseruissent, quam uinum. Communis hic nobis affeccio est, hac illis imagine respondemus. Esto, fugam finixerint; ante tamen in Scottos incident, quam regredi queant. Numquam poreis procul- 25 candum aut beluis hoc aurum rure squalebit, humano melius usni seruiturum. Preterea, si exercitus, a quo uicti sumus, spolia rapimus, fortunam in nosmet uictoris transferimus. Quod enim cereius uictorie presagium accipi posset, quam pugnam preda precurrere, castraque ab 30 hostibus deserta ante prelum capere? Sacius est metu uicisse quam ferro.

Finierat uix eques, et ecce omnium effuse in predam manus nitida passim era carpsere. Mir<ar>eris illie obscene auditatis ingenium, speculari || posses immoderatum (27) 35 cupiditatis exemplum. Videres cum gramine pariter aurum conuelli, intestinum dissidium nasci, immemores hostium ciues ferro decernere, familiaritatis iura, societatis respectum negligi, auariciam omnes, amicicias neminem intueri.

Interea Frotho siluam, que Scottiam Britanniamque 40 secernit, uasto itinere permensus, arma milites capere iubet.

Cuius aciem speculati Scotti, cum sibi leuia tantum pila suppeteret, Danos uero prestanciori armature genere cultos conspicerent, pugnam fuga preueniunt. Quos Frotho Britannice effusionis metu modicum insecurus, Vlilde uirum 5 Scottum cum ingenti exercitu obuium recepit, quem e remotissimis Scottie finibus auxilii Danis ferendi cupido perduxerat. Per hunc Scottorum insectacione reicta, cursum in Britanniam reflectere iussus, predam, quam uafre reiecerat, acriter recuperauit. Igitur quo equiore animo 10 opes deseruit, hoc facilius recepit. Penituit tunc oneris Britannos, | sanguine penas auaricie dantes. Piguit in p. 7 expleta auditati brachia porrexisse. Puduit minus regie exhortacioni[s], quam proprie induluisse cupiditati.

Post hec celeberrimum insule oppidum Lundoniam 15 petit. Cuius murorum firmitate expugnacionis facultatem negante, mortis simulacione facta, uires ab astucia mutuatus est. Siquidem prefectus Lundonie Dalemannus, cum falsum de eius obitu nuncium accepisset, receptis in dedicionem Danis, ducem ex indigenis offert. Quem ut ex magno 20 aceruo legerent, oppidum intrare permisit. Quibus eleccionis diligenciam simulantibus, nocturnis insidiis circumuentus opprimitur.

His gestis, regem in patriam regressum Scato quidam conuiuio excipit, bellicis eius laboribus uoluptatis licenciam 25 permixturns. Apud quem Frotho dum regio more stratis auro puluinaribus accubaret, per Hundingum quendam ad dimicandum prouocatus, quanquam conuiu[i]alibus mentem gaudiis impendisset, plus pugne propinquitate quam epularum presencia delectatus, duello cenam, uictoria duellum 30 absoluit. In quo dubie salutis uulnere suscepto, rursum Haquini pugilis adhortacione perstrictus, prouocantis nece ulcionein irritate quietis exegit. Duos ex cubiculariis, palam insidiarum conuictos, ingentibus saxis affixos pelago obruit, ponderosum animi crimen annexa corporibus mole 35 mulctando. Ferunt quidam Vlildam tunc ei *insecabilem ferro uestem donasse, qua circumamictus nullo telorum acumine lederetur. Nec pretereundum, Frothonem contus commolitisque auri fragminibus cibos respurgere solitum, quibus aduersum familiares ueneficorum insidias 40 uteretur. Hic dum | Regnerum Suetie regem, falso pro- p. 80

dicionis insimulatum, bello lacescit, non telorum ui, sed armorum pondere et corporis estu strangulatus interiit, Haldano, Roe et Seato filii relictis.

His, uirtute paribus, equa regnandi incessit auditas.
 5 Imperii cuique cura extitit; fraternus nullum respectus astrinxit. Quem enim nimia sui caritas ceperit, aliena deserit, nec sibi quisquam ambiciose atque aliis amice consulere potest. Horum maximus Haldanus, Roe et Seato fratribus interfectis, naturam scelere polluit, regnum parri-
 10 cido carpsit, et ne ullum crudelitatis exemplum omitteret, comprehensos eorum fautores prius uinculorum pena choer-
 euit, mox suspendio consumpsit. Cuius ex eq maxime for-
 tuna ammirabilis fuit, quod, licet omnia temporum momenta
 ad exercenda atrocitatis officia contulisset, senectute uitam,
 15 non ferro finierit.

Huius filii Roe et Helgo fuere. A Roe Roskildia condita memoratur, quam post modum Sueno, furcate barbe cognomento clarus, ciuibus auxit, amplitudine propagauit. Hic breui angustoque corpore fuit. Helgonem habitus
 20 procerior cepit. Qui diuiso cum fratre regno, maris || pos-
 sessionem sortitus, regem Sclauie Scaleum maritimis copiis
 lacessum oppressit. Quam cum in prouinciam redegisset,
 uarios pelagi recessus uago nauigacionis genere perlustrabat.
 Hic licet ferocioris ingenii esset, luxuria tamen seuiciam
 25 equabat. Adeo siquidem projectus in Venerem extitit, ut
 ambigue existimacionis esset, tyrrannide magis an libidine arserit. Apud insulam Thoro uirgine Thora stuprum pati
 coacta, filiam suscepit, cui post modum Vrse uocabulum
 aptauit. Hundingum Saxonie regis Syrici filium, apud
 30 Stadium oppidum prelio uicit, eundemque ex prouocacione
 adortus duello prostrauit. Ob quod Hundingi interemper p. 81
 uocatus, uictorie decus cognomine | usurpauit. Iutie Saxonibus
 erepte ius procuracionemque Hesce, Eyr et Ler ducibus
 commisit. Apud Saxoniam ingenui ac liberti necem pari-
 35 summa rependendam constituit, perinde ac liquido constare
 uolens, quod cunctas Teutonum familias equa seruitus
 teneret, omniumque corrupta libertas parem condicionis
 ignominiam redoleret.

Cum ad insulam Thoro piraticam reflexisset, Thora,
 40 necdum- amisse uirginitatis merore deposito, turpi com-

mento nefariam stupri ulcionem excogitauit. Siquidem filiam nubilis etatis de industria littori immissam concubitu patrem maculare precepit. Qui licet insidiose uoluptatis illecebris corpus dedisset, animi tamen integritatem exuisse credendus non est, cum ei promptissimam erroris excusacionem ignorancie beneficium afferret. O stolidam matrem, que filie pudiciciam, ut suam ulcisceretur, exulare permisit, nec sanguinis sui castitatem curauit, dum modo incesti efficaret reum, per quem prior ipsa perdiderat celi-
 batum! Atrocem femine mentem, que ueluti secundam sui corrupcionem in penam corruptoris expendit, cum hoc ipso pocius iniuriam augere, | quam extenuare uideretur! p. 82 Quippe quo se ulcionem assequi credidit, culpam construxit, et dum noxam detrahere gestit, nefas adiecit, sobolis sue nouercam agendo, cuius, ut propriam expiaret infamiam, flagicio non pepert. Nec dubium eandem refertum im-
 pudencia animum gessisse, cuius tantus a pudore excessus erat, ut iniurie solacium filie probro petere non erubesceret. Magnum, sed uno expiable scelus, quod concubitus noxam fausta proles detersit, neque opinione tristius, quam fructu iocundius fuit. Siquidem genitus ex Vrsa Rolpho ortus sui infamiam conspicuis probitatis operibus redemit, quorum eximum fulgorem omnis eui memoria specioso laudum preconio celebrat. Fit enim, ut letis lugubria finiantur et in speciosos exitus turpiter auspicata con*cedant. Igitur XVI.
 ut flagiosus, ita felix patris error extitit, quem tanta luce mirificus post modum filius expiauit.

Interea Regnero apud Suetiam defuncto, coniunx eius Suanhuita paruo post et ipsa morbo ex mesticia con-
 tracto, decedit, fato uirum insecura, a quo uita distrahi passa non fuerat. Fieri namque solet, ut quidam ob ex-
 imiam caritatem, quam uiuis impenderant, eciam uita ex-
 cedentes comitari contendant. His filius Hothbodus suc-
 cedit, qui proferendi imperii studio Orienti bellum intulit,
 ac post immensam populorum cladem Atislum et Høtherum
 filios procreauit. Hisdem Geuarum quandam, egregiis sibi
 meritis deuinctum, pedagogum adciuit. Nec Orientis uictoria
 contentus, Daniam petit, eiusque regem Roe tribus preliis
 prouocatum occidit. His cognitis Helgo filium Roluonem
 Lethrica arce conclusit, heredis saluti consulturus, utcun-

que suam fortuna[m] tractasset. Deinde presides ab Hothbrodo immissos, ut externo patriam dominio liberaret, missis per oppida satellitibus, cede subegit. Ipsum quoque Hothbrodum cum omnibus copiis nauali pugna deleuit; 5 nec solum fratris, sed eciam patrie iniuriam plenis ulcionis armis pensauit. || Quo euenit, ut, cui nuper ob Hundingi (29) cedem agnomen incesserat, nunc Hothbrodi strages cognomentum inferret. Preterea Sueones, perinde | ac parum p. 83 preliis afflictos, abiectissimo condicionis instituto mulctauit, 10 lege sanciens, ne cuiuspiam eorum iuxta legitimarum compositionum formulam lesio sarciretur. His gestis, ob superioris flagicij ruborem patriam penatesque perosus, repetito Oriente, decedit. Opinantur quidam, quod exprobrate sibi turpitudinis anxius super districtum gladium 15 incumbendo uoluntaria se morte consumpsserit.

Huic filius Roluo succedit, uir corporis animique dotibus uenustus, qui stature magnitudinem pari uirtutis habitu commendaret. Cuius temporibus cum Danorum imperio Suetia subiaceret, Atislus Hothbrodi filius, liberande 20 patrie racione callidius quesita, matrem Roluonis Vrsam coniugio sibi sociandam curauit, intercedente connubii affinitate efficaciores priuigno monitus super tributi laxacione daturus. Nec fortunam uotis aduersam habuit. Hic a puero liberalitatis odio imbutus adeo pecunie tenax extitit, 25 ut munificum haberi infamie loco duceret. Quem cum Vrsa tantis auaricie sordibus obfusum uideret, ideoque eo carere cuperet, insidiis agendum rata, mira artis superficie fraudis formulam texit. Impietatis quippe simulacionem amplexa, maritum, capessende libertatis ammonitum, noua- 30 runi rerum exhortacione sollicitat, filiumque, maximis muneribus promissis, Suetiam arcessiri curat. Ita namque se uotis maxime potitaram credebat, si, filio aurum uictrixi nacto, regias opes fugiendo conuellere, uirumque non tantum thoro, sed eciam pecunia fraudare potuisset. Neque enim 35 auariciam ullo melius, quam opum subtraccione mulctandum putabat. Cuius doli profunditas, ab intimis astucie modis profecta, haud facile ex hoc discerni poterat, quod permutandi thori studium affectate libertatis imagine col- 40 ratabat. Cecam uiri mentem, que matrem aduersum filii caput exarsisse putauit, nec suam pocius strui perniciem p. 84

intellexit! Stolidum mariti sensum, qui pernicacem uxoris industriam non aduertit, transferendi connubii copiam filialis odii specie molientem! Cum enim nulla muliebribus animis fiducia debeatur, is tanto stolidorem femine fidem detulit, quanto facilius eam sibi fidam, filio insidiosam putauit. Igitur promissorum magnitudine excitus Roluo, cum Atisli forte penates ingressus ob absencie diuturnitatem conuictusque dissuetudinem parum a matre cognosceretur, leniente famis subsidium per iocum petere cepit. Qua prandium a rege poscendum hortante, laceram uestis sue partem exerens, operam consuentis exposcit. Cum obseratas matris aures haberet, difficile, inquit, ueram ac solidam amiciciam reperiri, cum filio mater epulum, f(r)atri soror suendi obsequium neget. Ita matris errore mulctato, magnum eidem negate humanitatis ruborem iniecit. Quem cum Atislus inter epulas matri discubitu iunctum aspiceret, utrumque lasciuie increpans, impudicum fratris sororisque concessum asseruit. Cui Roluo, honestum in filio materne caritatis amplexum, respondit, lacesse integritatis defensionem ab arctissimo nature uinculo mutuatus. Idem, percunctantibus conuiuis, quod fortitudinis genus ceteris anteferret, pacienciam nominauit. Interrogatus ab iisdem Atislus, cui potissimum uirtuti uotorum suorum studium obligasset, liberalitatis sibi professiouem aptauit. Exiguntur igitur hinc animositatis, inde munificcie pacta; priorque Roluo uirtutis experimentum edere iubetur. Qui cum igni applicaretur, parmulam parti, qua acrius urgebatur, obiecit, alteroque laterum defenso, reliquum munimento uacuum unico pacience duramento firmauit. Magna uiri solertia, leniendi ardoris presidium a clypeo mutuantis, ut inde exposito flammis corpori propugnaret, unde eidem inter stridencia quandoque tela consuluisse. Estus tamen telis acrior, cum uallatam clypeo partem expugnare non posset, defectum munimine latus inuasit. Quem pedissequa, que forte propter || focum astabat, intolerabili costarum ardore (30) torrei conspiciens, egesta dolio clepsedra, fuso flammarum humore sopiuit, mediasque incendii penas tempestiuo liquoris beneficio repressit. Roluo paciencie consummacione laudatur. Post hec Atisli munera requiruntur. Ferunt illum,

collatis in priuignum opibus, ad ultimum ingentis ponderis torquem, quo donum cumulacius redderet, expendisse.

Igitur Vrsa tercio conuiui die, edende fraudis copiam auecupata, suspicato nil tale coniuge, regia pecunia uehiculis 5 imposta, propriis se penatibus furtiuo subduxit egressu, sublustrique nocte fugam cum filio consecuta discedit. Insequentis se uiri metu percita, per summam ulterioris fuge diffidenciam comites abiiciende pecunie iussu sollicitat, uita uel opibus carituros affirmans; unicum salutis 10 compendium in eris abieccione repositum, nec fuge subsidiuni nisi rerum damno carpendum. Eodem itaque exemplo utendum, quo sibi Frothonem apud Britannos consuluisset proditum erat. Adiecit eciam, non magno constare, si propria Suetis resumenda deponerent, dum inde sibi p. 86 15 fuge profectus, unde eis insecucionis defectus, accederet, magisque aliena restitui, quam sua deserit uiderentur. Nec mora; quo fuga celerius carperetur, regine iussa complentur. Aurum crumenis egeritur, opes hostium raptui relinquentur. Sunt qui asserant, Vrsam, retentis pecuniis, es 20 auro oblitum fuge sue uestigiis instrauisse. Credi namque poterat, feminam ingencia molitam facinora metallum quoque iactui destinatum inani fulgore pinxisse, uerarum opum precia mendacis auri iubare simulantem. Videns igitur Atislus donatum Roluoni torquem inter alia auri insignia 25 relictum, intimum auaricie sue pignus curiosius contemplatus, ut predam exciperet, affixis humi genibus cupiditati maiestatem inclinare sustinuit. Quem Roluo tollende pecunie gracia pronum dimissumque conspiciens, propriis prostratum muneribus risit, perinde ac cupide repetentem, 30 quod callide tribuisse. Contentis preda Suetis, ociosus ad naues se recipit, fugamque uehementi remorum conatu captauit. Ferunt autem illum, quicquid prestare posceretur, prime supplicioni prompta liberalitate tribuere solitum, nec umquam ad secundam petentis uocem distulisse roga- 35 tum. Siquidem precum iteracionem munificencie uelocitate precurrere, quam beneficium tarditate notare maluit. Que res ei maximam athleta*rum frequenciam conciliauit. Ple- XVII^a runque enim uirtus aut premiis pascitur, aut laudibus inicitatur.

40 Per idem tempus Agnerus quidam Ingelli filius soro-

rem Roluonis, Rutam nomine, matrimonio ducturus, ingenti
 conuiuio nupcias instruit. In quo cum pugiles omni pe-
 tulancie genere debacchantes in Ialtonem quendam nodosa
 passim ossa coniicerent, accidit, ut eius consessor, Biarco
 5 nomine, iacentis errore uehemementem capite ictum exciperet.
 Qui dolore pariter ac ludibrio laccessitus, osse inuicem in
 iacentem remisso, frontem eius in occuput reflexit idem-
 que loco frontis intorsit, transuersum hominis animum uul-
 tus obliquitate mulctando. Ea res contumeliosam ioci p. 87
 10 insolenciam temperauit, pugilesque regia abire coegit. Qua
 conuiuuii iniuria permotus sponsus ferro cum Biarcone de-
 cernere statuit, uiolate hilaritatis ulcionem duelli nomine
 quesiturus. In cuius ingressu, utri prior feriendi copia de-
 beretur, diutule certatum est. Non enim antiquitus in
 15 edendis agonibus crebre ictuum uicissitudines petebantur,
 sed erat cum interuallo temporis eciam feriendi distincta
 successio, rarisque sed atrocibus plagis certamina gereban-
 tur, ut gloria pocius percussionum magnitudini, quam nu-
 mero deferretur. Prelato ob generis dignitatem Agnero,
 20 tanta ui ictum ab eo editum constat, ut, prima cassidis
 parte consissa, supremam capitum cuticulam uulneraret,
 ferrumque mediis galee interclusum foraminibus dimitteret.
 Tunc Biarco mutuo percussurus, quo plenius ferrum libraret,
 pedem trunco annixus, medium Agneri || corpus prestantis (31)
 25 acuminis mucrone transegit. Sunt qui asserant, morientem
 Agnerum soluto in risum ore per summam doloris dissim-
 mulacionem spiritum reddidisse. Cuius ulcionem pugiles
 audius expertentes, simili per Biarconem exicio mulctati
 sunt. Vtebatur quippe prestantis acuminis inusitateque
 30 longitudinis gladio, quem Loui uocabat. Talibus operum
 meritis exultanti nouam de se siluestris fera uictoriā
 prebuit. Vrsum quippe eximie magnitudinis obuium sibi
 inter dumeta factum iaculo confecit, comitemque suum
 Ialtonem, quo viribus maior euaderet, applicato ore ege-
 35 stum belue cruorem haurire iussit. Creditum namque erat,
 hoc pocionis genere corporei roboris incrementa prestari.
 His facinorum uirtutibus clarissimas optimatum familiariti-
 ates adeptus, | eciam regi percarus euasit; sororem eius p. 88
 Rutam uxorem adciuit, uictique sponsam uictorie premium
 40 habuit. Ab Atislo laccessiti Roluonis ulcionem armis exe-

git, eumque uictum bello prostrauit. Tunc Roluo magni acuminis iuuenem Hiarthwarum nomine, sorore Sculda sibi in matrimonium data, annuoque uectigali imposito, Suetie prefectum constituit, libertatis iacturam affinitatis 5 beneficio lenitus.

Hoc loci quiddam memoratu iocundum operi inseratur. Adolescens quidam Wiggo nomine, corpoream Roluonis magnitudinem attenciori contemplacione scrutatus, ingenio eiusdem admiracione captus, percontari per ludibrium 10 cepit, quisnam esset iste Krage, quem tanto stature fastigio prodiga rerum natura ditasset, faceto cauillacionis genere inusitatum proceritatis habitum prosecutus. Dicitur enim lingua Danica Krage truncus, cuius semicesis ramis fastigia condescenduntur, ita ut pes, precisorum stipitum obsequio 15 perinde ac scale beneficio nixus sensimque ad superiora prouectus, petite celsitudinis compendium assequatur. Quem uocis iactum Roluo perinde ac inclytum sibi cognomen amplexus, urbanitatem dicti ingentis armille dono prosequitur. Qua Wiggo dexteram exultam extollens, leua 20 per pudoris simulacionem post tergum reflexa, ridiculum corporis incessum prebuit, pre*fatus, exiguo letari munere, quem sors diutine tenuisset inopie. Rogatus, cur ita se gereret, inopem ornamenti manum nulloque cultus beneficio gloriantem ad aspectum relique uerecundo pauper- 25 tatis rubore perfundi dicebat. Cuius dicti calliditate consentaneum priori munus obtinuit. | Siquidem Roluo manum, que ab ipso occultabatur, exemplo relique in medium accersendam curauit. Nec Wiggoni rependendi beneficij p. 89
cura defuit. Siquidem arietissima uoti nuncupacione polli- 30 citus est, si Roluonem ferro perire contingeret, ulcionem se ab eius interfectoribus exacturum. Nec pretereundum, quod olim ingressuri curiam proceres famulatus sui principia alicuius magne rei uoto principibus obligare solebant, uirtute tirocinium auspicantes.

35 Interea Sculda, tributarie solucionis pudore permota, diris animum commentis applicans, maritum, exprobrata condicionis deformitate, propulsande seruitutis monitu concitatum atque ad insidias Roluoni nectendas perductum atrocissimis nouarum rerum consiliis imbuit, plus unum- 40 quenque libertati quam necessitudini debere testata. Igitur

crebras armorum massas diuersi generis tegminibus obuolutas tributi more per Hiarthwarum in Daniam perferri iubet, occidendi noctu regis materiam prebituras. Refertis itaque falsa uectigalium mole nauigiis, Lethram pergitur,
 5 quod oppidum, a Roluone constructum eximiisque regni opibus illustratum, ceteris confinium prouinciarum urbibus regie fundacionis et sedis auctoritate prestabat. Rex aduentum Hiarthwari conuiualis impense deliciis prosecutus ingenti se pocione proluerat, hospitibus preter morem ebrietatis intemperanciam formidantibus. Ceteris igitur alciorem carpentibus somnum, Sueones, quibus scelesti libido propositi communem quietis usum ademerat, cubiculis furtim delabi cepere. Aperitur illico telorum oclusa congeries, et sua sibi quisque tacitus arma connectit. Deinde regiam
 10 petunt, irruptisque penetralibus in dormientium corpora ferum destringunt. Experrecti complures, quibus non minus subite cladis horror, quam somni stupor incesserat, dubio nisu discrimini restitere, socii an hostes occurserent, p. 90
 15 noctis errore incertum reddente. Eiusdem forte silencio (32) petunt, irruptisque penetralibus in dormientium corpora ferum destringunt. Experrecti complures, quibus non minus subite cladis horror, quam somni stupor incesserat, dubio nisu discrimini restitere, socii an hostes occurserent, p. 90
 noctis errore incertum reddente. Eiusdem forte silencio
 20 noctis Hialto, qui inter regios proceres spectate probitatis merito precminebat, rus egressus, scorti se complexibus dederat. Hic cum obortum pugne fragorem stupida procul aure sensisset, fortitudinem luxurie pretulit, maluitque funestum Martis discrimen appetere, quam blandis Veneris
 25 illecebris indulgere. Quanta hunc militem regis caritate flagrasse putemus, qui, cum ignorancie simulacione excusacionem absencie prestare posset, salutem suam manifesto periculo obiicere, quam uoluptati seruare sacius existimauit? Discedentem pellex percunctari cepit, si ipso ca-
 30 reat, cuius etatis uiro nubere debeat. Quam Hialto, perinde ac secrecius allocuturus, propius accedere iussam, indignatus amoris sibi successorem requiri, preciso naso deformem reddidit, erubescendoque uulnere libidinose percunctacionis dictum mulctauit, mentis lasciuiam oris iactura
 35 temperandam existimans. Quo facto, liberum quesite rei iudicium a se ei relinqui dixit. Post hec repetito ociosus oppido, confertissimis se globis immersit, aduersasque acies mutua uulnerum infliccione prosternit. Cumque dormientis adhuc Biarconis cubiculum preteriret, exergisci iussum,
 40 tali uoce compellat:

- Ocius euigilet, quisquis se regis amicum
 Aut meritis probat, aut sola pietate fatetur.
 Discuciānt somnum proceres, stupor improbus absit; p. 91
 Incaleant animi uigiles; sua dextera quenque XVIII^a
 5 Aut fame dabit, aut probro perfundet inertis;
 Noxque hec aut finis erit, aut vindicta malorum.
 Non ego uirgineos iubeo cognoscere ludos,
 Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
 10 Oscula conferre et tenues astringere mammas,
 Non liquidum captare merum, tenerumue fricare
 Femen, et in niueos oculum iactare lacertos.
 Euoco uos ad amara magis certamina Martis.
 Bello opus est, nec amore leui; nihil hic quoque facti
 15 Mollicies eneruis habet; res prelia poseit.
 Quisquis amiciciam regis colit, arma capessat. p. 92
 Pensandis animis belli promptissima laus est.
 Ergo uiris timidum nihil, aut leue fortibus insit,
 Destituantque animos armis cessura uoluptas.
 20 In precio iam fama manet, laudis sibi quisque
 Arbiter esse potest, propriaque nitescere dextra.
 Instructum luxu nihil assit; plena rigoris
 Omnia presentem discant exsoluere cladem.
 Non debet laudis titulos aut premia captans
 25 Ignauo torpere metu, sed fortibus ire
 Obuius, et gelidum non expallescere ferrum.
- Ad hanc uocem expergefactus Biarco cubicularium
 suum Sealcum, ocios excitatum, hoc alloquitur modo:
- Surge puer, crebroque ignem spiramine pasce;
 Verre larem ligno, et tennes dispelle fauillas.
 30 Scintillas extunde focis, ignisque iacentes
 Erige reliquias, et operatas elice flamas.
 Languentem compelle larem producere lumen,
 Ardentи rutilas accendens stipite prunas.
 Proderit admota digitos extendere flamma.
 35 Quippe calere manu debet, qui curat amicum,
 Et nocui penitus liuoris pellere frigus. (33)
- Rursum Hialto : p. 93
- Dulce est nos domino percepta rependere dona,
 Acceptare enses, fameque impendere ferrum.

En uirtus sua quenque monet, meritum bene regem p. 94
 Rite sequi, dignaque ducem grauitate tueri.
 Enses Teutonici, galee, armilleque nitentes,
 Lorice talo immisse, quas contulit olim
 5 Roluo suis, memores acuant in prelia mentes.
 Res petit et par est, quecunque per ocia summa
 Nacti pace sumus, belli dicioue mereri,
 Nec letos cursus mestis preponere rebus,
 Aut duris semper easus preferre secundos.
 10 Mente pari proceres sortem capiamus utranque, XVIIIIB
 Nec mores fortuna regat; quia condecet eque
 Delicias ac dura pati, uultuque sub illo
 Ducamus tristes, quo dulces hausimus annos.
 Omnia que poti temulento prompsimus ore,
 15 Fortibus edamus animis, et uota sequamur
 Per summum iurata Iouem, superosque potentes.
 Danorum primus herus est meus; assit eidem,
 Ut probus est quisque; procul hinc, procul este fugaces!
 Forti opus est stabilique uiro, non terga ferente
 20 In dubium, bellie truces metuente paratus.
 Maxima sepe duci uirtus ex milite pendet.
 Tanto etenim princeps aciem securior intrat,
 Quanto illum melius procerum stipauerit agmen.
 Arripiat digitis pugnacibus arma satelles,
 25 Initiens dextram capulo, clypeumque retentans,
 Inque hostis ruat, et nulos expalleat ictus.
 Nemo se retro feriendum prebeat hosti,
 Nemo enses tergo excipiat; pugnacia semper
 Pectora vulneribus pateant. Certamina prima
 30 Fronte gerunt aquile, et rapidis se rictibus urgent
 Anteriore loco; species uos alitis equet,
 Aduero nullam metuentes corpore plagam.
 Ecce furens equoque sui fidencior hostis,
 Ferro artus, faciemque aurata casside tectus,
 35 In medios fertur cuneos, ceu uincere certus
 Intimidusque fuge et nullo superabilis ausu.
 Suetica (me miserum) Danos fiducia spernit,
 Ecce truces oculis Gotthi, uisuque feroce
 Cristatis galeis hastisque sonantibus instant;
 40 In nostro ualidam peragentes sanguine cladem,

Distingunt gladios, et acutas cote bipennes.
 Quid te, Hiaruare, loquar? quem Sculda nocente repleuit
 Consilio, tantaque dedit crudescere culpa?
 Quid te, infande, canam, nostri discriminis auctor,
 5 Proditor eximii regis, quem sua libido
 Imperii tentare nefas furiisque citatum
 Coniugis eternam pepulit pretendere noxam?
 Quis te error factum Danis dominoque nocentem
 10 Precipitauit in hoc rerum scelus? unde subibat
 Impietas tanto fraudis constructa paratu?
 Quid moror? Extremam iani degustauimus escam. (34)
 p. 96
 Rex perit, et miseram sors ultima corripit urbem.
 Illuxit suprema dies, nisi forte quis assit.
 Tam mollis, qui se plagis prebere timescat,
 15 Aut imbellis ita ut domini non audeat ulti
 Esse sui, dignosque animo proscriptib honores.
 Tu quoque consurgens niueum caput exere, Ruta,
 Et latebris egressa tuis in prelia prodi.
 Cedes te foris acta uocat. Iam curia bellis
 20 Concutitur, diroque strepunt certamine porte.
 Loricas lacerat ferrum, dirumpitur hamus
 Nelixilis, et crebro cedunt precordia telo.
 Iam clypeum regis uaste minuere secures;
 Iam longi resonant enses, crepitatque bipennis
 25 Humanis impacta humeris, et pectora findens.
 Quid pauitant animi? quid hebescit languidus ensis?
 Porta uacat nostris, externo plena tumultu.

Cumque Hialto niagna ad modum strage edita prelium
 eruentasset, tercio tabernaculum Biarconis offenderat, quem
 30 metus causa audum quietis ratus tali ignauie exprobracione
 pertentat:

Vt quid abes Biarco? num te sopor occupat altus?
 Quid tibi, queso, more est? Aut exi, aut igne premeris.
 Elige quod prestat! eia! concurrite mecum!
 35 Igne ursos arcere licet; penetralia flammis
 Spargamus, primosque petant incendia postes.
 Excipiat torrem thalamus, tectique ruina
 Fomentum flammis, et alendo prebeat igni.
 Fundere damnatis fas est incendia portis.

At nos, qui regem uoto meliore ueremur,
 Iungamus cuneos stabiles, tutisque phalangem
 Ordinibus mensi, qua rēx precepit, eamus:
 Qui natum Bōki Rōricum strauit auari,
 Implicuitque uirum leto uirtute carentem.
 Ille quidem prestans opibus, habituque fruendi
 Pauper erat, probitate minus quam fenore pollens;
 Aurum milicia pocius ratus, omnia lucro
 Posthabuit, laudisque carens congesit aceruos.
 Eris, et ingenuis uti contempsit amicis.
 Cumque lacesitus Roluonis classe fuisse,
 Egestum cistis aurum deferre ministros
 Iussit, et in primas urbis diffundere portas,
 Dona magis quam bella parans, quia militis expers
 Munere, non armis tentandum credidit hostem,
 Tanquam opibus solis bellum gesturus, et usu
 Rerum, non hominum Martem producere posset.
 Ergo graues loculos et dicia claustra resoluit,
 Armillas teretes et onustas protulit arcas,
 Exicii fomenta sui, ditissimus eris,
 Bellatoris inops, hostique adimenda relinquens
 Pignora, que patriis prebere pepercit amicis.
 Annellos ultro metuens dare, maxima nolens
 Pondera fudit opum, ueteris populator acerui.
 Rex tamen hunc prudens, oblataque munera spreuit,
 Rem pariter uitamque adimens; nec profuit hosti (35)
 Census iners, quem longo auidus cumulauerat euo,
 Hunc pius inuasit Roluo, summasque perempti
 Cepit opes, inter dignos partitus amicos,
 Quicquid auara manus tantis congesserat annis;
 Irrumpensque opulenta magis, quam fortia castra,
 Prebuit eximiam sociis sine sanguine predam.
 Cui nil tam pulcherum fuit, [a]ut non funderet illud,
 Aut earum, quod non sociis daret, era fauillis
 Assimilans, famaque annos, non fenore mensus.
 Vnde liquet, regēni claro iam funere functum
 Preclaros egisse dies, speciosaque fati
 Tempora, preteritos decorasse uiriliter annos.
 Nam uirtute ardens, dum uiueret, omnia uicit,
 Egregio dignas sortitus corpore uires.

Tam preceps in bella fuit, quam concitus amnis
In mare decurrit, pugnamque capessere promptus,
Vt ceruus rapidum bifido pede tendere cursum.

Ecce per infusas humana tabe lacunas

p. 99

- 5 Cesorum excusso dentes rapiente crux
Profluui oto, et scabris limantur arenis.
Splendescunt limo allisi, lacerataque torrens
Sanguinis ossa uehit, truncosque superfluit artus.
10 Danicus humescit sanguis, stagnatque cruenta
Lacius eluuies, et corpora sparsa reuolut
Elisus uenis uapidum spumantibus amnis.
Impiger inuehitur Danis Hi<arth>uarus, amator
Martis, et extenta pugnantes prouocat hasta.
Attamen hic inter discrimina fataque belli
15 Frothonis uideo letum arridere nepotem,
Qui Firiuallinos auro conseuerat agros.
Nos quoque leticie species extollat honesta,
Morte secuturos generosi fata parentis.
Voce ergo simus alacres, ausuque uigentes.
20 Namque metum par est animosis spernere dictis,
Et memorabilibus letum con<s>ciscere factis.
Deserat os animumque timor; fateamur utroque
Intrepidos nisus, ne nos nota iudicet ulla
Parte aliqua signum dubii prestare timoris.

p. 100

- 25 Librentur stricto meritorum pondera ferro.
Gloria defunctos sequitur, putrique fauille
Fama superstes erit, nec in ullum decidet euum,
Quod perfecta suo patrauit tempore uirtus.
Quid clausis agitur foribus? quid pessula ualuas
30 Iuncta seris cohibent? Etenim iam tercia te uox,
Biarco, ciet, clausoque iubet procedere tecto.

XX^a

Contra que Biarco:

- Quid me Roluonis generum, quid, bellice Hialto,
Tanta uoce cies? Etenim qui magna profatur,
Grandiloquisque alios uerbis inuitat ad arma,
Audere et dicta factis equare tenetur,
Vt uocem fateatur opus. Sed desine, donec
Armer, et horrendo belli precingar amictu.
Iamque ensem lateri iungo, iam corpore primū

25

Lorica galeaque tegor, dum tempora cassis (36)
 Excipit, et rigido conduntur pectora ferro.
 Nemo magis clausis refugit penetralibus uri
 Cumque sua rogus esse domo; licet insula memet
 5 Ediderit, stricteque habeam natalia terre,
 Bissenas regi debebo rependere gentes,
 Quas titulis dedit ille meis. Attendite, fortis!
 Nemo lorica se uestiat interituri
 Corporis; extreum perstringat nexile ferrum;
 10 In terguin redeant clypei; pugnemus apertis
 Peitoribus, totosque auro densate lacertos.
 Armillas dextre excipient, quo forcius ictus
 15 Collibrare queant, et amarum figere uulnus.
 Nemo pedem referat! Certatim quisque subire
 Hostiles studeat gladios hastasque minaces,
 Vt carum ulciscamur herum. Super omnia felix,
 Qui tanto sceleri uindictam impendere possit
 20 Et fraudum iusto punire piacula ferro.
 Eece michi uideor ceruum penetrasse ferocem
 Teutonico certe, qui Snyrtir dicitur, ense,
 A quo belligeri cepi cognomen, ut Agner
 Ingelli natum fudi retulique tropheum.
 Ille meo capiti impactum perfregit Høthingum,
 25 Elisum morsu gladium, maiora datus
 Vulnera, si melius ferri uiguisset acumen.
 Cui contra leuam lateris cum parte sinistri
 Dissecui dextrumque pedem, labensque sub artus
 Incidit in medias ferrum penetrabile costas.
 Hercule nemo illo uisus michi forcior umquam.
 30 Semiuigil subsedit enim cubitoque reclinis
 Ridendo exceptit letum, mortemque cachinno
 Spreuit, et Elisium gaudens successit in orbem.
 Magna uiri uirtus, que risu calluit uno
 Supremam celare necem, summumque dolorem
 35 Corporis ac mentis leto compescere iultu!
 Nunc quoque cuiusdam preclaro stemmate nati
 Vitales fibras ferro rimabar eodem,
 Et ferrum penitus intra precordia mersi.
 Filius hic regis et auito sanguine lucens
 40 Indole clarus erat, tenerisque nitencior annis.

p. 101

p. 102

p. 103

XX^b

Non illi hamatum poterat prodesse metallum,
 Non ensis, non umbo teres; tam uiuida ferri
 Vis erat, obiectis tardari nescia rebus.
 Ergo duces ubi sunt Gotthorum, milicieque
 5 Hiartuari? Veniant, et uires sanguine pensent.
 Qui iaciunt, qui tela rotant, nisi regibus orti?
 Surgit ab ingenuis bellum; clarissima Martem
 Stemmatu conficiunt; nec enim vulgaribus ausis
 Res agitur, quam sola ducum discrimina tentant.
 10 Illustris obeunt proceres. En, maxime Roluo,
 Magnates cecidere tui, pia stemmata cessant.
 Non humile obscurumue genus, non funera plebis
 Pluto rapit uilesque animas, sed fata potentum
 Implicat, et claris complet Phlegethonta figuris.
 15 Non memini certainen agi, quo prompctius esset
 Alternare enses, partirique ictibus ictus.
 Dans unum tres accipio; sic mutua Gotthi
 Vulnera compensant, sic dextra potencior hostis
 Vindicat acceptam cumulato fenore penam.
 20 Quanquam adeo solus multorum funere leto
 Corpora tradiderim pugnans, ut imagine collis
 Editus e truncis excresceret artubus agger,
 Et speciem tumuli congesta cadauera ferrent.
 Et quid agit, qui me nuper prodire iubebat,
 25 Eximia se laude probans, aliosque superba
 Voce terens, et amara serens opprobria, tanquam
 Vno bissenas complexus corpore uitias?

p. 104

p. 105
(37)

Ad hec Hialto:

Quanquam subsidio tenui fruor, haud procul absum;
 30 Hac quoque, qua stamus, opus est ope, nec magis usquam
 Vis aut lecta manus promptorum in bella uirorum
 Exigitur. Iam dure acies, et spicula scutum
 Frustatim secuere meum, partesque minutim
 Auulsas absumpsit edax per prelia ferrum.
 Prima sibi testis res est, seque ipsa fatetur.
 35 Fama oculo cedit, uisusque fidelior aure est.
 Rupti etenim elypei retinacula sola supersunt,
 Sectus et in giro remanet michi perui[d]us umbo.

p. 106

XXI*

Et nunc, Biarco, uiges, quanquam cunctacior eque
Extiteris, damnumque more probitate repensas.

At Biarco :

Carpere me necdum probrisque lacessere cessas?
5 Multa moras afferre solent. Namque obuius ensis
Cunctandi michi causa fuit, quem Sueticus hostis
In mea preualido contorsit pectora nisu.
Nec parce gladium capuli moderator adegit;
Nam quantum in nudo uel inermi corpore fas est,
10 Egit in armato; sic duri tegmina ferri
Vt molles traiecit aquas; nec opis michi quicquam
Aspera lorice poterat committere moles.
Et nunc ille ubi sit, qui uulgo dicitur Othin
Arripotens, uno semper contentus ocello?
15 Dic michi, Ruta, precor, usquam si conspicis illum?

Ad hec Ruta :

Adde oculum proprius et nostras prospice chelas,
Ante sacraturus uictrici lumina signo,
Si uis presentem tuto cognoscere Martem.

Tum Biarco :

p. 107

Si potero horrendum Frigge spectare maritum,
Quantumcunque albo clypeo sit tectus, et altum
Flectat equum, Lethra nequaquam sospes abibit;
Fas est belligerum bello prosternere diuum.

25 Ante oculos regis clades speciosa cadentes
Excipiat. Dum uita manet, studeamus honeste
Posse mori, clarumque manu decerpere funus.

Ad caput extincti moriar ducis obrutus, ac tu
Eiusdem pedibus moriendo allabere pronus,

Vt uideat, quisquis congesta cadauera lustrat,
Qualiter acceptum domino pensauimus aurum.

Preda erimus coruis, aquilisque rapacibus esca,

Vesceturque uorax nostri dape corporis ales.

Sic belli intrepidos proceres occumbere par est,

85 Illustrēm socio complexos funere regem.

p. 108

(38)

Hanc maxime exhortacionum seriem idcirco metrica
racione compegerim, quod earundem sentenciarum intel-
lectus Danici cuiusdam carminis compendio digestus a com-
pluribus antiquitatis peritis memoriter usurpatur.

5 Contigit autem, potitis uictoria Gothis, omne Roluo-
nis agmen occumbere, neminemque, excepto Wiggone, ex
tanta iuuentute residuum fore. Tantum enim excellentis-
simis regis meritis ea pugna a militibus tributum est, ut
ipsius cedes omnibus oppetende mortis cupiditatem inge-
10 neraret, eique morte iungi uita iocundius duceretur.

Letus Hiartuarus prandendi gracia positis mensis
conuiuium pugne succedere iubet, uictoriani epulis prose-
cuturus. Quibus oneratus magne sibi ammiracioni[s] esse
dixit, quod ex tanta Roluo*nis milicia nemo, qui saluti xxIb
15 fuga aut capcione consuleret, repertus fuisset. Vnde liqui-
dum fuisse, quanto fidei studio regis sui caritatem coluerint,
eui superstites esse passi non fuerint. Fortunam quoque,
quod sibi ne unius quidem eorum obsequium superesse
permiserit, causabatur, quam libentissime se talium uirorum
20 famulatu usurum testatus. Oblato Wiggonc perinde ac
munere gratulatus, an sibi militare uellet, perquirit. An-
nuenti destrictum gladium offert. Ille cuspidem refutans,
capulū petit, hunc morem Roluoni in porrigendo militi-
bus ense extitisse prefatus. Olim namque se regum clien-
25 tele daturi, tacto gladii capulo obsequium polliceri solebant.
Quo pacto Wiggo capulum complexus, cuspidem per Hiart-
uarum agit, ulcionis compos, cuius Roluoni ministerium
pollicitus fuerat. Quo facto, ouans irruentibus in se Hiart-
uari militibus cupidius corpus obtulit, plus uoluptatis se
30 ex tyranni nece, quam amaritudinis ex propria sentire
uociferans. Ita conuiuio in exequias uerso, uictorie gau-
dium funeris luctus insequitur. Clarum ac semper memo-
rabilem uirum, qui uoto fortiter expleto, mortem sponte
complexus suo ministerio mensas tyranni sanguine macu-
35 lauit. Neque enim occidencium manus uiuax animi uirtus
expauit, cum prius a se loca, quibus Roluo assueuerat,
interfectoris eius cruore respersa cognosceret. Eadem
itaque dies Hiartuari regnum finiuit ac peperit. Fraudu-
lenter enim quesite res eadem sorte defluunt, qua petun-
40 tur, nullusque diuturn[i]us est fructus, qui scelere ac per-

fidia partus fuerit. Quo euenit, ut Sueones, paulo ante
Danie potiores, ne sue quidem salutis pocientes existerent.
Protinus enim a Sialandensibus deleti iesis Roluonis mani-
bus iusta exsoluere piacula. Adeo plerunque fortune
seuicia ulciscitur, quod dolo ac fallacia patratur.

FINIS LIBRI SECUNDI.

SAXONIS GRAMMATICI

p. 110
(39)

HISTORIE DANICE

LIBER TERCIUS.

Hotherus, Athisli frater, idemque Geuari regis alumnus, cuius mencionem premisi, post Hiartuarum utriusque regni imperium sumit. Huius tempora, si ab etatis eius origine cepero, apeius explicabuntur. Pulcarius enim pleniusque extrema annorum illius curricula perstringuntur, ubi prima silencio non damnantur. Interfecto ab Helgone Hodbroddo, filius Hotherus sub tutela Geuari regis puericie procursum exegit. Adolescens collacteis ac coevis summa corporis firmitate prestabat. Ceterum ingenium eius crebre dotauerant artes. Quippe natacionis, arcus ^{p. 111} cestuumque pericia, nec non, quantamcunque ea etas capere poterat, agilitate pollebat, haud minus exercicio, quam uiribus potens. Immaturam adhuc etatem uberrimis animi beneficiis transcedebat. Nemo illo chelis aut lyre sciencior fuerat. Preterea sistro ac barbyto omniisque fidium modulacione callebat. Ad quoscunque uolebat motus, uariis modorum generibus humanos impellebat affectus; gaudio, mesticia, miseracione, uel odio mortales afficere nouerat. Ita aurium uoluptate aut horrore animos implicare solebat. *Tot ^{p. 112} xxii. iuuenis artibus Geuari filia Nanna ad modum delectata, amplexum eius expetere cepit. Fit enim, ut uirtute iuuenis incalescant et, quorum inminus complacet forma, probitas acceptetur. Multiplices enim amor aditus habet. Aliis [amor] decor, aliis animi uirtus, quibusdam arcium usus uoluptatis iter aperit; non nullis comitas Veneris

copiam parat, complures forme candor acceptos facit. Nec leuius uulnus fortis, quam puleri puellis infligere solent.

Accidit autem, ut Othini filius Balderus Nanne corpus abluentis aspectu sollicitatus, infinito amore corriperetur.
5 Vrebat illum uenustissimi corporis nitor, animumque perspicue puleritudinis habitus inflammabat. Validissimum namque libidinis irritamentum est decor. Hotherum itaque, per quem maxime uotum interpellandum timebat, ferro tollere constituit, ne more impaciens amor ullo fruende libidinis obstaculo tardaretur.

Eodem forte tempore Hotherus inter uenandum errore nebule perductus, in quoddam siluestriu[m] uirginum conclave incidit, a quibus proprio nomine salutatus, quenam essent, perquirit. Ille suis ductibus auspiciisque maxime bellorum fortunam gubernari testantur. Sepe enim se nemini conspicuas prellis | interesse, clandestinisque subsidiis optatos amicis prebere successus. Quippe conciliare prospera, aduersa infligere posse pro libito, memorabant, adiecto, qualiter in collecteam eius Nannam inter lauandum conspectam Balderus exarserit; hortateque, ne eum, quamuis infestissimo odio dignum, armis lacesseret, semideum hunc esse testantes, arcano superum semine procreaturn. His acceptis, Hotherus, labentis hospicii tegmine defectus, sub dio se relictum tociusque expertem umbraeuli mediis repente campis expositum conspicatur. Precipue uero puellarum prepetem fugam locique uersilem situm ac fallacem edis imaginem mirabatur. Ignorabat enim, que circa se gesta fuerant, ludibrium tantum inaneque prestigiosarum arcium extitisse commentum.

Vnde rediens Geuaro ordinem insecute errorem suum ludificationis exponit, filiamque eius continuo postulauit. Cui Geuarus quam libentissime se fauturum subiunxit, ni Balderi iram repulsa contracturum metueret, priorem illum sibi consentaneas preces porrexisse testatus. Nam ne ferro 35 quidem sacram corporis eius firmitatem cedere perhibebat. Adiecit tamen, scire se gladium arctissimis obseratum claustris, quo fatum ei infligi possit. || Hunc a Mimo^{p. 114} go, siluarum Satyro, possideri. Eadem quoque armillam esse, mira quadam arcanaque uirtute, possessoris opes augere 40 solitam. Horum preterea locorum aditum inuium, impe-

dimentis obfusum, haud facile mortalibus patere posse. Maiores siquidem itineris partem inusitati frigoris ui perenniter obsideri. Iubet itaque, ceruis iugalibus currum instruat, cuius celeritate eximio gelu rigencia iuga transcedat. Quo cum peruererit, tabernaculum suum ita a sole auersum constituat, ut umbram specus, cui Mimingus assueuisset, excipiat, nec ipsum mutua tamen obumbracione contingat, ne Satyrum insolite obscu|ratis iactus exitu p. 115 deturbaret. Ita armillam ensemque in expedito fore,
 10 quorum alterum opum, alterum belli fortuna comitaretur; in utroque ingens possessori premium esse. Hactenus Geuarus. Nec inerter Hotherus, que ab ipso didicerat, executus, tabernaculo ad predictum modum locato, noctu curas, interdiu uenaciones agebat. Vtramque temporis
 15 uicem peruigil exsomnisque ducebat, ita discrimina lucis noctisque partitus, ut hanc rerum meditacioni tribueret, illam conuectandis corporis alimentis impenderet. Cumque forte pernox attonita curis mente languesceret, obumbrantem tabernaculo suo Satyrum hasta petiuit, obrutumque *ictu xxiiib
 20 nec satis fuge potentem uinculis intercepit. Ultima deinde per summam uerborum atrocitatem minatus, ensem armillasque deposit. Nec segniter Satyrus salutis redempcionem, que ab ipso petebatur, exhibuit. Adeo cunctis re prior est uita, cum nihil apud mortales spiritu carius existere
 25 soleat. Hotherus, opum adepcione letatus, patriam repetit, paucis, sed insignibus spoliis felix.
 Quibus eum Gelderus, Saxonie rex, potitum compieriens, milites in tam illustris prede raptum crebro concitabat hortatu. Paruit iuuentus regi, properanter instruens
 30 classem. Quod prouidens Geuarus, quippe diuinandi doctissimus erat, industriaque presagiorum exultus, uocato Hothero, iubet, congressuri secum Gelderi iacula pacienter excipiat, non ante sua remissurus, quam hostem missilibus carere conspiciat; ceterum rostratas admoueat falces, quibus
 35 nauigia lacerari cassidesque et scuta militibus detrahi possint. Cuius consilio obsecutus Hotherus, salutarem eius exitum expertus est. Siquidem ad primos Gelderi impetus subsistere suos ac corpora scutis protegere iubet, presentis p. 116 pugne uictoram pacientia capessendam testatus. At hostis,
 40 missilibus nulla ex parte cohibitis, iisdemque per summam

pugnandi cupiditatem effusis, hoc audius hastas ac spicula torquere cepit, quo Høtherum in his excipiendis pacieneius se gerere comperit. Que partim scutis, partim nauigiis infixa rarum dedere uulnus; complura innoxia ac frustra 5 uidebantur excussa. Siquidem Høtheri milites, regis imperium exequentes, receptam telorum uim conserta clypeorum testudine repellebant, nec rarus quidem eorum numerus erat, que leui ictu umbonibus impacta fluctibus incidebant. Quorum omnium copia uacuefactus Gelderus, 10 dum eadem ab hostibus correpta alacrius in se retorqueri conspiceret, mali cacumen puniceo scuto complexus (indictum id pacis erat) saluti dedicione consuluit. Quem Høtherus amicissimo uultu benignissimoque sermone exceptum non minus humanitate quam arte perdomuit.

Ea tempestate Helgo, Halogie rex, Cusonis, Finnorum Byarmorumque principis, filiam, nomine Thoram, crebre legacionis officio procabatur. Adeo, quod per se minus ualidum est, alieni indigum noscitur. Nam cum eius temporis iuuenes matrimonii postulacionem propria uoce pro 15 sequendi consuetudinem haberent, hic tanto oris uicio obitus erat, ut non solum exteris, sed etiam domesticas aures erubesceret. Adeo calamitas omnis conscos uitat. Eo siquidem nature damna molestiora sunt, quo liquidius patent. Huius Cuso legacione spreta, coniugio indignum 20 respondit, qui, propria parum uirtute subnixus, ad id impetrandum precaria mutuaretur officia. Quod audiens Helgo Høtherum, quem policioris facundie nouerat, suis fauere studiis obsecrabat, alacriter se, quicquid is imperasset, 25 executurum pollicitus. Ille sedula iuuenis supplicacione p. 117 deuictus, armata classe Noruagiam petit, quod uerbis non posset, uiribus peracturus. Cumque pro Helgone per summam eloquii suauitatem egisset, refert Cuso, mentem filie consulendam, nequid contra nolentem paterna uidetur seueritate presumptum. Accersitamque, an proco 30 allubesceret, percontatus, annentis Helgoni nupcias pollicetur. Igitur Høtherus obseratas Cusonis aures ad ea, que precabatur, exaudienda rotunde uolubilisque facundie dulcedine patefecit.

Que dum in Halogia geruntur, Balderus postulande 40 Nanne gracia Geuari fines armatus ingreditur. A quo cum

ipsius Nanne mentem cognoscere iuberetur, exquisitis uerborum delenimentis puellam aggressus, cum nullum uotis locum efficere potuisset, repulse causam cognoscere institit. Que respondit, nupciis deum mortali sociari non posse,
 5 quod ingens nature discrimin copule com*mercium tollat.^{XXIII^a} Sed et superos interdum pacta rescindere solitos, subitoque uinculum disiici, quod impares contraxissent. Neque enim stabilem dissonis inesse nexus, cum apud excelsos humilium semper fortuna sordescat. Preterea abundancie et egestatis
 10 diuiduum contuberniun esse, nec inter splendidas opes obscuramque pauperiem firma societatis iura consistere. Ad ultimum, supernis terrestria non iugari, que tanto originis interuallo discors rerum natura secreuerit, quod a diuine luculencia maiestatis infinitum distet humana mortalitas.
 15 Hac responsi cauillacione elusis Balderi precibus, detrectandi coniugii prudens argumenta texebat.

Quod cum Høtherus ex Geuaro cognosceret, multa super Balderi petulancia apud Helgonem querulus disserebat. Incerti ambo, quid facto opus esset, uariis sentenciam
 20 consiliis agitabant. Amica siquidem in aduersis collocucio, tametsi periculum non tollit, egritudinem minuit. Inter cetera animi uota fortitudinis | studio preponderante, manus p. 118 classe cum Baldero conseritur. Hominibus aduersum deos certatum crederes. Nam Baldero Othinus ac Thoro sacra-
 25 que deum agmina propugnabant. Diuinis humanisque uiribus permixtum aspiceres bellum. At Høtherus, tunica ferrum spernente succinctus, confertissimos deorum cuneos irrumpebat et, quantum terrenus in superna poterat, grassabatur. Sed et Thoro inusitato clave libratu cuncta cly-
 30 peorum obstacula lacerabat, tantum ad se incessendum hostes inuitans, quantum socios ad tuendum. Nullum erat armature genus, quod impellenti non cederet. Nemo ferientein tuto excipere poterat. Quicquid ictu arcebat, obruit. Non clypei, non cassides impactum pertulere robur. Nulli cor-
 35 poris aut uirium magnitudo subsidio fuit. Proinde uictoria ad superos concessisset, ni Høtherus, inclinata suorum acie celerius aduolans, clauam preciso manubrio inutilem reddidisset. Quo telo defecti diui subitam dedere fugam. Inimicum opinioni esset, nisi fidem antiquitas faceret, deos
 40 ab hominibus superari. Deos autem pocius opinatiue, quam

naturaliter dicimus. Talibus namque non natura, sed gencium more, diuinitatis uocabulum damus.

Ceterum Balderum fuga cursu quesita seruauit. Cuius p. 119
 nauigiis uictores aut ferro laceratis aut fluctu obrutis, non
 5 contenti deos uicisse, classis reliquias seuicia inseguuntur,
 earum iactura funestam belli cupidinem expleturi. Adeo
 plerunque insolenciam successus exasperat. Testis belli
 portus Balderi fugam uocabulo refert. Gelderum quoque,
 10 Saxonie regem, eodem consumptum bello, remigum suorum
 cadaueribus superiectum, ac rogo nauigiis extracto impo-
 situm, pulcherrimo funeris obsequio extulit. Cineres eius,
 perinde ac regii corporis reliquias, non solum insigni tu-
 mulo tradidit, uerum eciam plenis ueneracionis exequiis
 15 decorauit. Post hec, ne connubii spem ulterior rerum im-
 portunitas moraretur, repetito Geuaro, cupitis Nanne com-
 plexibus fruatur. Deinde Helgonem ac Thoram plenis
 liberalitatis officiis prosecutus, nouam Suetie nuptam ad-
 uexit, eunctis tam uenerabilis uictoria, quam Balderus ridi-
 20 culus fuga.

Quo tempore cum Sueonum magnates soluendi tri- (42) buti gracia Daniam petiuissent, ob egregia patris merita,
 a popularibus loco regio cultus fallax fortune lenocinium
 expertus est. Siquidem a Baldero, quem paulo ante deui-
 cerat, prelio superatus, | ad Geuarum dēcurrere necesse p. 120
 25 habuit, uictoria post regnum amissa, quam priuatus adeptus
 fuerat. Victor Balderus, ut afflictum siti militem op-
 portuni liquoris beneficio recrearet, nouos humi latices
 terrani alcius rimatus aperuit. Quorum erumpentes scate-
 bras sitibundum agmen hianti passim ore captabat. Eo-
 30 rundem *uestigia, sempiterno firmata uocabulo, quanquam XXIII
 pristina ad modum scaturigo desierit, nondum prorsus exo-
 leuisse creduntur. Idem laruarum Nanne speciem simu-
 lancium continua noctibus irritamenta perpassus, adeo in
 aduersam corporis ualitudinem incidit, ut ne pedibus quidem
 35 incedere posset. Quamobrem biga rhedaue emeciendorum
 itinerum consuetudinem habere cepit. Tanta amoris ui-
 suffusum pectus ad extremam pene eum tabem redegerat.
 Nihil enim sibi uictoriā dedisse credit, cuius Nanna
 preda non fuerit. Frō quoque deorum satrapa sedem haud
 40 procul Vpsala cepit, ubi ueterem litacionis morem, tot

gentibus ac seculis usurpatum, tristi infandoque piaculo mutauit. | Siquidem humani generis hostias mactare ag- p. 121 gressus, feda superis libamenta persoluit.

Inter hec Høtherus, defectam ducibus Daniam, Hiart-
5 uarumque celeres pereundi Roluonis penas dedisse co-
gnoscens, quod uix spe complecti possit, casu sibi collatum dicebat. Nam et Roluonem, quem, quod ab eius patre suum imperfectum meminisset, uita spoliare debuerat, aliena opera supplicium luisse, et sibi pociende Danie copiam
10 insperato rerum beneficio patuisse. Quippe regnum eius aucto sibi iure competere, si rite maiorum stemmata reuoluuntur. Inde Sialandie portum Isoram ingenti classis numero occupat, imminentis fortune beneficio usurus.
Vbi rex ab occurrente sibi Danorum populo constitutus,
15 paulo post, Athisli fratri, quem Suetis preesse iusserat, excessu cognito, Sueticum Danico imperium sociat. Ceterum Athislum mors ignominiosa consumpsit. Dum enim Roluonis inferias per summam animi hilaritatem conuiuio celebraret, pocione audius sumpta, subito fine sordide in-
20 temperancie penas peperdit. Ita dum alienum fatum impensioribus leticie modis excolit, proprium irrumpere coegit.

Balderus quoque, classe Sialandiam petens, cum et armis celeber et maiestate conspicuus haberetur, Høthero
25 Suetiam tenente, quicquid super regni fastigio postulabat, promptissimis Danorum suffragiis impetravit. Tam aneipi censura maiorum nostrorum sentencia fluctuata est. Huic Høtherus a Suetia regressus infestum intulit bellum. Acer-
rimum imperii cupidis de p. 122 rerum summa certamen incesserat.
30 Eidem Høtheri fuga finem imposuit. Qui cum in Iutiam concessisset, uicum, in quo manendi usum habuit, nomine suo nuncupandum curauit. Vbi hybernis peractis, solitarius incomitusque Suetiam repetit. Ibi magnatibus accersitis, ob infelices rerum cursus, quibus ipsum Balderus bis uictor
35 affixerat, lucis ac uite pigere se dixit. Deinde, consulatatis omnibus, difficilia aditu loca deuio calle sectatus, ex-
pertes humani cultus indagines perlustrabat. Fit enim, ut, quibus insolabilis animi dolor inciderit, obsuros externosque
40cessus quasi quoddam pellende tristicie remedium cap- tent, nec magnitudinem meroris inter humanos queant

tolerare conuictus. Adeo plerunque amica est egritudini solitudo. Precipue enim illuuiies ac squalor delectant, quos aduersa animi ualitudo concusserit. Consueuerat autem in editi montis uertice consulenti populo plebiscita 5 depromere. Quamobrem uenientes occultantis se regis inerciam causabantur, absenciaque eius grauissimis omnium querelis lacerata est.

At Høtherus, extrema locorum deuia peruagatus, insuetumque mortalibus nemus emensus, ignotis forte uirginibus habitatum reperit specum. Easdem esse constabat, que cum inseparabili ueste quondam donauerant. A quibus, cur eo locorum uenerit, interrogatus, infaustos belli declarat euentus. Itaque || fide earum damnata, gestarum (43) infeliciter rerum fortunam tristesque casus deflere cepit, 15 secus sibi cessisse questus, quam ab ipsis promissum acceptit. At nymphe cum, quanquam raro uictor *extiterit, XXIII equam tamen hostibus clademi ingessisse dicebant, nec minoris stragis auctorem fuisse quam complicem. Ceterum in expedito uictorie graciam fore, si inusitate cuiusdam 20 suauitatis edulium augendis Balderi uiribus excogitatum prcipere potuisset. Nihil enim factu difficile futurum, dum modo hosti in augmentum roboris destinato potiretur obsonio.

Ex quarum dictis Høtherus promptissimam inferendi 25 Baldero belli fiduciam mente presumpsit, quanquam deos armis incessere terrenis arduum nisibus uideretur. Fuere quoque ex suis, qui illum tuto bellum eum superis commissurum negarent. At[que] illi infinitus animi calor respectum maiestatis ademerat. Apud fortis enim non semper p. 12 impetum racio subruit, aut consilio temeritas succumbit. Vel fortasse meminerat Høtherus, excellentissimis uiris ineertiissimam extare potenciam, exiguaeque glebam ingentes arietare currus.

Contra Balderus, Danis in arma contractis, Høtherum 35 acie excipit. Ingenti utrinque clade gesta, ac fere pari parecum strage edita, nox prelium soluit. Cuius tertio ferme peruigilio Høtherus clam cunctis res hostium exploraturus egreditur. Somnum quippe eius profecta ab imminenti discrimine cura discusserat. Ita plerunque ingens 40 animi motus quieti corporis aduersatur, nec alterius requiem

unius inquietudo patitur. Igitur in hostium castra perueniens tres nymphas arcane dapis gerulas Balderi castris excessisse cognoscit. Quas cursim insequens (nam earum fugam roscida prodidere uestigia) tandem tecta, quibus assueuerant, subit. Igitur ab his, quisnam esset, rogatus, citharedum se dixit. Nec experimentum professioni dissonum fuit. Oblatam namque chelim inflexis ad musam neruis, compositisque plectro fidibus moderatus, gratum auribus melos promptissima modulacione fundebat. Ceterum tres illis colubre fuere, quarum tabo solidatiue confeccioonis epulum Baldero temperare solebant. Iamque anguum aperto ore multa pulmento sanies influebat. Sed et nympharum quedam humanitatis studio Høtherum epulo compertiuissent, ni trium maxima uetusset, fraudem Baldero fieri protestans, si ipsius hostem corporei roboris incrementis auxissent. Ille se non Høtherum, sed Høtheri comitem dicebat. | Eedem namque nymphæ accurati nitoris cingulum potentemque uictorie zonam clementi beniguiate ei largite sunt.

Qui cum pristinum iter remeciendo calle, quo uenerat, repedaret, obuii sibi Balderi latus hausit, eumque semi-necem prostrauit. Quo militibus nunciato, totis Høtheri castris alacer exultancium clamor insonuit, Danis Balderi fortunam publico merore prosequentibus. Qui cum indubitatum sibi fatum imminere sentiret, dolore uulneris accensus, die postera prelum renouat. Quo feruente, lectica se in aciem deferri iussit, ne intra tabernaculum obscura morte defungi uideretur. Postera nocte eidem Proserpina per quietem astare aspecta, postridie se | eius complexu usuram denunciat. Nec inane somnii presagium fuit. Nam Balderum elapso triduo, nimius uulneris cruciatus absumpsit. Cuius corpus exercitus, regio funere elatum, facto colle condendum curauit.

Hunc quidam nostri temporis uiri, quorum precipuus Haraldus erat, uigente ueteris sepulture fama, spe reperiende pecunie noctu adorti, repentino ceptum horrore liquerunt. Ex ipso namque perrupti montis cacumine suita torrentis uis magno aquarum strepitu prorumpere uidebatur, cuius rapidior moles incitatissimo lapsu subiectis infusa campis, quicquid offendebat, in*uolueret. Ad cuius

p. 124

p. 125

xxviii

impetum perturbati fossores, abiectis ligonibus, uariam carpsere fugam, irruentis aque uorticibus implicandos se rati, si ceptum diuicius exequi niterentur. Ita a diis loci illius presidibus incussus subito metus iuuenum animos, | 5 auaricia abstractos, ad salutis curam conuertit, negletoque cupiditatis proposito, uite studiosos esse docuit. Huius autem scaturiginis speciem adumbratam, non ueram fuisse constat, nec ab imis terre uisceribus genitam, sed pre*sti-*^{p. 15} giosa quadam administracione productam, cum in arido 10 liquidos manare fontes natura non sinat. Omnes hunc posteri collem, ad quos fraccionis eius fama transierat, intentatum liquere. Quamobrem, an quiequam opum contineat, parum compertum, cum nemo opacam eius crepidinem, obstante periculi metu, post Haraldum tentare presumpserit.

15 At Othinus, quanquam deorum precipuus haberetur, diuinos tamen et aruspices ceterosque, quos exquisitis presciencie studiis uigere compererat, super exequenda filii ulcione sollicitat. Plerunque enim humane opis indiga est imperfecta diuinitas. Cuius Rostrophus Phinnicus alium 20 ex Rinda, Ruthenorum regis filia, suscitandum predixit, qui fraterne cladis penas exigere debebat. Deos siquidem consortis sui ulcionem orituri fratris officio destinasse. Hoc auditio, Othinus os pileo, ne cultu proderetur, obnubens, predictum regem stipendia meriturus accedit. A 25 quo magister militum effectus, recepto exercitu, pulcherri-^{p. 12} mam ex hostibus uictoriam retulit. Quem rex ob pugnam strenue editam in primum amicicie gradum adieciuit, haud parcius donis, quam honoribus cultum. Idem post paruum temporis interuallum solus hostium acies in fugam propulit, mirificeque cladis auctor pariter ac nuncius rediit. Ammiracioni omnibus erat, quod tanta de innumeris strages unius accipi uiribus potuisset. Quibus meritis fre- 30 tus, tacite regem amoris sui conscientum facit. Cuius benignissimo fauore recreatus, dum a puella osculum peteret, 35 alapam recepit. Nec eum aut contumelie deformitas aut iniurie dolor proposito depulit.

Postero siquidem anno, ne, quod auide orsus erat, ignominiose desereret, peregrina ueste sumpta, regis con- 40 tubernium repetit. Neque enim facile ab occurrentibus dignosci poterat, cum ueras oris notas falsus squalor abs-

tergeret, ueterem habitum noua furaretur illuies. Rosterrum se uocitari, fabriliumque rerum officio callere perhibuit. Itaque multiplices rerum formas speciosissimis eris lineamentis complexus adeo professionem artificio commen-
 5 dauit, ut, recepto a rege magni ponderis auro, matronarum ornamenta procudere iuberetur. Igitur complura feminei cultus insignia fabricatus, tandem armillam ceteris operosius expolitam, annulosque complures pari studio decu-
 10 satis puelle prebuit. Sed nullis flecti meritis indignacio potest. Quem Rinda basium sibi porrigere cupientem colapho percussit. Minus enim acceptantur dona, que prestat inuisus; sane graciora sunt, que ab amicis porriguntur. Adeo interdum ex offerente oblati precium pendet. Non dubitauit enim peruicacis animi puella, quin subdolus senex
 15 libidinis aditum facta liberalitate captaret. Preterea acre eidem atque intractabile ingenium fuit. Siquidem dolum obsequio instrui, donorumque studio flagicij[s] uotum subesse cognouit. Quam pater plurimum obiurgare, quod nupcias detractaret, aggressus. Illa, senile perosa connubium, |
 20 teneris puellarum annis preproperos *(deberi)* complexus p. 128 negabat, ab infirmioris etatis excusacione respuendarum nupciarum subsidium mutuata.

At Othinus, nihil amaucium studiis perseuerancie robore efficacius expertus, quanquam gemine repulse igno-
 25 minia affectus fuisset, tertio regem, priori specie confusa,* per xxv. perfectissimam rei militaris industriam professus accessit. Eundem in hanc curam non uoluptas modo, sed eciam demende ignominie cupidio perduxerat. Ita prestigiarum peritis uersili uultu uarios habitus pre se ferendi promptissima quondam potestas incesserat. Quippe preter naturalem corporis speciem cuiuslibet etatis statum simulare callebant. Igitur senex iocundum professionis sue spectaculum editurus, inter promptissimos insolencius obequitare solebat. Nec eo quidem officii genere puelle rigor inflecti
 30 35 potuit. Vix siquidem animus syncere in graciam redit, cum quo uehemens semel odium gessit. Quam cum discessurus osculo petere uellet, ita ab ea propulsus est, ut mentum terre nutabundus impingeret. Quam protinus cortice carminibus adnotato contingens, lymphanti similem reddidit,
 40 receptam tocies iniuriam modesto ulcionis genere insequutus.

Adhuc tamen propositum exequi non cunctatus (quippe (45) spem eius fiducia maiestatis inflauerat), puellari ueste sumpta, quarto regem uiator indefessus petiuit. A quo receptus non modo sedulum se, sed eciam importunum exhibuit.

5 Qui quod muliebriter prope modum cultus esset, a plerisque femina credebatur. Ceterum se uocabulo Wecham, arte medicam testabatur; professionem quoque promptissimis commendabat officiis. Tandem in regine famulicium adscitus, puelle pedissequam egit. | Cuius eciam pedum sor- p. 125

10 des serotinis horis abluere solebat. Licebat quoque lympham pedibus ministranti suras ac superiores femorum partes contingere. At quoniam uario fortuna passu graditur, quod arte promptum non erat, in expedito casus constituit. Accidit enim, puellam corporis firmitate defectam,

15 circumspectis morbi remediis, in salutis presidium manus, quas ante damnauerat, aduocare, quemque semper fastidio habuerat, seruatorem adsciscere. Qui curiosius cuncta doloris indicia perscrutatus, ut morbo quam primum occurreretur, medicata pocione utendum asseruit; ceterum eius

20 temperamenti tantam acerbitatatem fore, ut, nisi puella uinculis se continendaui dedisset, curacionis uim perferre non posset. Ab intimis enim fibris morbi propulsandam esse materiam. Quo pater auditio, filiam uincire non distulit, iniectamque thoro ad omnia, que medicus admouisset,

25 pacienciam prestare iussit. Fallebat illum feminei species cultus, quo senex ad obumbrandam artis sue peruicaciam utebatur; que res medicamenti speciem ad stupri licenciam transtulit. Medicus namque, ueneris occasione sumpta, mutato curacionis officio, prius ad exercende libidinis, quam

30 pellende febris negocium procurrit, aduersa puelle ualitudine usus, cuius inimicam sibi incolumitatem expertus fuerat. Aliam quoque ea de re opinionem subtexere non pigebit. Aiunt enim quidam, quod, cum rex laborantem amore medicum tanto animi ac corporis impendio nihil profecisse

35 cognosceret, ne bene meritum debita mercede fraudaret, clandestino filie concubitu potiri permiserit. Adeo interdum paterna in prolem grassatur impietas, cum nature clemenciam uiolenta corrumpit affeccio. Quem errorem edito filie partu plena ruboris penitencia insecurus est.

40 At dii, quibus precipua apud Bizantium sedes ha-

bebatur, Othinum uariis maiestatis detrimentis diuinitatis
 gloriam maculasse cernentes, collegio suo submouendum
 duxerunt. Nec solum primatu electum, sed etiam do-
 mestico honore cultuque spoliatum proscribendum curabant,
 5 sacius existimantes, probrosi antistitis potenciam subrui,
 quam publice religionis habitum prophanari, ne uel ipsi,
 alieno crimine implicati, insontes nocentis crimine punire-
 ntur. Videbant enim apud eos, quos ad deferendos sibi
 diuiⁿtatis honores illexerant, vulgato maioris dei ludibrio,
 10 obsequium contemptu, religionem rubore mutari, sacra pro
 sacrilegio duci, statas solennesque ceremonias puerilium
 deliramentorum loco censeri. Mors pre oculis, metus in
 animis erat, et in omnium caput unius culpam recidere
 putares. Hunc itaque, ne publicam religionem exulare
 15 cogeret, exilio mulctantes, Ollerum quendam non solum
 in regni, sed etiam in diuinitatis infulas subrogauere, tan-
 quam deos ac reges creare in equo positum foret. Quem
 licet perfunctorie flaminem creauissent, integro rerum ho-
 nore donabant, ne alieni officii procurator, sed legitimus
 20 dignitatis aduerteretur esse successor. Et nequid ampli-
 tudinis deesset, Othini quoque ei nomen imponunt, uoca-
 buli fauore inuidiam nouitatis exclusuri. Quo denis ferme
 annis diuini senatus magistratum gerente, tandem Othinus,
 diis atrocitatē exilii miserantibus, satis iam graues penas
 25 deditse uisus, squaloris deformitatem pristino fulgoris habi-
 tu permutauit. Iam enim superioris infamie notam medii
 temporis interuallum exederat. Exitere tamen, qui ipsum
 recuperande dignitatis aditu indignum censcent, quod sceni-
 cis artibus et muliebris officii suscepione tetricum diu
 30 nominis opprobrium edidisset. Sunt qui asserant, eum
 quosdam deorum adulando, quosdam premiis pernulcendo
 amisse maiestatis fortunam pecunia emercatum fuisse et
 ad honores, quibus iam pridem defunctus fuerat, ingentis
 summe precio redditum comparasse. Quos si, quanti emerit,
 35 rogas, illos consule, qui, quanti diuinitas ueneat, didicerunt.
 Michi minus constare fateor. Igitur Ollerus, ab Othino
 Bizantio pulsus, in Suetiam concessit, ubi, ueluti nouo
 quodam orbe, opinionis sue monumenta restaurare conni-
 sus, a Danis imperfectus est. Fama est, illum adeo pre-
 40 stigiarum usu calluisse, ut ad traiicienda maria osse, quod

p. 130

xxv^b

(46)

p. 131

diris carminibus obsignauisset, nauigii loco uteretur, nec eo segnius quam remigio preiecta aquarum obstacula superaret.

At Othinus, recuperatis diuinitatis insignibus, tanto
5 opinionis fulgore cunctis terrarum partibus enitebat[ur], ut eum perinde ac redditum mundo lumen omnes gentes amplecterentur, nec ullus orbis locus extaret, qui numinis eius potencie non pareret. Qui cum filium Boum, quem ex Rinda sustulerat, bellici laboris studiosum cognosceret,
10 accersitum fraterne cladis memorem esse iubet, pocius a Balderi interfectoribus ulcionem exacturum, quam armis iunoxios oppressurum, quod aperior ac salubrior pugna competeret, ubi pium belli locum iusta uindicte licencia tribuissest.

15 Interea Geuarus Gunnonis satrape sui dolo nunciatur oppressus. Cuius cladem Hotherus accerrimis ulcionis uiribus inseguatur, interceptum Gunnonem atque ardenti pyre iniectum cremauit, quod ipse Geuarum ante per insidias occupatum nocturno uiuum igni consumpserat. Ta-
20 liter educatoris manibus parentando, filios demum Herle-
tum Geritumque Noruagie pretulit.

Post hec uocatis in concionem maioribus, bello, quo Boum excipere debeat, peritum se refert, idque non dubiis conjecture modis, sed ueris uatum predicationibus expertum. Orat proinde, filium suum Roricum regno preficiant, ne ius hoc ad externas, ignotasque familias improborum censura transfunderet, plus uoluptatis se ex filii successione, quam amaritudinis ex propinqua morte percepturum testatus. Quo ocio impetrato, pugna cum 30 Boo congressus occiditur. Nec iocunda Boo uictoria extitit. Quippe tam grauiter affectus acie excessit, ut, scuto exceptus atque a pedibus uicissim subeuntibus domum relatus, postridie uulnerum dolore consumeretur. Cuius corpus* magnifico funeris apparatu Rutenus tumulauit
35 exercitus nomine eius insignem extruens collem, ne tanti iuuenis monumenta a posterorum memoria ciecius dilaberentur.

Igitur Curetes ac Sueones, perinde ac Hotheri morte tributarie sortis onere liberati, Daniam, quam annuis uecti-
40 galium obsequiis amplecti solebant, armis aggredi animum

induxerunt. Ea res Sclauis quoque defecionis audaciam ministrauit, aliosque complures ex obsequentibus hostes effecit. Cuius iniurie propulsande gracia Roricus contractam in arma patriam, recensitis maiorum operibus, ad 5 capessendam uirtutem impenso hortacionis genere concitabat. At barbari, ne bellum absque duce committerent, capite opus esse cernentes, creato sibi rege, ceteris milicie viribus ostensis, obscuriore loco binos arinatorm manu-
los condunt. Nec Roricum insidie fefellere. Qui cum classem 10 suam uadosi cuiusdam gurgitis arctis faucibus inherere consiperet, harenis, quibus insidebat, abstractam profundo adegit, ne limosis inficta paludibus, diuersa ab hostibus parte peteretur. Preterea latebras sociis interdiu captandas constituit, quibus insistentes ex improviso nauium suarum 15 irruptoribus insultarent, fore posse prefatus, ut in auctorum caput proprie fraudis euentus recideret. Barbari uero, qui insidiis addicti fuerant. Danice circunspeccionis ignari, irrupcione temere edita, omnes oppressi sunt. Reliqua Selauorum manus, ignorata sociorum strage, super Rorici 20 mora multa anceps ammiracione pendebat. Quem inter egras mencium fluctuaciones diutule expectatum, cum prestolacio in dies molestior fieret, classe tandem petendum ducebat.

Erat autem inter eos vir corporis habitu insignis, officio magus. Qui, prospectis Danorum turmis, ut pau- 25 eorum impen[d]io, inquit, complurium || pericula redimantur, publicam stragem priuato discrimine precurrere liceat. Ego uero in hanc configendi legem non deero, sicui uestrum mutuus decernendi mecum ausus incesserit. In primis autem pretaxata a me condicione utendum postulo, cuius 30 tales sane formulam texui: Si uicero, uectigalium nobis concedatur immunitas; si uincar, pristina uobis tributa soluantur. Aut enim hodie patriam seruitutis iugo uictor exuam, aut uictus inuoluam. In utramque fortunam pre-
dem me uademque recipite. Quod audiens Danorum 35 quidam, animi quam corporis viribus robustior, percunctari Roricum cepit, quid ei premii foret, qui pugna prouocan-
tem exciperet? At Roricus, cum senas forte armillas haberet, ita mutuis nexibus inuolutas, ut ab inuicem se-
questrari nequieren, nodorum inextricabiliter serie coherentem, 40 easdem certamen audenti in premium pollicetur. At iu-

p. 133
(47)

uenis, parum fortune certus, si, inquit, Rorice, rem prospere gessero, tua uincenis mercedem liberalitas estimet, tu palmam arbiter meciaris; sin propositum michi parum ex sentencia cesserit, quid uicto premii debes, quem aut 5 sua mors aut ignominia grauis inuoluet? Has imbecillitas habere comites consueuit, hec superatorum stipendia sunt, quos quid nisi extremum dedecus manet? Quenam soluenda merees, que gracia referenda, eui fortitudinis precium abest? Quis impotentem Martis hedera redimiuit, premiis 10 uetricibus decorauit? Virtuti, non ignaue palma tribuitur. Gloria infelicitas caret. Illam quippe triumphus laudis, hanc aut finis iners aut uita deformis inseguitur. Ego uero, qui, quorsum duelli fortuna uergat, ambigo, premium audacter expetere non presumo, quod an iure michi debeat, ignoro. Neque enim incerto uictorie certum uictoris premium occupare conceditur. Supersedeo trophei 15 dubius corone con*stanter meritum flagitare. Recuso lucrum, quod michi mortis eque ac uite stipendum esse poterit. Stoliditatis est immaturo fructui manus iniicere, eumque decerpere uelle, quem needum quis satis sibi debitum nouerit. Hec manus aut palmam michi prestabit 20 aut finem. Hec fatus, gladio barbarum ferit, fortuna minus, quam ingenio promptus. Ab eo siquidem repercuussus, primi ictus magnitudine exanimatus est. Quo triste 25 Danis spectaculum dante, uictorem socium Selaui ingenti donatum pompa magnificis excepere tripudiis. Idem die postera, siue recentis uictorie successu elatus, siue alterius adipiscende cupidine accensus, hostes comminus aditos pristine prouocacionis uerbis lacessere institit. Fortissimum 30 namque Danorum a se prostratum ratus, nemini illorum secum ulterius prouocatione dimicandi spiritum superesse credebat. Vnius quoque pugilis occasu tocius se exercitus uires labefactasse confisus, nihil, ad quos posteriores sui conatus intenderent, execucione difficile arbitrabatur. 35 Nihil enim successu magis insolenciam nutrit, nec ullum prosperitate efficacius superbie ineitamentum est.

Dolebat itaque Roricus, unius uiri petulancia publicam labefactari uirtutem, illustresque uictoriis Danos non modo a quondam uictis insolenter excipi, uerum etiam 40 ignominiose contemni; preterea neminem ita animo prom-

ptum aut manu strenuum in tanto militum numero reperiri,
 cui salutem suam pro patria deuouendi cupido suppeteret.
 Tam probrosam Danice cunctacionis infamiam prima Vb-
 bonis magnanimitas repulit. Prestabat etenim corpore,
 5 incantandi artibus pollens. Huic quoque de industria
 certaminis premium perquirenti rex armillas spopondit.
 Tum ille, quam, inquit, promisso fidem deferam, cum ipse
 pignus in manibus habeas, nec sub aliena munus custodia
 deponas? Presto sit, cui pignoris depositum credas, ne
 10 promissum retractandi fas sit. Accendit enim pugilum ani-
 mos irreuocabilis premii certitudo. Quod eum profecto
 per ludibrium dixisse constabat, quem in propulsandam
 patrie contumeliam sola uirtus armauerat. Quem Roricus
 auri cupidine captum ratus, ne preter regiam consuetudi-
 15 nem reuocaturus donum aut promissum rescissurus uidere-
 tur, ut erat in nauigio collocatus, armillas ingenti excussas
 iactu petitori porrigeret statuit. Sed conatum eius fefellit
 intersticij magnitudo. Armille enim, languido ac parum
 uegeto motu, citra destinatum locum collapse fluctibus
 20 intercepte sunt, unde Rorico Slyngebond inoleuit agnomen.
 Que res | Vbboni magno uirtutis indicio fuit. Neque enim
 eum obrute mercedis damnum audaci mentis proposito
 exuit, ne uirtutem auaricie stipendiis obnoxiam fecisse ui-
 deretur. Igitur auide petitio certamine, se pocius honestati
 25 intentum, quam questui deditum, pecunie cupiditati forti-
 tudinem pretulisse monstrabat, fiduciam sui non in precio,
 sed magnanimitate repositam ostensurus. Nec mora, cir-
 cu(l)atur campus, milite circus stipatur, concurrunt pugiles,
 fit fragor, fremit spectatrix turba uotorum suffragiis discors.
 30 Excandescunt igitur athlete animis, et mutuis in uulneribus
 ruentes, eundem lucis ac pugne exitum sorciuntur: credo,
 procurante fortuna, ne alter alterius exicio gloriam uolup-
 tatemque perciperet. Que res Rorico rebellium animos
 conciliauit, tributaque restituit.
 35 Eodem tempore Horwendillus et Fengo, quorum pater
 Gerwendillus Iutorum prefectus extiterat, eidem a Rorico,
 in Iutie presidium surrogantur. At Horwendillus, triennio
 tyrannide gesta, per summam rerum gloriam piratice in-
 cubuerat, cum | rex Noruagie Colle*rus, operum eius ac
 40 fame magnitudinem emulatus, decorum sibi fore existi-

(48)

p. 135

p. 126
XXVII*

maut, si tam late patentem pirate fulgorem superior armis
 obsecurare quiusset. Cuius classem uaria fretum nauigacione
 serutatus offendit. Insula erat medio sita pelago, quam
 pirate collatis utrinque secus nauigiis obtinebant. Inuita-
 bat duces iocunda littorum species; hortabatur exterior
 locorum amenitas interiora nemorum uerna perspicere,
 lustratisque saltibus secretam siluarum indaginem perer-
 rare. Vbi forte Collerum Horwendillumque inuicem sine
 arbitris obuios incessus reddidit. Tunc Horwendillus prior
 regem percontari nisus, quo pugne genere decernere libeat,
 prestantissimum affirmans, quod paucissimorum uiribus
 ederetur. Duellum siquidem ad capessendam fortitudinis
 palmam omni certaminis genere efficacius fore, quod pro-
 pria uirtute subnixum alieno manus opem excluderet.
 Tam fortem iuuenis sentenciam ammirans Collerus, cum
 michi, inquit, pugne delectum perniseris, maxime utendum
 iudico, que tumultuationis expers duorum operam capit.
 Sane et audacior, et uictorie prompctor estimatur. In hoc
 communis nobis sentencia est, hoc ultro iudicio conueni-
 mus. At quoniam exitus in dubio manet, inuicem humani-
 tati deferendum est, nec adeo ingenii indulgendum, ut
 extrema negligantur officia. Odium in animis est; adsit
 tamen pietas, que rigori demum opportuna succedat. Nam
 etsi mencium nos disermina separant, nature tamen iura
 conciliant. Horum quippe consorcio iungimur, quantus-
 cunque animo(s) liuor dissociet. Hec itaque pietatis nobis
 condicio sit, ut uictum uictor inferis prosequatur. His
 enim suprema humanitatis officia inesse constat, que nemo
 pius abhorruit. Vtraque acies id munus, rigore deposito,
 concorditer exequatur. Facestat post fatum liuor, simulta-
 tasque funere sopiatur. Absit nobis tante crudelitatis spe-
 cimen, ut, quanquam uiuis odium intercesserit, alter alte-
 riuss cineres persequamur. Gloriosum uictori erit, si uicti
 funus magnifice duxerit. Nam qui defuncto hosti iusta
 persoluerit, superstitis sibi fauorem adsciscit, uiuumque
 beneficio uincit, quisquis extincto studium humanitatis im-
 penderit. Est et alia non minus luctuosa calamitas, que
 uiuis interdum damnata corporum parte contingit. Huic
 non segnus quam ultime sorti succurrendum existimo.
 Sepe enim incolumi spiritu membrorum clades pugnantibus

incidit; que sors omni fato tristior duci solet, quod mors omnium memoriam tollat, uiuens uero proprii corporis stragem negligere nequeat. Hoc quoque malum ope excipiendum est. Conueniat igitur, alterius ab altero lesio-
5 nem denis auri talentis sarciri. Nam si pium est alienis calamitatibus compati, quanto magis propriis misereri? Nemo nature non consulit; quam qui negligit, sui parri-
cida est.

In hec data acceptaque fide, pugnam ineunt. Neque
10 enim eis aut mutui occursum nouitas, aut uernantis loci iocunditas, quo minus inter se ferro occurrerent, respectui fuit. Horwendillus, appetendi hostis, quam muniendi corporis nimio animi calore audior redditus, neglecta clypei cura, ambas ferro manus iniecerat. Nec audacie euentus
15 defuit. Collerum siquidem, scuto crebris ictibus absunto spoliatum, desecto tandem pede exanimem occidere coegit. Quem, ne pacto abesset, regio funere elatum magnifici operis tumulo, ingentique exequiarum apparatu prosecutus est. Deinde sororum eius, Selam nomine, piraticis exer-
20 citam rebus, ac bellici peritam munieris, persecutus occidit.

Triennium fortissimis milicie operibus emensus, opima spolia delectamque predam Rorico destinat, quo sibi pro-
piorem amicicie eius gradum conseiceret. Cuius familiaritate fultus, filie eius* Geruthe connubium impetravit, ex
25 qua filium Amlethum sustulit.

Tante felicitatis inuidia accensus Fengo fratrem insidiis circumuenire constituit. Adeo ne a necessariis quidem secura est uirtus. At ubi datus parricidio locus, cruenta manu funestam mentis libidinem saciauit. Trucidati quo-
30 que fratri uxore potitus, incestum parricidio adiecit. Quis quis enim uni se flagicio dederit, in aliud mox procluior ruit; ita alterum alterius incitamentum est. Idem atrocitatem facti tanta calliditacis audacia texit, ut sceleris excusacionem beniuolencie simulacione componeret, parrici-
35 diumque pietatis nomine coloraret. Gerutham siquidem, quanquam tante mansuetudinis esset, ut neminem uel tenui lesionem commouerit, incitatissimum tamen mariti odium expertam, saluandeque eius gracia fratrem a se interfectum dicebat, quod mitissimam et sine felle feminam grauissimum
40 uiri supercilium perpeti indignum uideretur. Nec irrita

(49)

p. 138

propositi persuasio fuit. Neque enim apud principes fides mendacio deest, ubi securis interdum gracia redditur, obtrectatoribus honos. Nec dubitauit Fengo parricidales manus flagiosis inferre complexibus, gemine impietatis
5 noxam pari scelere prosecutus.

Quod uidens Amlethus, ne prudencius agendo patruo suspectus redderetur, stoliditatis simulacionem amplexus, extremum mentis uicium finxit, eoque calliditatis genere non solum ingenium texit, uerum etiam salutem defendit.
10 Cotidie maternum larem pleno sordium torpore complexus, abiectum humi corpus obsceni squaloris illuuius respergebat. Turpatus oris color, illitaque tabo facies ridicule stoliditatis demenciam figurabant. Quicquid i uoce edebat, deliramentis consentaneum erat; quicquid opere exhibuit, profundam redolebat inerciam. Quid multa? Non uirum aliquem, sed delirantis fortune ridendum diceres monstrum. Interdum foco assidens, fauillasque manibus uerrens ligneos uncos creare eosdemque igni durare solitus erat; quorum extrema contrariis quibusdam hamis, quo nexuum tenaciores existerent, informabat. Rogatus, quid ageret, acuta se referebat in ulciori spicula preparare. Nec paruo responsum ludibrio fuit, quod ab omnibus ridiculi operis uanitas contemneretur, quanquam ea res proposito eius post modum opitulata fuerit. Que solertia apud alcioris ingenii spectatores primam ei calliditatis suspicionem iniecit. Ipsa namque exigue artis industria arcanum opificis ingenium figurabat. Nec credi poterat obtusi eordis esse, cui tam excuto manus artificio calluisset. Denique exactissima cura preustorum stipitum congeriem asseruare solebat.
25 Fuere ergo, qui illum uegectoris ingenii asserentes, sapientiam simplicitatis pretextu oculere, profundumque animi studium calliditatis commento obscurare putarent, nec aperiū astum deprehendi posse, quam si illi inter latebras usquam excellentis forme femina applicaretur, que animum eius ad armoris illecebras prouocaret. Nature siquidem tam preceps in uenerem esse ingenium, ut arte dissimulari non possit; uehemenciorem quoque hunc motum fore, quam ut astu interpellari queat, ideoque, si is inerciam fingeret, futurum, ut occasione suscepta, uoluptatis illico uiribus ||
30 obtemperaret. Procurantur igitur, qui iuuenem in longin-

quas nemorum partes equo perductum, eo tentamenti genere
aggrederentur. Inter quos forte quidam Amlethi collactus
aderat, a cuius animo nondum socie educationis respectus
exciderat. Hic preteriti coniuctus memoriam presenti im-
5 perio anteponens, Amlethum inter deputatos comites instruen-
di pocius quam insidiandi studio prosequebatur, quod eum
ultima passum non dubitaret, si uel modicum sensati
animi indicium prebuisset, maxime uero, si ueneris palam
rebus uteretur.* Quod ipsi quoque Amletho obscurum
10 non fuit. Equum siquidem descendere iussus, ita se de
ceruice industria collocauit, ut suum ipsius ceruici dorsum
obuertens aduersa caudam fronte spectaret. Quam frenis
quoque complecti cepit, perinde atque ea parte ruentis
equi impetum moderaturus. Qua astucie meditacione patrui
15 commentum illusit, insidias, expugnauit. Ridiculum satis
spectaculum fuit, cum idem, habene expers, regente caudam
sessore procurreret.

Procedens Amlethus, cum obuium inter arbusta lu-
pum habuisse, comitibus tenerioris etatis equum occurrisse
20 dicentibus, perpaucos huiusmodi in Fengonis grege militare
subiunxit, ut modesto, ita facetio imprecacionis genero
patrui diuicias insecurus. Qui cum illum prudenti responso
usum astruerent, ipse quoque se de industria locutum
asseuerabat, ne aliqua ex parte mendacio indulgere uide-
25 retur. Falsitatis enim alienus haberi cupiens, ita astuciam
ueriloquio permiscebat, ut nec dietis ueracitas deesset, nec
acuminis modus uerorum indicio proderetur.

Idem littus preteriens, cum comites, inuento peri-
clitate nauis gubernaculo, cultrum a se eximie granditatis
30 repertum dixissent, eo, inquit, pregrandem pernam secari
conuenit, profecto mare significans, cuius immensitati gubern-
aculi magnitudo congrueret. Harenarum quoque preteri-
tis cliuis, sabulum perinde ac farra aspicere iussus, eadem
albicanibus maris procellis permolita esse respondit. Lau-
35 dato a comitibus responso, idem a se prudenter editum
asseuerabat. Ab iisdem, quo maiorem exercende libidinis
audaciam sumeret, de industria relictus, immissam a pa-
truo feminam, perinde ac fortuitu oblatam, obscuro loco
obuiam recepit, constuprassetque, ni collactus eius tacito
40 consilii genere insidiarum indicium detulisset. Considerans

p. 140

p. 141

enim, quonam apcius modo occultum monitoris officium
exequi, periculosamque iuuenis lasciuiam precurrere posset,
repertam humi paleam oestri preteruolantis caude sub-
mittendam curauit. Egit deinde ipsum | in ea potissimum
5 loca, quibus Amlethum inesse cognouit; eoque facto
maximum incauto beneficium attulit. Nec callidius trans-
missum indieum, quam cognitum fuit. Siquidem Amle-
thus, uiso oestro simulque stramine, quod caude insitum
gestabat, curiosius pernotato, tacitum cauende fraudis moni-
10 tum intellexit. Igitur insidiarum suspicione conterritus,
quo tueius uoto potiretur, exceptam amplexibus feminam
ad palustre proeul inuium protrahit. Quam eciam peracto
conuebitu, ne rem cuiquam proderet, impensis obtestatus
est. Pari igitur studio petitum ac promissum est
15 sileneium. Maximam enim Amletho puelle familiaritatem
uetus educacionis societas conciliabat, quod uterque eos-
dem infancie procuratores habuerit.

Domun itaque reductus, eunctis, an ueneri indulisset,
per ludibrium interrogantibus, puellam a se constupratam
20 fatetur. Interrogatus rursum, quo rem loco egerit, quoue
puluino usus fuerit, ungule iumenti eristeque galli, laqueari-
bus quoque tecti innixum se dixit. Horum enim omnium
particulas, uitandi mendacii gracia, cum tentandus profici-
retur, contraxerat. Que uox multo circumstancium risu-
25 excepta est, quanquam nihil rerum ueritati per iocum
detraxerit. Puella quoque ea de re interrogata, nihil
eum tale gessisse perhibuit. Fides negacioni habita est,
eo quidem pronius, quo minus satellites facti consciens
fuisse constabat. Tum is, qui prestandi indieii gracia
30 oestrum signauerat, ut salutem Amlethi uaframenti sui
beneficio constitisse monstraret, nuper se eius unice studio-
sum exitisse dicebat. Nec inepta iuuenis responsio fuit.
Ne enim in*dicis* meritum negligere putaretur, quiddam
straminis gerulum subitis adlapsum pennis, quodque paleam
35 posteriore corporis parte defixam gestaret, sibi conspectam
retulit.* Quod dictum [est], ut ceteros cachinno con- xxvi
cussit, ita Amlethi fautorem prudencia delectauit.

Superatis[que] omnibus arcanamque iuuenilis industrie
seram patefacere nequeuntibus, quidam amicorum Fengo-
40 nis, presumpcione quam solertia abundancior, fore negabat,

ut inextricabile calliditatis ingenium usitato insidiarum genere proderetur. Maiores quippe eius peruicaciam esse, quam ut leuibus experimentis attingi debeat. Quamobrem multipli illius astucie simplicem tentacionis modum afferri non oportere. Subtiliorem itaque racionis uiam alciore animi sensu a se repartam dicebat, execucioni non incongruam et proposito rei indagacioni efficacissimam. Fengone siquidem per ingentis negocii simulacionem de industria absenciam prestante, solum cum matre Amlethum cubiculo claudi oportere, procurato antea uiro, qui ambobus insciis in obscura edis parte consistenteret, quid illis colloqui foret, attencius excepturus. Futurum enim, ut, siquid filius saperet, apud maternas aures eloqui non dubitaret, nec se genitricis fidei credere pertimesceret. Idem se exploracionis ministrum cupidius offerebat, ne pocius auctor consilii, quam executor uideretur. Delectatus sentencia Fengo facta longinque profeccionis simulacione discedit. Is uero, qui consilium dederat, conclaue, quo cum matre Amlethus recludebatur, tacite petiuit, submissusque stramento delituit. Nec insidiarum Amletho remedium defuit. Veritus enim, ne clandestinis cuiuspiam auribus exciperetur, primum ad inepte consuetudinis ritum decurrens, obstrepentis galli more occentum edidit, brachiisque pro alarum plausu conuassis, con(s)censo stramento corpus crebris saltibus librare cepit, siquid illie clausum delitesceret, experturus. At ubi subiectam pedibus molem persensit, ferro locum rimatus, suppositum confodit, egestumque latebra trucidauit. Cuius corpus in partes consciousum aquis feruentibus coxit, deuorandumque porcis per os cloace patentis effudit, atque ita miseris artibus cenum putre constrauit. Taliter elusis insidiis conclaue repetit. Cumque mater magno eiulatu questa presentis filii socordiam deflere cepisset, Quid, inquit, mulierum turpissima, grauissimi criminis dissimulationem falso lamenti genere expetis, que scorti more lasciuens, nefariam ac detestabilem thori condicionem secuta, uiri tui interfectorum pleno incesti sinu amplecteris et ei, qui prolis tue parentem extinxerat, obscenissimis blandimentorum illecebris adularis? Ita nempe eque coniugum suorum uictoribus maritantur; brutorum natura hec est, ut in diuersa passim coniugia rapiantur; hoc tibi exemplo

prioris mariti memoriam exoleuisse constat. Ego uero non ab re stolidi speciem gero, cum haut dubitem, quin is, qui fratrem oppresserit, in affines quoque pari crudelitate debacchaturus sit. Vnde stoliditatis quam industrie habitum amplecti
 5 prestat, et incolumentatis presidium ab extrema deliramentorum specie mutuari. In animo tamen paterne ulcionis studium perseuerat, sed rerum occasiones aucupor, temporum opportunitates opperior. Non idem omnibus locus competit. Contra obscurum immitemque animum alcioribus ingenii
 10 modis uti conuenit. Tibi uero superuacuum sit meam lamentari desipienciam, que tuam iustius ignominiam deplorare debueras. Itaque non aliene, sed proprie mentis uicum deflcas necesse est. Cetera silere memineris. Tali conuicio laceratam matrem ad excolendum uirtutis habitum reuocauit,
 15 preteritosque ignes presentibus illecebris preferre docuit.

Reuersus Fengo insidiose exploracionis auctorem nusquam repertum diutine inquisicionis studio prosequebatur, nemine se eum uspiam conspexisse dicente. Amlethus quoque, an ullum ipsius uestigium deprehenderit,
 20 per iocum rogatus, in cloacam illum iuisse retulit, perque eius ima collapsum ac || nimia ceni mole obrutum, a subeuntibus passim porcis *esse consumptum. Quod dictum tametsi ueri confessionem exprimeret, quia specie stolidum uidebatur, auditoribus ludibrio fuit.

25 Cumque Fengo priuignum indubitate fraudi(s) suspectum tollere uellet, sed id tum ob aui eius Rorici, tum ob coniugis offensam exequi non auderet, Britannie regis officio necandum duxit, innocencie simulacionem alieno ministerio quesiturus. Ita dum occultare seuiciam cupit,
 30 amicum inquinare, quam sibi infamiam consciscere maluit. Discedens Amlethus matri tacite iubet, textilibus aulam nodis instruat, suasque post annum inferias falso peragat, eoque tempore redditum pollicetur. Proficiscuntur cum eo bini Fengonis satellites, literas ligno insculptas (nam id
 35 celebre quondam genus chartarum erat) secum gestantes, quibus Britannorum regi transmissi sibi iuuenis occisio mandabatur. Quorum Amlethus quietem capiencium loculos perscrutatus, literas deprehendit. Quarum perfectis mandatis, quicquid chartis illitum erat, curauit abradi, nouis-
 40 que figurarum apicibus substitutis, damnacionem suam in

comites suos, mutato mandati tenore, conuertit. Nec mortis sibi sentenciam ademisse et in alios periculum transtulisse contentus, preces huiusmodi falso Fengonis titulo subnotatas adiecit, ut Britannie rex prudentissimo ad se 5 iuueni misso filiam in matrimonium erogaret.

At ubi in Britanniam uentum, adeunt legati regem, literasque, quas aliene cladis instrumentum putabant, proprie mortis indices obtulerunt. Quo dissimulato rex hospitali illos humanitate prosequitur. Tunc Amlethus omnem 10 regiarum dapum apparatum, perinde ac uulgare edulium aspernatus, summam epularum abundanciam miro abstinen- cie genere auersatus est, nec minus pocioni quam dapibus pepereit. Ammiracioni omnibus erat, quod alienigene gentis iuuenis accuratissimas regie mense delicias et instructissi- 15 mas luxu epulas, tanquam agreste aliquod obsonium, fasti- daret. Soluto conuiuio, rex, cum amicos ad quietem dimit- teret, per quandam cubiculo immissum, nocturna hospitum colloquia clandestino exploracionis genere cognoscenda curauit. Interrogatus igitur a sociis Amlethus, quid [igitur] p. 146
20 ita hesternis epulis, perinde ac uenenis abstinuisse, panem cruxis contagio respersum, pocioni ferri saporem inesse, carneas dapes humani cadaueris oliditate perfusas ac ueluti quadam funebris nidoris affinitate corruptas dicebat. Ad- didit quoque, regem seruilibus oculis esse, reginam tria 25 ancillaris ritus officia pre se tulisse, non tam cenam, quam eius auctores plenis opprobrii conuiciis insecessus. Cui mox socii, pristinum mentis uicum exprobrantes, uariis petulan- cie ludibriis insultare ceperunt, quod probanda culparet, causaretur idonea, quod insignem regem exultamque 30 moribus feminam parum honesto sermone lacesseret, lau- demque meritos extremi dedecoris opprobrio respersisset.

Quibus rex ex satellite cognitis, talium auctorem supra mortalem habitum aut sapere aut desipere testatus est, tam paucis uerbis perfectissimam industrie altitudinem 35 complectendo. Accersitum deinde uillicum, unde panem adscierat, percontatur. Qui cum eum domestici pistoris opera confectum assereret, sciscitatur item, ubi materie eius seges creuisset, et an ullum illic humane stragis in- dicium extaret. Qui respondit, haud procul abesse campum 40 uetustis intersectorum ossibus obsitum et adhuc manifesta

antique stragis uestigia pre se ferentem, quem a se, perinde
 ac ceteris feraciorem, opime ubertatis spe, uerna fruge
 consertum dicebat. Itaque se nescire, an panis hoc tabo
 uiciosi quicquam saporis contraxerit. Quo auditio rex,
 5 Amlethum uera dixisse coniectans, unde lardum quoque
 allatum fuisse, cognoscere cure habuit. Ille sues suos,
 per incuriam custodia elapsos, putri latronis cadauere pa-
 stos asseuerabat, ideoque forte eorum carnibus corrupcioni
 affinem incessisse saporem. Cum rex in hoc quoque
 10 ueracem Amlethi sentenciam comperisset, quo|nam liquore
 pocionem miscuisset, inquirit. Ut farre et aqua temperatam
 cognouit, demonstratum sibi scaturiginis locum in altum
 fodere *|aggressus, complures gladios rubigine adesos rep-
 perit, ex quorum odore lymphas uicum traxisse existi-
 15 matum est. Alii ideo pocionem notatam referunt, quod in
 eins haustu apes abdomine mortui alitas deprehenderit,
 uiciumque referri gustu, quod olim fauis inditum extitisset.
 A quo rex culpati saporis causas competenter editas uidens,
 cum ab eodem exprobratam sibi oculorum ignominiam
 20 ad generis feditatem pertinere cognosceret, clam conuenta
 matre, quis sibi pater extitisset, inquirit. Qua neminem
 se preter regem passam dicente, rem questione ex ea co-
 gnoscendam minatus, quod seruo ortus esset, accepit, notate
 originis ambiguitatem extorto confessionis indicio perser-
 25 tatus. Igitur ut condicionis sue rubore confusus, ita iue-
 nis prudencia delectatus, eundem, eur reginam seruiliu[m]
 morum exprobracione maculasset, interrogat. Sed dum
 coniugis comitatem nocturno hospitis sermone lacessitam
 doluit, eandem ancilla matre creatam didicit. Siquidem
 30 ille tria se circa eam seruiliis ritus uicia denotasse dicebat,
 unum, quod ancille more pallio caput obduxerit, alterum,
 quod uestem ad gressum succinxerit, tertium, quod ciborum
 reliquias dencium angustiis inherentes stipite cruerit, eru-
 tasque commanduauerit. Matrem quoque eius in serui-
 35 tutem captiuitate redactam memorabat, ne pocius seruili
 more, quam genere esse uidetur.

Cuius industriad rex perinde ac diuinum aliquod
 ingenium ueneratus, filiam ei in matrimonium dedit; affir-
 macionem quoque eius tanquam celeste quoddam testimo-
 40 nium amplexatus est. Ceterum comites ipsius, ut amici

mandatis satisfaceret, proxima die suspendio consumpsit. Quod beneficium Anlethus tanquam iniuriam simulata animi molestia prosecutus, aurum a rege composicionis nomine recepit, quod post modum igni liquatum clam 5 cauatis baculis infundendum curauit.

Apud quem annum emensus, impetrata profecconia licencia, patriam repetit, nihil secum ex omni regiarum opum apparatu preter gerulos auri bacillos deportans. Ut Iutiam attigit, presenteim cultum pristinis permutauit moribus, quibus ad honestatem usus fuerat, in ridicule consuetudinis speciem de industria conuersis. Cumque triclinium, in quo sue ducebantur exequie, squalore obsitus intrasset, maximum omnibus stuporem iniecit, quod obitum eius falso fama uulgauerat. Ad ultimum horror in risum concessit, 10 exprobrantibus sibi mutuo per ludibrium conuiuis, uiuum affore, quem ipsi perinde ac defunctum inferiis prosequerentur. Idem super comitibus interrogatus, ostensis, quos gestabat, baculis, hic, inquit, et unus et aliis est. Quod utrum uerius an iocosius protulerit, nescias. Siquidem ea 15 uox, quanquam a plerisque uana existimata fuerit, a ueri tamen habitu non descivit, que pereemptorum loco pensacionis eorum precium demonstrabat. Pincernis deinde, quo maiorem conuiuis hilaritatem afferret, coniunctus, curiosiore propinandi officio fungebatur. Et ne gressum laxior uestis 20 offenderet, latus gladio einxit, quem plerunque de industria distringens, supremo digitos acumine uulnerabat. Quanobrem a circumstantibus curatum, ut gladius cum uagina ferreo clavo traiiceretur. Idem quo tuciorem insidiis aditum strueret, petitam poculis nobilitatem crebris pocionibus onerauit, adeoque cunetes mero obruit, ut, debilitatis temulencia pedibus, intra regiam quieti se traderent, eundemque conuiuii et lecti locum haberent. Quos cum insidiis opportunos animaduerteret, oblatam propositi facultatem existimans, preparatos olim stipites sinu excipit, ac 25 deinde edem, in qua proceres passim fusis humi corporibus permixtam somno | erapulam ructabantur, ingressus, compactam a matre cortinam, que eciam interiores aule parietes obducebat, rescissis tenaculis decidere coegit. Quam sterentibus superiectam, adhibitis stipitum curuaminibus, adeo 30 inextricabili nodorum artificio colligauit, ut nemo subiecto-

rum, tametsi ualidius adniteretur, consurgendi effectum
assequi posset. Post || hec tectis ignem iniicit, qui crebre-
scentibus flammis late incen*diū spargens, totos inuoluit
penates, regiam consumpsit, omnesque aut profundum car-
5 pentes somnum aut frustra assurgere conantes cremauit.
Inde petito Fengonis cubiculo, qui prius a comitibus in
tabernaculum perductus fuerat, gladium forte lectulo co-
herentem arripuit, suumque eius loco defixit. Excitato
deinde patruo, proceres eius igne perire retulit; adesse
10 Amlethum ueterum uocum suorum ope succinctum, et
iam debita paterne cladis supplicia exigere auidum. Ad
hanc uocem Fengo lectulo desiliens, dum proprio defectus
gladio nequicquam alienum distingere conatur, opprimitur.
Fortem uirum eternoque nomine dignum, qui, stulticie
15 commento prudenter instructus, augustiore mortali inge-
nio sapienciam ammirabili inepciarum simulacione suppres-
sit, nec solum proprie salutis obtentum ab astucia mutua-
tus, ad paterne quoque ulcionis copiam eadem ductum
20 prebente peruenit. Itaque et se solerter tutatus, et paren-
tem strenue ultus, forcior an sapiencior existimari debeat,
incertum reliquit.

EXPLICITVS EST LIBER TERCIUS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIE DANICE
LIBER QVARTVS.

p. 150

Peracta uitrici strage, Amlethus, facinus suum
5 incerto popularium iudicio offerre ueritus, latebris uten-
dum existimauit, donec, quorsum incondite plebis uulgus
procurreret, didicisset. Igitur uicinia, que noctu ineendum
speculata fuerat, mane causam conspecti ignis nosse cupiens,
collapsam in cineres regiam animaduertit, ruinasque eius
10 adhuc tepidas perscrutata, nihil preter informes combustorum
corporum reliquias repperit. Adeo autem uorax flamma
omnia perederat, ut ne index quidem exstaret, ex quo tante
eladis causa accipi posset. Corpus quoque Fengonis ferro
confossum inter cruentas spectabatur exuuias. Aliis in-
15 dignacio patens, aliis meror, quibusdam gaudium oecultum
inecesserat. Hi ducis lamentabantur interitum, hi sopitam
parricide tyrannidem gratulabantur. Ita regis necis euen-
tus diuidua spectatorum sentencia excipiebatur.

Ea uulgi tranquillitate Amlethus relinquendarum late-
20 brarum fiduciam adeptus, accersitis, quibus arciorem patris
memoriam inherere cognouerat, eoneionem petit, in qua
oracionem huiusmodi habuit: Non uos moueat, proceres,
presens calamitatis facies, siquos miserabilis Horwendilli exi-
25 tus mouet; non uos, inquam, moueat, quibus in regem fides, in
parentem pietas sernata est. Parricide, non regis intueamini
funus. Luctuosior siquidem illa facies erat, eum ipsi regem
nostrum ab iniquissimo parricida, ne dicam fratre, flebiliter
iugulatum uidistis. Ipsi laceros Horwendilli artus, ipsi corpus
30 crebris uulneribus absumptum plenis miseracionis oculis
aspexistis. Quem ab atrociissimo carnifice spiritu spoliatum,
ut patria libertate exueretur, quis dubitet? Vna manus
ei fatum, et uobis seruitutem iniecit. Quis igitur tam

p. 151

amens, ut Fengonis crudelitatem Horwendilliane preferat pietati? Mementote, qua uos Horwendillus beniuolencia fouerit, iusticia coluerit, humanitate dilexerit. Memineritis, ademptum uobis mitissimum regem, iustissimum patrem, 5 subrogatum tyrannum, suffectum parricidam, erepta iura, contaminata omnia, pollutam flagicis patriam, impositum ceruieibus iugum, ereptum libertatis arbitrii. Et nunc his finis, eum suis auctorem eriminibus obrutum, suorum penas scelerum parricidam pependisse cernatis. Quis me-
 10 dioceriter prudens spectator beneficium iniurie loco duxerit? (55) Quis mentis compos proprium in auctorem seclus recidisse condoleat? Quis eruentissimi lictoris cladem defleat, aut crudelissimi tyranni iustum lamentetur interitum? Presto est auctor rei, quem cernitis. Ego quidem et parentem
 15 et patriam ulcione prosecutum me fateor. Opus, quod uestris pariter manibus debebatur, exercui. Quod uos mecum communiter condecebat, solus impleui. Adde, quod neminem tam preclari facinoris socium habui, nec cuiuspiam michi comes opera fuit. Quanquam haud ignorem, uos
 20 huic manum datus negocio, si petissem, a quibus fidem regi, beniuolenciam principi seruatam non dubito. Sed sine uestro diserimine nefarios puniri placuit. Neque enim alienos humeros oneri subiiciendos putabam, cui susten-
 tando proprios suffecturos credebam. Ineineraui ego alias,
 25 solum Fengonis trunecum uestris manibus concremandum p. 152 reliqui, in quo saltem iuste ulcionis cupidinem exsaciare possitis. Coneurrite alaeres, extruite rogum, exurite impium corpus, decoquite scelestos artus, spargite noxios cineres,
 30 disieite immites fauillas; non urna, non tumulus nefandas ossium reliquias claudat. Nullum parrieidii uestigium maneat, nullus contaminatis artibus intra patriam locus existat, nulla contagium uicinia contrahat; non mare, non solum damnati cadaueris hospicio polluatur. Cetera ego prebui,
 35 id solum uobis pietatis officium relictum est. His exequiis prosequendus tyrannus, hae pompa paricide funus ducendum. Sed neque eius cineres, qui patriam libertate nu-
 dauerit, a patria tegi conuenit. Preterea quid meas re-
 uolum erumnas? calamitates recenseam? retexam miseras?
 40 quas ipsi me plenius nostis. Ego a uitrico ad mortem que-
 situs, a matre contemptus, ab amicis consputus, annos flebiliter

exegi, dies calamitose duxi, incertum uite tempus periculis
 ac metu refertum habui. Postremo omnem etatis partem
 maxima cum rerum aduersitate miserabiliter emeūsus sum.
 Sepe me tacitis intra uos questibus sensu uacuum geme-
 5 batis; deesse ultorem patri, parricidio vindicem. Que res
 occultum michi uestre caritati(s) indicium attulit, in quorum
 animis needum regie clavis memoriam exoleuisse cernebam.
 Cuius itaque tam asperum pectus, tam saxeus rigor, quem
 non passionum mearum compassio moliat, erumnarum
 10 miseracio non flectat? Miseremini alunni uestri, moue-
 amini infortuniis meis, qui ab Horwendilli nece immunes
 geritis manus. Miseremini quoque afflerte genitricis mee,
 et regine quondam uestre extincto congandete dedecori,^{p. 153}
 que uiri sui fratrem interfectorumque complexa, geminum
 15 ignominie pondus femineo perpeti corpore cogebatur.
 Quamobrem ut ulcionis studium occultarem, obscurarem
 ingenium, adumbratum, non ueruni inercie habitum am-
 plexatus sum; stoliditatis figmento usus, sapiencie commen-
 tum texui, quod nunc an efficax fuerit, utrum finis sui
 20 complementum attigerit, uestro conspectui patet; uos tante
 rei arbitros habere contentus sum. Ipsi parricidales fauillas
 pedibus proculante; despicamini cineres eius, qui iugula-
 ti fratris uxorem polluit, flagicio temerauit, dominum lesit,
 maiestatem prodicionis scelere lacessiuit, acerbissimam
 25 uobis tyrannidem intulit, libertatem ademit, incesto parrici-
 dium cumulauit. Me tam iuste vindictae ministrum, tam
 pie ulcionis emulum, patricio suscipe spiritu, debito prose-
 quimini cultu, benigno refouete contiuu. Ego patrie pro-
 bruni dilui, matris ignominiam extinxi, tyrannidem reppuli,
 30 parricidam oppressi, insidiosam patrui manum mutuis in-
 sidiis elusi; cuius, si superesset, in dies seclera percrebre-
 scerent. Dolebam et patris et patrie iniuriam; illum
 extinxi uobis atrociter et supra, quam uiros decnerat,
 imperantem. Recognoscite beneficium, ueneramini ingenium
 35 meum, regnum, si merui, date; habetis tanti auctorem
 munieris, paterne potestatis heredem non degenerem, non
 parricidam, sed legitimū regni successorem, et piū noxe*
 parricidalis ultorem. Debetis michi recuperatum libertatis bene-
 ficiū, exclusum afflictantis imperium, ademptum oppressoris
 40 iugum, excussum parricide dominium, calcatum tyrannidis

sceptrum. Ego seruitute uos exui, indui libertate, restitu culmen, gloriam reparaui, tyrannum || sustuli, carnificem triumphaui. Premium penes uos est; ipsi meritum nostis; a uestra merces uirtute requiritur.

(56)
p. 154

5 Flexerat hac oracione adolescens omnium animos; quosdam ad miseracionem, alios ad lachrymas usque perduxit. At ubi quieuit meror, rex alaci cunctorum acclamacione censem. Plurimum quippe spei in eius industria ab uniuersis reponebatur, qui tanti facinoris summam profundiissimo astu texuerat, incredibili molitione concluserat. Mirari illum complures uideres tanto temporis tractu subtilissimum texisse consilium.

His apud Daniam gestis, ternis nauigiis impensius adornatis, saceruni uisurus ac coniugem Britanniam repetit. 15 In clientelam quoque armis prestantem iuuentutem adciuerat, exquisito decoris genere cultam, ut, sicut cuncta despicabili dudum habitu gesserat, ita nunc magnificis ad omnia paratibus uteretur, et, quicquid olim paupertati tribuerat, ad luxurie impensam conuerteret. In scuto quoque, 20 <quod> sibi parari iusserat, omnem operum suorum contextum, ab ineuntis etatis primordiis auspicatus, exquisitis picture notis adumbrandum curauit. Quo gestamine perinde ac uirtutum suarum teste usus, claritatis incrementa contraxit. Iстic depingi uideres Horwendilli iugulum, Fengonis 25 cum incestu parricidium, flagiosum patrum, fratreuilem ridiculum, aduncas stipitum formas, suspicionem uitrici, dissimulationem priuigni, procurata testamentorum genera, adhibitam insidiis feminam, hiantem lupum, inueatum gubernaculum, preteritum sabulum, initum nemus, insitam oestro paleam, 30 instructum indiciis adolescentem, elusis comitibus rem seorsum cum uirgine habitam. Cerneret itaque adumbrari regiam, adesse cum filio reginam, trucidari insidiatorem, trucidatum decoqui, cloace coctum infundi, infusum subibus obiici, ceno artus insterni, instratos beluis absumentos relinqu. Videres eciam, ut Amlethus dormientium comitum secretum deprehenderit, ut oblitteratis apibus, alia figurarum elementa substituerit, ut dapem fastidierit pocionemque contempserit, ut uultum regis arguerit, 35 ut reginam sinistri moris notauerit. Aspiceres quoque legatorum suspendium, adolescentis nupcias figurari, Daniam

p. 155

nauigio repeti, inferias conuiuio celebrari, comitum loco baculos percontantibus ostendi, iuuem pincerne partes exequi, districto per industriam ferro digitos exulcerari, gladium clavo pertundi, conuiuales plausus augeri, increbescere tripudia, auleam dormientibus inicii, iniectam uncorum nexibus obfirmari, pertinacius sopitos inuolui, tectis torrem immitti, cremari conuiuas, depastam incendio regiam labefactari, Fengonis cubiculum adiri, gladium eripi, inutilem erepti loco constitui, regem priuigni manu proprii mucronis 10 acumine trucidari. Hec omnia exultissimo rerum artificio militari eius scuto opifex studiosus illeuerat, res formis imitatus, et facta figurarum adumbracione complexus. Sed et comites ipsius, quo se nitidius gererent, oblitis tantum auro clypeis utebantur.

15 Quos Britannie rex benignissime exceptos regii apparatus impensis prosequitur. Qui inter opulandum, an Fengo uiueret integrisque fortunis esset, cupide percontatus, cognoscit e genero, ferro periisse, de cuius frustra salute perquireret. Cumque interfectorum eius crebris perconfacionibus inuestigaret, eundem cladis eius auctorem ac nuncium extare didicit. Quo auditio, tacitum animi stuporem contraxit, quod ad se promissam quondam Fengonis ulcionem pertinere cognosceret. Ipse siquidem ac Fengo, ut alter alterius ultorem ageret, mutua quondam paccione decreuerant. Trahebat itaque regem hinc in filiam pietas, in generum amor, inde caritas in amicum et preterea iurisiurandi firmitas, ipsa quoque mutue obtestacionis religio, quam* uiolare nefarium erat. Tandem cum affinitatis contemptu iuratoria | preponderauit fides, conuersusque ad 20 ulcionem animus necessitudini religionem anteposuit. Sed quoniam hospitalitatis sacra uiolare nefas credebatur, aliena manu ulcionis partes exequi preoptauit, innocencie speciem occulto facinore pretenturus. Igitur insidias officiis texit, ledendique curam adumbratis beniuolencie studiis obscurauit. 25 Et quia coniunx eius nuper morbo consumpta fuerat, Amlethum reparandarum nupciarum legacionem suscipere iubet, ad modum se singulari ipsius industria delectatum prefatus. Regnare siquidem in Scotia feminam asserebat, cuius uehementer connubium affectaret. Sciebat namque, eam 30 non modo pudicicia celibem, sed eciam insolencia atrocem,

XXXI^b

p. 156

(57)

proprios semper exosam procos, amatoribus suis ultimum irrogasse supplicium, adeo ut ne unus quidem e multis extaret, qui procacionis eius penas capite non luisset.

Proficiscitur itaque Amlethus, quanquam periculosa
 5 legacio imperaretur, iniuncti muneris obsequium non detretans, sed partim domesticis seruis, partim regis uernaculis fretus. Ingressusque Scottiam, cum haud procul regine penatibus abesset, recreandorum equorum gracia iunctum uie pratum accessit, ibique, loci specie delectatus, quieti
 10 consuluit, iocundiore riuui strepitu sonni cupidinem prouocante, ordinatis, qui stacionem eminus obseruarent. Quo auditio regina denos iuuenes exterorum aduentum apparatumque speculaturos emittit. Quorum unus uegetioris ingenii, elusis uigilibus, peruicacius subiens clypeum
 15 Amlethi, quem capiti forte dormiturns affixerat, tanta lenitate submouit, ut ne superiacentis quidem quietem turbaret, aut cuiuspam ex tanto agmine somnum perrumperet, dominam non modo nuncio, sed eciam rerum indicio cerciorum redditurus. Delegatas quoque ei literas locu'is, qui-
 20 bus asseruabantur, pari calliditate subduxit. Quibus regina ad se perlatis, clypeum curiosius contemplata, ex affixis p. 157
 notulis tocis argumenti sumمام elicuit, eumque affore intellexit, qui, exactissimo prudencie consilio fretus, de patruo paterne cladis penas acceperit. Literas quoque
 25 nupeciarum suarum peticionem continentis intuita, totos oblitterauit apices, quod senum ad modum connubium abhorret, iuuenum complexus appeteret. Inscriptis autem mandatum perinde atque a Britannie rege sibi transmissum, et eius titulo pariter ac nomine consignatum, quo
 30 se latoris peti coniugio simularet. Quin eciam facta, que ex eius scuto cognouerat, scripto complectenda curauit, ut et clypeum literarum testem et literas clypei interpretes existimares. Deinde eos, quorum exploracione usa fuerat, scutum referre, literasque loco suo restituere
 35 iubet, eodem fallacie genere Amlethum insequuta, quo eum in cauillandis comitibus usum acceperat.

Interea Amlethus clypeum capiti fraude subductum expertus, ocluisis de industria oculis quietem callidius simulat; quod uero sopore amiserat, factio recuperaturus.
 40 Alteram quippe fallendi uicem hoc pronius ab insidioso

querendam putauit, quo solam prosperius egerit. Nec eum opinio fefellit. Speculatorum quippe clandestino aditu scutum ac chartam pristino loco reponere cupientem pro-siliens corripit, captumque uinclorum pena choercuit. Deinde,
 5 excitatis comitibus, regine penates accedit. Cui ex socii persona consalutate scriptum, eiusdemque sigillo obsignatum porrexit. Quod cum accepisset Hermuthruda (regine id nomen erat) perlegissetque, operam Amlethi industriamque uerbis impensionibus prosecuta, iustas Fengonem penas pependisse
 10 dicebat, ipsum uero Amlethum rem humana estimacione maiorem incomprehense profunditatis ingenio molitum, quod non solum paterni exicci maternique concubitus ulcionem inscrutabili sensus altitudine commentus fuisset, uerum | eciam p. 158
 regnum eius, a quo crebras insidias expertus fuerat, con-
 15 spicuis probitatis operibus occupasset. Quamobrem mirari se tam eruditii ingenii uirum uno nupciarum *errore labefactari potuisse, qui, cum humanas pene res claritate transcedat, in ignobilem obscuramque copulam prolapsus uideatur. Quippe coniugem eius seruis parentibus esse, quan-
 20 quam eos fortuna regiis honoribus exornasset. In expeten-
 dis siquidem coniugiis prudenti non forme fulgorem, sed generis meciendum. Quapropter si rite || copulam appetat, prosapiam estimet nec specie capiatur, que cum ille-
 cebrarum irritamentum sit, multorum candorem inaniter
 25 fucata detersit. Esse uero, quam sibi nobilitate parem asciscere possit. Se siquidem, nec rebus tenuem nec san-
 guine humilem, eius amplexibus idoneam fore, utpote quam nec regiis, opibus uincat, nec aucto splendore precellat.
 Quippe reginam se esse, et, nisi refragaretur sexus, regem
 30 existimari posse; immo, quod uerius est, quemcunque thoro suo dignata fuerit, regem existere, regnumque se cum am-
 plexibus dare. Ita et nupciis sceptrum et sceptro nupcias respondere. Nec parui beneficii esse, eam proprios offerre amplexus, que circa alios ferro repulsam exequi consueve-
 35 rat. Hortatur itaque, placendi studium in se transferat, in se uotum nupciale deflectat, genusque forme preferre discat. Hec dicens, astrictis in eum complexibus ruit.
 Ille, tam comi uirginis eloquio delectatus, in mutua prorumpit oscula, alternos complexum nodos conserit,
 40 sibique, quod uirgini, placitum protestatur. Fit deinde

XXXII^a
(58)

conuiuium, accersuntur amici, corrogantur primores, nupcie peraguntur. Quibus expletis, cum nupta Britanniam repetit. ualida Scott[h]orum manu proprius subsequi iussa, cuius opera aduersum uarios insidiarum obiectus uteretur. Re-
 deunti Britannici regis filia, quam in matrimonio habebat,
 occurrit. Que quanquam se superducte pellicis iniuria
 lesam quereretur, indignum tamen aiebat, maritali gracie
 pellicatus odium anteferri, neque se adeo uirum auersa-
 turam, ut, quod ei fraudulencius intentari sciat, silencio
 10 occultare sustineat. Habere enim se pignus coniugii filium,
 cuius saltem respectus coniugalem matris caritatem commen-
 dare debuerat. Ipse enim, inquit, matris sue pellicem
 oderit, ego diligam; *meos* | in te ignes nulla calamitas so-
 piet, nullus liuor extinguet, quin et in te sinistre excogi-
 15 tata detegam et, quas deprehenderim insidias, pandam.
 Quamobrem cauendum tibi sacerum putas, quod ipse le-
 gacionis prouentum carpseris, omnemque eius fructum in
 temet, eluso mittentis uoto, peruicaci usurpacione transtu-
 leris. Qua uoce se coniugali quam paterne caritati pro-
 20 piorem ostendit.

Hee loquente ea adest Britannie rex, generumque
 arceius quam affectuosius amplexatus, conuiuio excipit,
 liberalitatis specie fraudis propositum celaturus. Amlethus,
 cognita fraude, metum dissimulanter habuit, ducentisque
 25 equitibus in comitatum receptis, subarmalem uestem in-
 dutus obsequitur inuitanti, maluitque regie simulacioni
 periculose parere, quam turpiter repugnare. Adeo hone-
 statem in cunctis obseruandam putabat. Quem communis
 obequitantem rex sub ipsa bipatencium portarum testudine
 30 adortus iaculo transegisset, ni ferrum subarmalis toge duri-
 cies reppulisset. Amlethus, leui recepto uulnere, eo loci
 se contulit, ubi Scotticam iuuentutem expectandi officio
 fungi iusserat, captiuo noue coniugis speculatoro ad regem
 remisso, qui se destinatas domine literas loculorum custo-
 35 die furtim emisse testando, crimen in Hermutrudam re-
 funderet, ipsumque accurato genere excusacionis reatu
 prodicionis absolueret. Quem rex audius fugientem inse-
 qui non moratus, maiore copiarum parte priuauit, ita ut
 Amlethus die postero, salutem prelio defensurus, despera-
 40 tis ad modum resistendi uiribus, ad augendam multitudinis

speciem exanima sociorum corpora, partim subiectis stipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia uiuentum more equis imposita, nullo armorum detraecto, perinde ae preliatura seriatim in aciem euneumque digesserit. Nec
 5 rarius mortuorum cornu erat, quam uiuencium globus. Stupenda siquidem illa facies erat, eum extincti raperentur ad prelia, defuncti deceernere cogerentur. Que res au-
 p. 160
 10 ctori ociosa non ^{p. 160}*fuit, cum ipse extinctorum imagines
 lacessentibus solis radiis immensi agminis speciem darent.
 15 Ita enim inania illa defunctorum simulacula pristinum militum numerum referebant, ut nihil ex eorum gregi hesterna strage || diminutum putares. Quo aspectu territi Britanni pugnam precurrere fuga, a mortuis superati, quos uiuos oppresserant. Que uictoria nescio callidior an felicior
 20 existimanda sit. Rex dum segnius fugam intendit, ab imminentibus perimitur Danis. Vietor Amlethus, ingenti preda acta, conuulsisque Britannie spoliis, patriam eum coniugibus petit.

Interea, defuncto Rorico, Vigletus regnum adeptus,
 25 Amlethi matrem omni petulanie genere fatigatam regiis opibus uacuefecerat, filium eius, fraudato Lethrarum rege, cui dignitatum iura dandi tollendique ius esset, Iutie regnum occupasse conquestus. Quam rem Amlethus tanta animi moderacione exceptit, ut, Vigleto splendidissimis uictorie
 30 sue manubiis donato, calumniam beneficio rependere uideatur. Quem post modum, exigende ulcionis occasione suscepta, bello lacessitum deuicit, atque ex occulto hoste manifestus euasit. Fiallerum Scanie prefectum exilio adegit; quem ad locum, cui Vndersakre nomen est, nostris
 35 ignotum populis, concessisse est fama. Post hec cum a Vigleto, Scanie Sialandieque uiribus recreato, per legatos ad bellum prouocaretur, mirifica animi industria duas circa se res, quarum alteri probrum, alteri periculum inesset, fluetuari peruidit. Sciebat quippe sibi, si prouocacionem sequeretur, imminere uite periculum, si refugeret, instare milicie probrum. Preponderauit tamen in contemplatore uirtutum animo seruande honestatis cupidus, obtuditque clavis formidinem impensior laudis auiditas, ne solidus glorie fulgor meticulosa fati declinacione | corrumperetur.
 40 Animaduertebat quoque, tantum pene inter ignobilem ui-

tam et splendidam mortem discriminis interesse, quantum dignitas a contemptu distare cognoscitur. Tanta autem Hermutrude caritate tenebatur, ut maiorem future eius uiduitatis, quam proprie necis sollicitudinem animo insitam
 5 gestaret, omnique studio circunspiceret, qualiter ei secundas nupcias ante belli ingressum concisceret. Quamobrem Hermutruda, virilem professa fiduciam, ne in acie quidem se eum deserturam spopondit, detestabilem inquiens feminam, que marito morte conseri formidaret. Quam
 10 promissionis nouitatem parum executa est. Nam cum Amlethus apud Iutiam a Vigleto acie interemptus fuisse, ultra in uictoris predam amplexumque concessit. Ita uotum omne feminineum fortune uarietas abripit, temporum mutacio dissoluit, et muliebris animi fidem lubrico nixam uestigio
 15 fortuiti rerum casus extenuant, que sicut ad pollicendum facilis, ita ad persoluendum segnis, uariis uoluptatis irritamentis astringitur, atque ad recencia semper audius expetenda, ueterum immemor, anhela preceps cupiditate dissultat. Hic Amlethi exitus fuit, qui si parem nature atque
 20 fortune indulgenciam expertus fuisse, equasset fulgore superos, Herculea virtutibus opera transcendisset. Insignis eius sepultura ac nomine campus apud Iutiam exstat. Vigletum tranquillam ac diutinam regni procuracionem emensem morbus consumpsit.
 25 Cui filius Wermundus succedit. Hic prolixis tranquillitatis ociis felicissima temporum quiete decursis, diutina(m) domestice pacis constanciam inconcessa rerum securitate tractabat. Idem prolis expers iuentam exegit, senior uero filium Vffonem sero fortune munere suscitauit,
 30 cum nullam ei sobolem elapsa tot annorum curricula peperissent. Hic Vffo coeuos quosque corporis habitu supergressus, adeo hebetis ineptique animi principio iuente existimatus est, ut priuatis ac publicis rebus inutilis uideretur. Siquidem ab ineunte etate numquam lusus aut ioci
 35 consuetudinem pre*buit, adeoque humane delectacionis xxx
 uacuus fuit, ut labiorum continenciam iugi silencio premeret et seueritatem oris a ridendi prorsus officio temperaret. Verum ut incunabula stoliditatis opinione referta habuit, ita post modum condicionis contemptum claritate mutauit,
 40 et quantum inercie spectaculum fuit, tantum prudencie et

fortitudinis exemplum euasit. Cuius pater socordiam contemplatus, filiam ei Slesuicensium prefecti Frowini in matrimonium adsciscit, illustrissimi uiri affinitate utilissimum gerendi regni subsidium recepturo. || Huic erant filii Keto
 et Wigo, splendidissime indolis iuuenes, quorum Wermundus non minus, quam Frowini uirtutem futuris filii profectibus deputabat.

Ea tempestate regnabat apud Suetiam Athislus, uir fama studioque conspicuus; qui cum finitimos late bello pressisset, ne partum uirtutibus fulgorem ocio desidieque corrumpendum relinqueret, complura nouarum rerum officia sedulo frequentacionis studio celebranda curauit. Inter que eciam insigni armatura succinctus, cotidianam solitarii incessus consuetudinem prebuit, tum quod in re militari nihil crebro armorum usu prestancius nosset, tum ut huius agitacione studii claritatis incrementa contraheret. In quo non minus sibi fiducia, quam laudis cupido uendicauit. Tantam quippe nullius rei uiolenciam existimabat, ut eius obiectu mentis sue robur quassandum timeret. Qui cum traiectis in Daniam armis Frowinum apud Slesuicum acie prouocasset, magnisque inuicem cedibus copie funderentur, accidit ipsos agminum duces ita inter se ferro concurrere, ut rem duelli more prosequerentur et preter publicam belli sortem priuati conflictus specie decertarent. Hunc enim congressionis euentum par amborum expetebat affectus, ut uirtutem non parcium ope, sed propria uirium experientia testarentur. Quo euenit, ut, crebrescentibus utrinque plagis, Athislus armis superior, prostrato Frowino, priuate uictorie publicam iungeret, passimque diulsa Danorum agmina profligaret. Inde Suetiam reuersus, Frowini necen non solum uirtutum suarum imaginibus adscripsit, uerum eciam impensiore uerborum iactancia prosequi consueuit, gloriam facti uocis petulancia demolitus. Aliquando enim speciosius uirtutes silencii uerecundia teguntur, quam sermonis petulancia publicantur.

Frowini filios Wermundus paterne dignitatis honoribus uehit, extincti pro patria amici liberos iusto ad modum beneficio prosecutus. Que res Athislo referendi in Daniam belli monitum prebuit. Rediit itaque superioris pugne fi-
 ducia concitatus, non modo tenues angustasque copias,

(60)

p. 163

uerum omne uirtutis Suetice robur adiectans, perinde ac
tocius Danie imperium rapturus. Quod Frowini filius Keto
per primipilum suum, Folconem nomine, Wermundo, tunc
forte uillam Ialungam tenenti, nunciandum curauit. Qui
5 regem cum amicis epulantem reperiens, mandatum adhorta-
tione prosecutus, adesse belli facultatem diutule postu-
latam et ultiro se Wermundi uotis ingerere dixit, cum et
prompta uincendi prestetur occasio, et maturus triumphi
titulus opcionis eius arbitrio tribuatur. Magnam itaque et
10 inopinam felicitatis dulcedinem esse, quam ei longis affe-
ctatam suspiriis presentis euentus auspicia largiantur. Ve-
nisse siquidem Athislum innumeris Sueonum copiis succin-
etum, perinde ac uictorie certitudinem | indubitate animi
presumpcione complexum; cumque preliaturum hostem
15 fatum fuge anteferre dubium non sit, felicem recentis uul-
neris ulcionem oblata belli facultate prestari.

Quem Wermundus preclare ac fortiter legacionis partes
executum testatus, paulisper epulis refici iubet, quod itinera
iciun[i]s officere soleant. Qui cum nequaquam sibi capi-
20 endi cibi ocium suppeteret dixisset, pocione sitim lenire
depositur. Quo prebito, poculum quoque (nam aureum
erat) adseruare iubetur, affirmante Wermundo, commeandi
calore defessis commodius cratere quam palma lympham
*excipi, meliusque bibendi usum cippi, quam manus sub-
25 sidio celebrari. Quo tam beniuolis uerbis muneric magni-
tudinem prosequente, delectatus utroque iuuenis, se prius
ad percepte pocionis mensuram proprii crux haustu usu-
rum, quam regis conspectibus terga admoturum promittit.
Tam fortem eius promissionem Wermundus mercedis nomine
30 ueneratus, aliquanto plus uoluptatis ex dato beneficio, quam
miles ex accepto percepit. Nec animosius locutum eum
quam preliatum expertus est.

Commisso namque bello contigit, ut inter uarios tur-
marum procursus concurrentibus Folcone et Athislo, ma-
35 numque diutule conserentibus, Sueonum exercitus ducis
sui euentum secutus fugam ingrederebatur, Athislus quoque
saucius ad naues ex acie conuolarebat. Cumque Folco uul-
neribus ac labore hebetatus, sed et estu et labore pariter
sitique perfusus, fugam insequi destitisset hostilem, recre-
40 andi corporis gracia proprium casside cruorem exceptit

hauriendumque ori prebuit. Quo facto, receptum a rege craterem speciosissime pensauit. Quod uidens forte Wermundus impensis eum peracte promissionis laudauit. Cui Folco speciosa uota ad debitum finem perducenda respondit.

5 Qua uoce non minorem facti sui commendacionem quam Wermundus exhibit.

Cumque uictores, ut post prelium fit, depositis armis ac quiescentes, uariis inuicem sermonibus uterentur, Slesuicensium prefectus Keto, magne sibi ammiracioni[s] esse

10 predicauit, qualiter Athislus crebris obstantibus causis elapsionis copiam impetrauerit, presertim cum is ante omnes bella gesserit primus, fuga uero postremus incesserit, nec alius quispiam ex hostibus fuerit, cuius tantis Danorum studiis affectaretur occasus. Ad hec Wermundus, nosse

15 eum oportere aiebat, omnem bellorum aciem quadrifaria dimicancium uarietate distingui. Esse enim primi generis bellatores, qui, fortitudinem modestia temperantes, rebelles acrius cedant, fugientibus instare erubescant. Hos siquidem *<esse>*, quos diuina armorum experientia cereiore uirtutis testimonio prosequatur, quique gloriam suam non in uictorum fuga, sed uincendorum expugnacione constituant. Esse prelianum et aliud genus, qui corporis animique uiribus freti, sed nulla miseracionis parte prediti, in hostium tam terga quam pectora communi cedis atrocitate deseui-

20 ant. Tales quippe esse, qui, iuuenilis animi calore prouecti, tyrocinii rudimenta bellorum auspiciis ornare contendant, quosque tam etatis quam landis ardor inflammet, inque fas et nefas pari nisu securitate precipitet. Esse eciam tercios, quibus inter metum pudoremque anxiis progressum

25 30 terror adimat, recursum ruboris obstaculum tollat, qui sanguine clari, inanique tantum proceritate conspicui, aciem numero, non uiribus densem, hostem umbra pocius quam armis feriant, et in bellatorum grege solo corporum spectaculo censeantur. Hos magnarum opum dominos fore,

35 genere quam animo prestanciores, quos lucis auditas rerum dominio contracta, plus ignauie quam nobilitatis uiribus indulgere compellat. Esse item et alios, qui speciem, non rem in bellum perferant, seque extremis sociorum agminibus inuerentes primi fugam, postremi prelium gerant. In

40 quibus imbecillitatis habitum certi pauoris indicium detegat,

cum semper, quesitis de industria subterfugiis, pugnancium terga timidioris progressus pigricia subsequantur. His ergo de causis regem fuga seruatum existimari debere, eum a primi ordinis militibus nulla persecucionis instancia fugiens
 5 premeretur, qui non uictos arcere, sed uictoriam conseruare eure habeant, perindeque cuneos densem, ut trophei nouitas competentibus nixa presidiis perfectam successus copiam adsequatur. Secundi uero generis pugnatores, quibus obiecta queque perimere studium sit, non animi, sed
 10 opportunitatis inopia Athislum intactum liquisse, quod eos non tam ledendi ausus, quam facultas defecerit. Sed et tertii *ordinis uiros, qui ipsum pugne tempus trepido uagationis genere deducentes, successus eciam socie partis impediunt, quanquam ledendi regis locum habuerunt, atten-
 15 tandi tamen audacia caruisse. His modis Wermundus stu-
pidam Ketonis ammiracionem absoluens, ueras seruati regis causas assercione sua editas memorabat.

Post hec Athislus Suetiam refugus petit, Frowini cedem pertulancius iactans, ac facinoris huius memoriam
 20 uerboso laudum suarum relatu incessanter ostentans, non quod recepte cladis ruborem equo animo ferret, sed ut recentis fuge uulnus antique uictorie titulis recrearet. Cuius rei Keto et Wigo, ut par erat, indignacione permoti, in paterne ulcionis uota || coniurant. Quam se parum bello
 25 exequi posse credentes, sumpto leuioris armature paratu, Suetiam solitarii petunt, ingressique nemus, in quo regem absque comite uersari solitum fama cognouerant, tela latebris mandant. Inde cum Athislo profugorum nomine diutile conuersati, cum ab eo, quam patriam haberent, inter-
 30 rogarentur, Slesuicenses se esse, patriamque cedis causa liquisse testantur. Quod rex eos non de patrandi facinoris uoto, sed de patrati noxa astruxisse credebat. Ea quippe fraude percunctantis studium eludere cupiebant, ut relationis certitudo cassum querenti pareret intellectum, et
 35 responsionis ueritas tacitis adumbrata figmentis opinionem incuteret falsitatis. Plurimum quippe deformitatis olim ab illustribus uiris in mendacio reponebatur. Tum Athislus scire sibi libitum dixit, quis Danorum opinione Frowini interfector credatur. Ad hec Keto, dubitari, inquit, cui
 40 tanti facinoris claritatem arrogari conueniat, presertim cum

eum publica auctoritas acie extinctum perhibeat. Respondit Athislus, frustra aliis Frowini necem adscribi, quam ipse duntaxat alterna manus consercione peregerit. Mox, an ulla Frowino soboles superesset, perquirit. Ketone
 5 deinde duos eius filios extare dicente, etatis eorum ac stature habitum perquam libenter se cognoscere dixit. Refert Keto, hos sibi corpore prope modum equales esse, etate pares, proceritate persimiles. Tunc Athislus, si mens, inquit, illis ac uirtus paterna constaret, acerba michi tem-
 10 pestas ingrueret. Interrogante deinde eo, an cerebram paternae necis mencionem haberent? Keto, quicquid reme-
 dio temperari non possit, superuacue uerbis replicari, sub-
 iunxit, nihil prodesse testatus, inexpiable malum assiduis iterare molestiis. Quo dicto, documentum dedit, ulcionem
 15 minis precurri non oportere.

Cumque regem acuendi roboris gracia cotidie solitarie digressionis officio utentem uideret, receptis armis cum fratre preuum eius consecutatur incessum. Quibus Athislus uisis harenam pressit, quod imminentes uitare deforme exi-
 20 stimaret. Illis deinde, se perempti ab eo Frowini penas sumpturos, dicentibus, presertim cum plurimo iactancie fastu se solum necis eius fateatur | auctorem, caendum eis, inquit, ne, dum ulcionis effectum appetant, infirmas et inopes uirium manus stulta secum audacia conserant, dum-
 25 que alienum affectent exicum, proprium experiantur occa-
 sum, optime indolis habitum prepropera laudis cupidine consumpturi. Quamobrem parcant iuuente, parcant et in-
 doli, nec temere uotum eis incesserit pereundi. Itaque paternae cladis iniuriam pecunia a se rependi permittant,
 30 ingentisque glorie loco habeant, quod tantum principem mulcte nomine choeruisse et ueluti quodam terroris imperio concussisse credantur. Hec uero se non timore percitum, sed adolescencie eorum miseracione motum docere. A quo Keto frustra tempus tanta uerborum ambage deduci pre-
 35 fatus, quod tam iuste ulcionis affectum pecunie promissione labefactare conetur, progredi illum iubet et, si quid sibi uirium sit, solitario secum experiri congressu. Nam et se, remoto fratris adminiculo, propriis acturum uiribus, ne manu impari pugna conseri uideretur infamis. Duos siqui-
 40 dem cum uno decernere ut iniquum, ita eciam probrosum

apud ueteres credebatur. Sed neque uictoria hoc pugne genere parta laudabilior habita, quod pocius dedecori quam glorie iun^{*}cta uideretur. Quippe unum a duobus opprimi xx
ut nullius negocii, ita maximi ruboris loco ducebatur.
5 Tanta autem Athislum fiducia ceperat, ut ambos ad se pariter incessendum hortaretur, prefatus, se tucioris pugne potestatem facturum, quibus pugnandi uotum detrahere nequeat. Quam indulgenciam Keto ita auersatus est, ut prius se fato, quam ea usurum testaretur, oblatam certa-
10 minis condicionem || nicio sibi uertendam existimans. Quem Athislus manum secum cupidius conserentem modesto pugne genere excipere cupiens, clypeum eius duntaxat adacto leuius muerone conuerberat, animosior salutis sue quam efficacior defensor. Quo diutule gesto, monet, uti
15 fratrem cepti consortem ad(s)ciscat, nec aliena manus opem exposcere erubescat; cum solitariam sui conatus experientiam sine effectu esse uideat. Abnuenti parcendum negat, minasque opere prosecutus, summis eum uiribus tentat. A quo tam ualido ferri ictu exceptus est, ut ipsum, diffissa
20 casside, capiti illabi cogeretur. Quo uulnere irritatus (nam multus e uertice cruar profundebatur) Ketonem crebris ac uegetis ictibus petitum genibus humum petere coegit. Quod Wigo intueri non passus, propior priuate caritati, quam publice consuetudini, ruborem pietati cedere coegit,
25 inuasoque Athislo fraterne imbecillitatis protector quam spectator esse maluit. Quo facto plus obprobrii quam laudis contraxit, quod in iuuando fratre statutas duelli leges soluisset, eidemque utilius quam honestius opem tulisse uideretur. Siquidem ex altera lance dedecoris, ex
30 altera pietatis partibus indulxit. Itaque prompeius quam speciosius Athisli cedes ab ipsis peracta noscebatur. Que ne uulgo clam esset, corpus eius, abscisso capite, equo impensum extra nemus ferentes, propinquioris pagi incolis tradunt, Frowini filios paterne necis ulcionem ab Athislo
35 Sueonum rege exegisse testantes. Talem pre se uictoriam ferentes, primis a Wermundo honoribus excipiuntur, utilissimum ab eis opus editum iudicante, sublatique emuli gloriam quam admissi obprobrii famam cupidius intuente, nec tyranni necem ullis ignominie partibus affinem cen-

sente. In prouerbium apud exteris ductum, quod prisum
dimicandi ius regius labefactasset interitus.

Cumque Wermundus etatis uicio oculis orbaretur,
Saxonie rex, Daniam duce uacuam ratus, ei[que] per legatos
5 mandat, regnum, quod preter etatis debitum teneat, sibi
procurandum committat, ne nimis longa imperii auditate
patriam legibus armisque destituat. Qualiter enim regem
censeri posse, cui senectus animum, cecitas oculum pari
caliginis horrore fuscauerit? Quod si abnuat, filiumque
10 habeat, qui cum suo ex prouocacione configere audeat,
uictorem regno potiri permittat. Si neutrum probet, armis
secum, non monitis agendum cognoscat, ut tandem inuitus
prebeat, quod ultroneus exhibere contemnat. Ad hec
Wermundus, alioribus suspiriis fractus, impudencius se etatis
15 exprobracione lacerari respondit, quem non ideo huic infeli-
citatis senectus prouexerit, quod pugne parcus timidius iuuen-
tam exegerit. Nec apcius sibi cecitatis uicium obiectari, quod
plerunque talem etatis habitum talis iactura consequi soleat,
pociusque condolendum calamitati quam insultandum uideatur.
20 Justius autem Saxonie regi impaciencie notam afferri posse,
quem pocius senis fatum opperiri, quam imperium poscere
decuisset, quod aliquanto prestet defuncto succedere, quam
uiuum spoliare. Se tamen, ne tanquam delirus prisca
libertatis titulos externo uideatur mancipare dominio, pro-
25 pria manu prouocacioni paritum. Ad hec legati, scire
se inquiunt, regem suum conserende cum ceco manus lu-
dibrium perorrere, quod tam ridiculum decernendi genus
rubori quam honestati propinquius habeatur. Apicius uero
per utriusque pignus et sanguinein amborum negocio con-
30 suli. Ad hec obstupfactis animo Danis subitaque respon-
si ignorancia percusis, Vffo, qui forte cum ceteris* ade- XXXV^a
rat, responsionis a patre licenciam flagitabat, subitoque
uelut ex muto uocalis euasit. Cumque Wermundus, quis-
nam talem a se loquendi copiam postularet, inquireret, mi-
35 nistrique eum ab Vffone rogari dixissent, satis esse per-
hibuit, ut infelicitatis sue uulneribus alienorum fastus
illuderet, ne eciam a domesticis simili insultacionis petu-
lancia uexaretur. Sed satellitibus, Vffonem hunc esse,
pertinaci affirmacione testantibus, liberum | ei sit, inquit,
40 quisquis est, cogitata profari. Tum Vffo, frustra ab eo-

p. 170

p. 171
(64)

rum rege regnum appeti, inquit, quod tam proprii rectoris officio quam fortissimorum procerum armis industriaque niteretur. Preterea nec regi filium nec regno successorem deesse sciantque, se non solum regis eorum filium, sed 5 eciam quemcunque ex gentis sue fortissimis secum adsciuerit, simul pugna aggredi constituisse. Quo auditio legati risere, uanam dicti animositatem existimantes. Nec mora, condicitur pugne locus, eidemque stata temporis meta prefigitur. Tantum autem stuporis Vffo loquendi ac 10 prouocandi nouitate presentibus iniecit, ut, utrum uoci eius an fiducie plus ammiracionis tributum sit, incertum extiterit.

Abeuntibus autem legatis, Wermundus, responsionis auctore laudato, quod uirtutis fiduciam non in unius, sed duorum prouocacione statuerit, pocius se ei, quicunque sit, 15 quam superbo hosti regno cessurum perhibuit. Vniuersis autem filium eius esse testantibus, qui legatorum fastum fiducie sublimitate contempserit, propius eum accedere iubet, quod oculis nequeat, manibus experturus. Corpore deinde eius curiosius contrectato, eum ex artuum granditate lineamentisque filium esse cognosset, fidem assertoribus habere cepit percontarique eum, cur suauissimum uocis habitum summo dissimulacionis studio tegendum curauerit, tantoque etatis spacio sine uoce et cunctis loquendi commerciis degere sustinuerit, ut se lingue prorsus 20 officio defectum natueque taciturnitatis uicio obsitum credi permitteret? Qui respondit, se paterna hactenus defensione contentum, non prius uocis officio opus habuisse, quam domesticam prudenciam externa loquacitate pressam animaduerteret. Rogatus item ab eo, cur duos quam 25 unum prouoare maluit, hunc iceirco dimicacionis modum a se exoptatum respondit, ut Athisli regis oppressio, que, quod a duobus gesta fuerat, Danis opprobrio exstabat, unius facinore pensaretur, nouumque uirtutis specimeui prisca ruboris | monumenta conuelleret. Ita antique crimen 30 infamie recentis fame litura respergendum dicebat. Quem Wermundus iustum omnium estimationem fecisse testatus, armorum usum, quod eis parum assueuisset, prediscere iubet. Quibus Vffo oblati, magnitudine pectoris angustos loricarum nexus explicuit, nec erat ullam reperire, que eum 35 iusto capacitatis spacio contineret. Maiore siquidem cor-

pore erat, quam ut alienis armis uti posset. Ad ultimum, cum paternam quoque loricam uiolenta corporis astriccione dissolueret, Wermundus eam a leuo latere dissecuri fibulaque sareiri precepit, partem, que clypei presidio munia-
 tur, ferro patere parui existimans. Sed et gladium, quo
 tuto uti possit, summa ab eo cura con(s)cisci iussit. Ob-
 latis compluribus, Vffo manu capulum stringens, frust(r)atum
 singulos agitando comminuit, nec erat quisquam ex eis
 tanti rigoris gladius, quem non ad prime concussionis
 motum cerebra parcium fracciōne dissolueret. Erat autem
 regi inusitati acuminis gladius, Skrep dictus, qui quodlibet
 obstaculi genus uno ferientis ictu medium penetrando diffin-
 deret, nec adeo quicquam predurum foret, ut adactam
 eius aciem remorari potuisset. Quam ne posteris fruen-
 dum relinquēret, per summam alienae commoditatis inuidiam
 in profunda defodera(t), utilitatem ferri, quod filii incre-
 mentis diffideret, ceteris negaturus. Interrogatus autem,
 an dignum Vffonis robore ferrum haberet, habere se dixit,
 quod, si pridem a se terre traditum recognito locorum
 habitu reperire potuisset, aptum corporis eius uiribus ex-
 hiberet. In campum deinde perduci se iubens, cum, inter-
 rogatis per omnia comitibus, defoſſionis locum acceptis
 signorum indiciis comperisset, extractum eauo gladium filio
 porrigit. Quem Vffo nimia uctustate fragilem exesumque
 conspiciens, ferien*di diffidencia percontatur, an hunc
 quoque priorum exemplo probare debeat, prius habitum
 eius, quam rem ferro geri oporteat, explorandum testatus.
 Refert Wermundus, si presens ferrum ab ipso uentilando
 collideretur, non || superesse, quod uirium eius habitui re-
 sponderet. Abstinendum itaque facto, cuius in dubio exitus
 maneat.

Igitur ex pacto pugne locus expetitur. Ilune flu-
 uis Eidorus ita aquarum ambitu uallat, ut, earum inter-
 sticio repugnante, nauigii duntaxat aditus pateat. Quem
 Vffone sine comite petente, Saxonie regis filium insignis
 uiribus athleta consequitur, crebris utrinque turbis alternos
 riparum anfractus spectandi audiitate complentibus. Cun-
 ctis igitur huic spectaculo oculos inserentibus, Wermundus
 in extrema pontis parte se collocat, si filium uinci con-
 40 tigisset, flumine periturus. Maluit enim sanguinis sui

XXXV^b

(63)

p. 173

ruinam comitari, quam patrie interitum pleris doloris
 sensibus intueri. Verum Vffo, geminis iuuenum con-
 gressibus lacessitus, gladii diffidencia amborum ictus um-
 bone uitabat, paciencius experiri constituens, quem e duos
 5 bus attencius cauere debuisse, ut hunc saltem uno ferri
 impulsu contingeret. Quem Wermundus imbecillitatis
 uicio tantam recipiendorum ictuum pacienciam prestare
 existimans, paulatim in occiduam pontis oram mortis
 cupiditate se protrahit, si de filio actum foret, fatum
 10 precipicio petiturus. Tanta sanguinis caritate flagran-
 tem senem fortuna protexit. Vffo siquidem filium regis
 ad secum audius decernendum hortatus, claritatem generis
 ab ipso conspicuo fortitudinis opere equari iubet, ne rege
 ortum plebeius comes uirtute prestare uideatur. Athletam
 15 deinde, explorande eius fortitudinis gracia, ne domini sui
 terga timidius subsequeretur, admonitum fiduciam a regis
 filio in se repositam egregiis dimicacionis operibus pensare
 precepit, cuius delectu unicus pugne comes adscitus fue-
 rit. Obtemperantem illum propiusque congredi rubore
 20 compulsum, primo ferri ictu medium dissecat. Quo sono
 recreatus Wermundus, filii ferrum audire se dixit, rogatque,
 cui potissimum parti ictum inflixerit. Referentibus deinde
 ministris, eum non unam corporis partem, sed totam ho-
 minis transegisse compagem, abstractum precipio corpus
 25 ponti restituit, eodem studio lucem expetens, quo fatum
 optauerat. Tum Vffo, reliquum hostem prioris exemplo
 consumere cupiens, regis filium ad ulcionem interfecti pro
 se satellitis manibus parentacionis loco erogandam impen-
 sioribus uerbis sollicitat. Quem propius accedere sua ad-
 30 hor[tacione] coactum, infligendi ictus loco curiosius deno-
 tato, gladioque, quod tenuem eius laminam suis imparem
 uiribus formidaret, in aciem alteram uerso, penetrabili
 corporis seccione transucrberat. Quo auditio Wermundus
 Screp gladii sonum secundo suis auribus incessisse per-
 35 hibuit. Affirmantibus deinde arbitris, utrumque hostem
 ab eius filio consumptum, nimietate gaudii vultum fletu
 soluit. Ita genas, quas dolor madidare non poterat, leticia
 rigauit. Saxonibus igitur pudore mestis, pugilunque funus
 summa cum ruboris acerbitate ducentibus, Vffonem Dani

iocundis exceperunt tripudiis. Qui et tum Athislane cedisse infamia, Saxonumque obprobriis expirauit.

Ita Saxonie regnum ad Danos translatum post patrem Vffo regendum suscepit, utriusque imperii procurator effectus, qui ne unum quidem rite moderaturus credebatur. Hic a pluribus Olauus est dictus atque ob animi moderationem Mansueti cognomine donatus. Cuius sequentes actus uetustatis uicio solennem fefellere noticiam. Sed credi potest, gloriosos eorum processus extitisse, p. 175

10 quorum tam plena laudis principia fuerint. Tam breui factorum eius prosecuzione animaduerto, quod illustrium gentis nostre uirorum splendorem scriptorum penuria laudi memorieque subtraxerit. Quod si patriam hanc fortuna Latino quondam sermone donasset, innumera Danicorum 15 operum uolumina tererentur.

*Vffoni Dan filius succedit. Qui cum, transfusis in xxxvi^a exteros preliis, tropheorum frequencia rerum dominium propagasset, partum glorie fulgorem tetro superbie squatore fuscauit, ita a clarissimi parentis honestate degenerans, 20 ut, cum ille ceteris moderatione prestiterit, hic ceteros fastuosa tumidus elacione contempserit. Sed et paterna bona, uel que ipse exterarum gencium manubiis pepererat, flagiciis disiiciebat, opes, que regio splendori seruire debuerant, uoracibus sumptuum impensis tribuens. Sic interdum a 25 maioribus suis similia portentis pignora de(s)ciscunt.

Post hunc regnat Hugletus, qui Homothum et Hogramum, Suetie tyrannos, maritimo fertur oppressisse conflictu.

Cui Frotho succedit, cognomento Vegetus, qui ipsam p. 176 cognominis speciem corporis animique firmitate testatus, denis Noruagie ducibus bello consumptis, insulam, que ex eo post modum nomen obtinuit, ipsum postremo regem inuasurus accessit. Frogerus hic erat, gemina ad modum sorte conspicuus, quod non minus armis quam opibus 35 illustris regiam dicionem athletico decoraret officio, tantumque gymnicis palmis, quantum dignitatis ornamentis polleret. Hic, ut quidam ferunt, Othino patre natus, a diis immortalibus, beneficium prestare rogatis, muneric loco obtinuit, non ab alio uinci, quam qui certaminis tempore 40 subiectum pedibus eius puluerem manu conuellere potuisset.

Quem Frotho tanta a superis firmitate donatum comperiens, duelli postulacione sollicitat, deorum indulgenciam fallacia tentaturus. Primum igitur impericie simulacione dimicacionis ab ipso documentum efflagitat, cuius eum usu experientiaque callere sciat. Ille hostem professioni sue non solum cedere, sed etiam supplicare gauisus, sapere eum asseruit, senili industrie iuuenilem animum subiiciendo, quod ei facies cicatricibus uacua fronsque nullis armorum uestigiis exarata tenuem huius rei noticiam extare testetur. Ita e diuerso bina quadrate forme spacia cubitalibus figurata lateribus humi denotat, a locorum usu documenti inicium editurus. Quibus descriptis assignatam uterque sibi partem complectitur. Tum Froggerum Frotho arma secum ac locum permutare iubet. Nec difficilis admissio fuit. Froggerum siquidem hostilium nitor concitabat armorum, quod Frotho preditum auro capulum loricamque pari specie radiantem, sed et cassidem in eundem modum eximio comptam fulgore gestaret. Igitur Frotho, loci, quo Froggerus excesserat, puluere correpto, omen sibi uictorie datum existimauit. Nec augurio elusus, continuo Froggerum occidit, tam paruulo uaframento maximam fortitudinis gloriam assecutus. Quippe quod nullius ante uiribus licuit, astucia prestitit.

Post hunc Dan regnum capessit. Qui cum duodecimum etatis annum ageret, legacionum petulancia fatigatur, Saxonibus bellum aut tributum afferre iussus. Sed rubor pugnam pensioni anteposuit, pocius ad strenue moriendum, quam timide uiuendum impellens. Itaque prelata pugnandi sorte, Danorum iuuentus Albyam fluum tanta nauiorum frequencia compleuit, ut facile eius transitum perinde ac continuo ponte iuncta puppium tabulata prestarent. Quo euenit, ut Saxonie rex eidem, quam a Danis exigebat, condicioni adigeretur.

Post Dan Fridleus cognomento Celer imperium sumit. Quo regnante Huyrwillus, Holandie princeps, icto cum Danis federe Noruagiam incessebat. Cuius operibus haud parua claritatis accessio fuit, quod Rusilam uirginem militari uoto res bellicas emulatam armis oppressit, uirilemque gloriam ex muliebri hoste corripuit. Sed et quinque eius complices, Broddonem, Bildum, Bugonem, Fanningum et

Gunholmum, quorum pater Fyn extitit, ob res ab ipsis
 preclare editas in societatem adscivit. Quorum collegio
 fretus, fedus, quod cum Danis contraxerat, ferro disiicit.
 Cuius irrupcio hoc nociuor, quo fallacior fuit. Neque enim
 5 Dani tam repente eum ex amico hostem euasurum crede-
 bant. Adeo facilis quorundam ex gracia ad odium trans-
 itus existere consuevit. Crediderim nostri temporis mores
 huius uiri auspiciis inchoatos, qui mentiri ac fallere inter
 uicia sordesque non ducimus. Quem Fridleus, australes
 10 Sialandie partes adortum, in portu, qui post modum eius est
 nomine uocatus, prelio tentat. In quo ob glorie emulacionem
 tanta militum fortitudine concursum est, ut, perpaucis peri-
 culum fuga uitantibus, ambe penitus acies consumerentur; nec
 in partem uictoria concessit, ubi par utrosque uulnus implicuit.
 15 Adeo omnibus maior glorie quam uite cupiditas fuit. Igitur
 qui ex Huylwilli agmine superfuerant, seruande societatis
 gracia noctu classis sue reliquias mutuis nexibus obligandas
 curabant. Eadem nocte Bildus et Broddo, re*s*eisis,
 quibus rates cohesere, funiculis, tacite sua a ceterorum
 20 complexu nauigia submouere, fratrum deseracione formidini
 consulentes, magisque timoris quam consanguinee pietatis
 ductibus obtemperantes. Luce redditu Fridleus, Huyl-
 willum, Gunholmum, Bugonem et Fanningum ex tanta
 sociorum clade relictos comperiens, unus cum omnibus
 25 decernere statuit, ne lacere copiarum reliquie denuo dis-
 crimen subire cogerentur. Cui preter insitam animo for-
 titudinem, eciam contemptrix ferri tunica fiduciam mini-
 strabat. Hac in publicis priuatisque conflictibus tanquam
 seruatore salutis cultu utebatur. Nec rem forcius quam
 30 prosperius executus, felicem pugne euentum habuit,
 siquidem Huylwillo, Bugone et Fanningo oppressis, Gun-
 holnum, hostile ferrum carminibus obtundere solitum,
 crebro capuli iectu exanimauit. Dum autem mucroni ma-
 num cupidius inserit, elisa neruorum officia reductos in
 35 palmam digitos | perpetuo curuitatis uinculo perstrinxerunt.
 Idem cum Duflynum, Hybernie oppidum, obsideret, muro-
 rumque firmitate expugnacionis facultatem negari conspi-
 ceret, Hadingiani acuminis ingenium emulatus, hirundinum
 alis inclusum fungis ignem affigi precepit. Quibus propria
 40 nidificacione receptis, subito flammis tecta luxerunt. Quas

p. 179

(67)

p. 180

oppidanis restinguere concurrentibus, maioremque sopiendi ignis quam cauendi hostis curam prestantibus, Dufyno potitur. Post hec apud Britanniam amissis bello militibus,
5 cum difficilem ad littus redditum habiturus uideretur, interfectorum cadaueribus erectis et in acie collocatis, ita pristinum multitudinis habitum representabat, ut nil ex eius specie tanto uulnere detractum uideretur. Quo facto hosti non solum conserende manus fiduciam abstulit, sed eciam carpende fuge cupidinem ineussit.

EXPLICITVS EST LIBER QVARTVS.

SAXONIS GRAMMATICI

XXXVII^a
p. 181

HISTORIE DANICE

LIBER QVINTVS.

Defuncto Fridleuo, filius Frotho septem annos natus
5 concordi Danorum arbitrio subrogatur. Idem, concione
prehabita, infanciam regis a tutoribus excipiendam duxerunt,
ne ob principis puerilitate(m) rerum excidere(n)t summa.
Tantum siquidem ab uniuersis Fridleui memorie ac nomini
tributum, ut tam tenero eius sanguini regnum daretur.
10 Habito ergo delectu, Westmarus et Colo fratres in edu-
cacionis regie ministerium arcessuntur. Isulfo quoque et
Aggoni octoque aliis illustribus uiris non modo regis tu-
tela credita, uerum eciam gerendi sub ipso regni potestas
indulta. Abunde eis uires animique suppeditabant, crebra
15 non corporis tantum, sed eciam ingenii dote pollutibus.
Ita Danorum rem publicam, expectato regis robore, uicaria
tutabantur officia.

Vxor Colonis erat Gotwara, que eximie procacitatis
facundia quantumlibet disertos ac loquaces encruare sole-
20 bat. Altercando quippe efficax erat, et in omni discepta-
cionum genere copiosa. Pugnabat siquidem uerbis, non
modo questionibus fre|ta, uerum eciam peruicacibus armata
responsis. Imbellem nemo feminam debellare poterat, a
lingua spicula mutuantem. Quosdam uerbositatis petulancia
25 refellebat, alias ueluti quibusdam cauillacionum nexibus
implicatos fallaciarum laqueis strangulabat. Adeo uegetum
mulieri ingenium fuit. Ceterum condere pacta aut rescin-
dere prepotens erat, utriusque horum efficaciam oris aculeo

(68)

p. 182

gestans. Quippe disiicere federa ac sociare callebat. Ita ad utrumlibet anceps lingue commercium fuit.

Duodecim Westmaro filii erant, ex quorum numero tribus commune Grep nomen incessit. Hos simul conceperunt idem partus absolutus, ortus equalitatem uocabuli societate testantes. His summa cestibus aut ferro dimicandi pericia extitit. Hoddoni quoque Frotho maritime tyrannidis detulerat potestatem. Hic regem proximo necessitudinis ordine contingebat. Colo ter|na filiorum sorte gaudebat.

Eo tempore quidam Frothonis fratre genitus pro tuenda patria gerebat rei nautice summam. Soror regis Gunwara erat, cui ob eximiam forme pulcritudinem Speciose cognomen exstabat. Filii Westmari Colonisque, cum et etate impuberet et animis acres essent, fiducia in temeritatem uersa, ad obseenos ac degeneres ritus inquinatam flagiciis indolem contulerunt. Adeo enim insolenter <se> indomiteque gesserunt, ut, constupratis aliorum nuptis ac filiabus, proscripsisse pudiciciam atque in prostibulum relegasse uidarentur. Corruptis quoque matronarum fuleris, ne thoris quidem uirginalibus abstinebant. Suus nullum thalamus securitate donabat, nec quisquam fere patrie locus luxurie eorum uestigiis uacuus erat. Mariti metu, coniuges corporum suorum ludibrio uexabantur. Iniuriis obtemperatum est. Cessit copularum respectus, uiolensque amplexum usus extabat. Publicata est Venus, coniugiorum reuerencia pereunte. Raptim luxuria petebatur. In causa ocium erat, quod expercia agitacionis corpora amica uiciis quiete diffuerent. Tandem Grep, hoc nomine participancium maximus, ut diffusum libidinis motum certa specie sisteret, erabunde Veneris portum in germane regis amore petere ausus extitit. Nec apte quidem. Nam sicut uagabundam atque erroneam* uoluptatem uerecundie frenis choerceri oportuit, ita a populari prolem regiam concupisci temerarium fuit. Illa proci petulanciam | pertimescens, quo tucior ab iniuria foret, septum uallo conclave petiuit. Adhibiti sunt ei triginta uernaculi, qui iugem corporis eius custodiad excubando prestarent.

Igitur contubernales Frothonis, circa indumentorum usum feminea ad modum ope defecti, cum non haberent unde noua assuere aut lacera reficere possent, regem cele-

brandi coniugii monitis adhortantur. Ille primum excusacionis uerba ab etatis teneritudine mutuatus, ad postremum persueranciori suorum rogati cessit. Quo curiosius a monitoribus habilem connubio suo feminam perquirente,
 5 precipue regis Hunnorum filia collaudatur. Ad hec Frotho, repugnandi ratione pertinacius quesita, a patre didicisse se refert, non expedire regibus e longinquu copulam peti, nec Venerem nisi a finitimus posci. Quod audiens Gotwara, callide regem amicis reluctari cognouit. Cuius ut uacillantem firmaret animum fiduciamque pusille mentis erigeret,
 10 Iunioribus, inquit, nupcie competit, senes sepulchrum manet. Adolescencie gressus uotis fortunaque proficiunt, inops ad bustum senecta deuergit. Spes iuuentam consequitur, senium expes inclinat occasus. Adolescit sors pu-
 15 berum, numquam | infectum omissura, quod cepit. Ob cuius dicti ueneracionem postulacionis officium suscipere rogata, refragandi rationem senii pretencione componit, nec se tam ardui mandati gerulam ob infirmum etatis habitum fore posse testatur. Rex precio opus agnosce*n*s,
 20 aureo torque prolato, legacionis premium pollicetur. Habe-
 bat namque torques nexilia bullarum celamina intersitaque regum simulacra, que ad interioris fili ductum nunc con-
 trahi, nunc dirimi possent, ornamentum luxui pocius quam usui preparatum. Westmarum quoque et Colonem cum
 25 eorum filiis in idem legacionis opus accersiri placuit,
 quod eorum solerciam Frotho repulse rubore caritaram putaret.

Ii simul cum Gotwara profecti, prius triduano ab Hunnorum rege conuiuio excepti sunt, quam legacionis sue
 30 consultum exprimerent. Is enim antiquitus recipiendorum hospitum usus exstabat. Extracto in triduum epulo, uirgo regia pleno comitatis alloquio legatis blanditura progreditur. Nec parum conuiualibus hospitum gaudiis presencie eius iocunditas attulit. Cui Westmarus, crebrescentibus
 35 poculis, propositi seriem iocosa ad modum assercione detexit, puelle mentem familiari colloeucionis genere tentaturus. Itaque quo minus sibi repulsam con(s)ciceret, compritis in risum uerbis, legacionis negocium precurrebat,
 inter conuiuales plausus ludicrum ausus sociare sermonem.
 40 Illa se Frothonem tanquam fame et claritudinis inopem

p. 185

(69)

fastidire dicebat. Nulli etenim quondam illustrium feminarum connubiis idonei consobantur, nisi qui sibi ingens fame precium gestarum insigniter rerum fulgore struxissent. Summum in proco uicum desidia fuit. Nihil magis in 5 nupciarum petitore quam claritatis inopia damnabatur. Sola glorie ubertas ceterarum rerum opulenciam exhibebat. Puelle quoque non tam procancium se formas, quam edita speciose facinora mirabantur. Igitur legati, noti desperatione torpentes, ulteriore rei conatum Gotware prudencie 10 tradunt. Illa non uerbis modo, sed eciam succis in Venerem mixtis uirginem eneruare conata, asserere cepit, Frothonem leua tanquam dextra utentem, nandi dimicandique promptissimam habere periciam. Oblata quoque pacione rigorem puelle cupidine permutouit, Veneremque 15 et uoluptatem abolite indignacionis loco constituit. Deinde Westmarum Colonemque cum eorum liberis de industria adire regem iterandeque legacioni insistere iubet; postremo, si difficilem accepissent, pugne prouocatione preuenire repulsam.

20 Igitur Westmarus, regiam cum armatis ingressus, iam aut precibus obsequi, inquit, aut pugna precantes aggredi necesse erit. Elegimus speciose defungi, quam infecta legacione reuerti, ne repulsa fedi propositoque ua*cui, unde gloriam impetrare sperauimus, eius contrarium referamus. Si natam negas, admitte pugnam; alterum necesse est prestes. Mori aut exaudiri uolumus. Apud te si non leta, saltem tristia percepturi sumus. Gracius nostram Frotho cladem, quam repulsam excipiet. Nec plura elocutus, iugulum regis ferro se petiturum minatur. Contra 25 rex, non decore, ait, amplitudinem regiam, quem honore precelleret, equare conflictu, nec oportere dignitate impares pugne paritate conferri. At Westmarus nihil de certaminis exhortacione remittens, ad ultimum ipsam uirginis mentem explorare iubetur, quod antiqui in matrimoniorum delectu libera 30 nupturas optione donassent. Herebat siquidem animo rex inter metum | pugne pudoremque trepida fluctuacione suspensus. Ita Westmarus ad precordialem puelle sentenciam relegatus, sciens feminam omnem ut uolubilis animi, ita uersilis esse propositi, tanto rem fidencius exequi 35 cepit, quanto uirginum uotis plus uarietatis inesse com-

pertum habuit. Auxit cure eius fiduciam, adiecitque studio
 spem simplicitas uirginis, proprio permissa consilio, liber-
 tasque femine pollicioribus blandiciarum dclenimentis pal-
 panda, non modo abduci facilis, uerum eciam obsequi
 5 preceps. Pater uero, quo cercius filie mentem inspiceret,
 legatos subsequi cepit. Illa, prius in amorem proci latenti
 pacionis operacione perducta, plura se de Frothonis indele
 referebat spe presumpsisse quam fama, quippe cum is ab
 illustri genus parente duxerit, naturaque omnis sue solcat
 10 origini respondere. Quamobrem iuuenem sibi non tam
 presentis, quam futuri splendoris intuitu placuisse. Quibus
 auditis mirabundus pater, sed ne permissam quidem puelle
 licenciam reseindere passus, Frothonis eam coniugio pol-
 licetur. Quam post modum, prouisis abunde comineatibus,
 15 tollens, magnifico rerum apparatu, consequentibus se legatis,
 Daniam adire deproperat, sciens neminem patre melius
 filiam nupciis obtaturum. Frotho sicut iocundissime sponsam
 excepit, ita futuri quoque socii maiestatemi amplissimis
 honoribus celebrauit, quem, peractis tedis, magna auri
 20 argentique summa donatum dimisit.

Igitur Hanunda usus (Hunnorum hec regis filia erat),
 florentissima pace triennium duxit. Cuius contubernales,
 ocio petulanciam nacti, partam quiete lasciuiam improbis-
 simis extulere sceleribus. Quosdam enim restibus in sub-
 25 lime pertractos more agitabilis pile pendula corporum
 impulsione uexabant; aliis hedinum incidentibus corium
 substernentes, lubrici tergoris offendiculo per occultum
 funis raptum incautos subegere gressus; alios neste nuda-
 tos uariis uerberum suppliciis lacerabant; alios clavis affi-
 30 xos laquei more suspensionis muletauere ludibrio. Quorundam
 barbe et uerticis pilos faculis torruerunt; aliis pubem
 atque inguina subiecto torre cremabant. Virginibus nubere
 non licebat, nisi quarum castitas eis ante delibata fuisset.
 Aduenas ossibus conuerberabant; alios ad intemperanciam
 35 compulsos immoderata pocione rumpebant. Nemini filiam
 nuptum dare licebat, nisi gracia ipsorum fauoreque mer-
 cato. Nulli matrimonium contrahendi fas erat, si eorum
 non precio preemisset assensum. Preterea non in uirgines
 modo, uerum eciam in matronarum turbam passim disso-
 40 lutissime libidinis sue flagicia porrexerunt. Mixtam petu-

(70)

p. 188

- lancie rabiem duplex furoris species agitabat. Conuenis hospitibusque receptuum loco conuicia prebebantur. Tot ludibriorum irritamenta a petulantibus et lasciuis reperta sunt. Adeo sub rege puero temeritas libertate nutrita est.
- 5 *Nihil enim tantum peccandi licenciam protrahit, quantum xxxv ulcionis peneque dilacio. Tam effrenata militum proactitas non exteris tantum, sed eciam patrie inuisum fecerat regem. Dolen^tter siquidem ferebant Dani superbe sibi ac crudeliter imperari. Grep uero, haud humili contentus
- 10 Venere, eo se temeritatis effudit, ut, cum regina commercio libidinis habito, tam regi perfidus, quam ceteris uolentus existeret. Adoleuit deinde paulatim infamia, tacitoque gradu criminis suspicio serpsit, ante uulgo comperta quam regi. Grep enim in omnes, qui uel modicam huius rei
- 15 mencionem egissent, animaduertere solitus, accusacionem sui formidabilem fecerat. Opinio tamen sceleris primum susurris alita est, dehinc excepta rumoribus. Difficilis siquidem apud conscos alieni criminis occultacio est. Proces Gunware creber exstebat. Igitur Grep, repulse ulcionem
- 20 clandestinis artibus impetrare conatus, estimandi proces arbitrium flagitat, exquisitissimis puellam nupeiis deberi testando. Obscurabat autem iram, ne uirginis odio quesumtum uideretur officium. Oranti rex merita iuuenum inspectanda permittit. Primum itaque eunetos Gunware peti-
- 25 tores conuiuii simulacione contraxit, ac deinde concluae, cui puella assueuerat, desectis eorum capitibus eingens, crudele ceteris spectaculum prebuit. Nihil tamen eius apud Frothonem gracie detractum est, quo minus consueto familiaritatis officio fungeretur. Conueniendi siquidem
- 30 regis copiam precio peti debere constituit, neminem alloquio eius usurum pronuncians, ni munera detulisset. Neque enim tanti dueis aditum trito consuetudinis genere, sed plenis ambitionis studiis impetrandum edixit, regie caritatis simulacione crudelitatis infamiam leuaturus. Taliter
- 35 laceassitum uulgs afflictacionis sue querelam tacitis gemibus agitabat. Nulli miserie tempora culpandi palam animus erat. Nemini ingruentem calumniam apertis efferendi querimoniis ausus incesserat. Internus omnium precordia dolor hoc acrius, quo occulcios, laerabat.
- 40 Quo cognito Gotherus, Noruagie rex, contractis con-

cione militibus, refert, proprium Danos fastidire regem, exoptare alium, si copiam accepissent, seque eo exercitum agere decreuisse; facile Daniam occupari posse, si armis adita foret. A Frothone enim tam anare, quam atrociter
(71)
5 patrie imperitatum esse. Tum exurgens Ericus contraria rem allegacione prohibuit, Sepe, inquiens, alieni appetito-
res proprio priuari solere meminius. Sepe amborum captator utriusque perditor fuit. Preualidum enim oportet alitemi esse, qui predam aliis unguibus extrahere cupiat.
10 Animat te frustra internus regionis liuor, quem plerunque hostilis explodit aduentus. Nam etsi nunc Dani diuiduis esse sentenciis videantur, unanimes tamen mox excipient hostem. Crebro corrixantes porcos conciliauere lupi. Patrium quisque ducem extero prefert. Prouincia omnis
15 regem domesticum, quam aduenam, impensis colit. Neque enim te Frotho domi prestolabitur, sed foris excipiet aduentantem. Extremis se aquile scalpunt. Anterins alites certant. Nosti ipse penitencia uacuum debere contuitum esse prudentis. Proceribus abunde stiparis. Tua tibi quies
20 maneat; per alios gerendi sane belli facultatem prope modum exploratam habere poteris. Liceat militi regiam pretentare fortunam. Salutem tuam pacifice moderare, alieno negotium periculo molitus. Sacius est seruum deperire, quam herum. Quod fabro forceps, tuus tibi sa-
25 telles agat. Ille ferramenti remedio manus cauterium cauet, atque a digitorum sibi incendio temperat. Tu quoque tibi tuo*rum opera parcere et consulere disce. Hec Ericus. p. 191 XXXIX^a
Quem Gotwarus, ut imprudentem hactenus habitum, responsionis sue contextum exquisita sentenciarum grauitate
30 comp[re]sisse miratus, Diserti donat agnomine, excellentem eius prudenciam appellacionis honore iudicans prosequendam. Frater siquidem eius Rollerus opinionem iuuenis eximio sui fulgore suppresserat. Ericus nominis beneficio rem adiici petit, uocabuli largicionem muneris addicione
35 commendandam testatus. Rex nauigium donat; Seroter remiges uocitabant. Erant autem Ericus et Rollerus Regneri pugilis filii, patre eodem sati, diuersaque editi matre. Matrem quippe Rolleri eandemque Erici nouercam Cracam uocabant.
40 Igitur Rafno cuidam, permittente Gotaro, lacessen-

p. 192

di per piraticam Danos negocium cessit. Excipit illum
Oddo, cui tunc teniporis apud Danos maxima piratice de-
ferebatur auctoritas, uir magice doctus, ita ut absque
carina altum pererrans, hostilia sepe nauigia concitatis
5 carmine procellis euerteret. Itaque ne cum piratis in
maritimarum uirium certamen descenderet, exasperatos
maleficio fluctus ad naufragia iisdem infligenda perducere
solebat. Hic ut negotiatoribus atrox, ita clemens agrestibus
extitit, non eadem merces, qua stiuam, estimacione com-
10 mensus, rustici operis mundicias sordidi questus laboribus
anteponens. Idem, inito cum Normannis conflictu, ita ui-
carminum hostilem hebetauit aspectum, ut districtos Dano-
rum enses eminus radios iacere et tanquam flammabundos
scintillare putarent. Ceterum adeo retusis obtutibus erant,
15 ut ne ferrum quidem uagina detractum uisu excipere
possent; uicta quippe fulgore acies prestigiosi corusca-
minis impaciens erat. Ceso itaque Rafno | cum multa
suorum parte, sex sole naues Noruagiam relapse documen-
to fuere regi, haud facile Danos obteri posse. Ab his
20 eciam Frothonem, sola pugilum ope subnixum, inuito
regnare populo uulgatum est, dominio in tyrannidem
uerso.

Cuius fame experiende gracia Rollerus, ut erat ex-
teriorum lustrator rerum, ignotaque uisendi audius, Fro-
25 thonis se uouit contubernio potitum. Ericus illum, quan-
quam habitu corporis eximius esset, temere uotum nuncupasse
firmabat. Ad ultimum, pertinacissimam propositi eius per-
seueranciam conspicatus, se quoque simili uoti nuncupac-
30 cione constringit. Hisdem se rex pollicitus est, quoseunque
delectu probassent, comites donaturum. Itaque fratribus
primo patrem adiri placuit, commeatusque et necessaria
tam longinqui itineris subsidia postulari. A quo paterne
suscepti, die postera in nemus uisendi pecoris gracia per-
ducuntur. Senex quippe armentis opulens erat. Aperie-
35 bantur quoque illis gaze, quas diu clause telluris antra
condiderant. E quibus sique placuissent, sublegi per-
misso sunt. Nec cupidius oblatum beneficium, quam
receptum. Itaque egestis humo opibus, complacitas tollunt.
Horum interea remiges aut curam egere corporis, aut
40 iactis se molibus exercebant. Alii saltu, quidam cursu

concitauere corpus; hi uires ualida saxorum iaculacione tentabant, illi sagitte usum tenso experiebantur arcu. Ita roboris firmitatem uario agitacionis genere prosequebantur. Fuere et qui somnum quietemque pocione captarent.

5 Mittitur deinde Rollerus a patre cognoscendi causa domi interim acta. Is ut maternum fumare tugurium uidit, foris accedens, paruulumque foramen furtiva luminis applicacione traiciens, introspecta ede, animaduertit matrem informi cacabo coetilia pulmenta uersantem. Suspexit

10 preterea tres colubras superne teⁿui reste depensas, ex XXXIX^b quarum ore proflua tabes guttatum humorem epulo ministrabat. Due quippe colore picee erant, tercia squammis albida uidebatur, reliquis modico eminencius pensa. Hec nexum in cauda gestabat, cum cetere immisso uentri 15 funiculo tene|rentur. Ille rem maleficio consentaneam ratus, silencio, quod uiderat, pressit, ne matrem ueneficii ream astruere putaretur. Ignorabat enim, innocuam anguim extitisse naturam, nescius, quantum illo uigoris epulo pararetur. Superuenientes deinde Regnerus et Ericus, ut fumidam

20 aspexere casam. ingressi discubitum petuerunt. Quibus ad mensam sitis, Craca priuigno filioque una cibum capturis, catillum discoloris dapis admouit. Pars quippe picea, sed croceis guttis interlita, pars albida uidebatur; quippe pro uaria serpentum specie geminus pultem color infecerat.

25 Cuius cum solam uterque particulam delibasset, Ericus, non ex colorum habitu, sed interni uigoris effectu epulas estimans, nigrantem dapis partem, sed succo pociore confectam, catino quam celerrime uerso ad se transtulit, albidamque, sibi admotam prius, Rollero applicans, cenam

30 felicius gessit. Et ne mutacionis industria notaretur, taliter inquit estuante freto puppim in proram referri solitam. Nec tenue uiri ingenium fuit, industrii operis dissimulationem a nauigii consuetudine mutuantis.

Ericus itaque, fausta iam dape refectus, interna 35 ipsius opera ad summum humane sapientie pondus euasit. Quippe epuli uigor supra, quam credi poterat, omnium illi scienciarum copiam ingenerauit, ita ut eciam ferinarum pecudaliumque uocum interpretationem calleret. Neque enim solum humanarum rerum peritissimus erat, uerum

40 eciam sensuales brutorum sonos ad certarum affectionum

intelligenciam referebat. Preterea tam comis atque ornati eloquii erat, ut, quicquid disserere cuperet, continuo prouerbiorum lepore poliret. At ubi superueniens Craca | concam transpositam partemque pociorem ab Erico 5 comesam cognouit, fortunam filio preparatam priuigno cessisse condoluit. Cui mox gemebunda supplicare cepit, ne unquam sua fratrem ope deficeret, quem ipsius mater tot noue felicitatis opibus cumulasset. Quippe sapido unius epuli gustu racionis atque eloquence summam nec 10 non gerendorum prospere conflictum graciam assecutus uidebatur. Adiecit quoque, Rollerum prope modum consilii capacem, futurumque, ut destinati sibi obsonii prorsus expers non esset. Monuit quoque, si suprema necessitatis uiolencia postularet, nominis sui nuncupacione remedium 15 celerius esse querendum, affirmans, se diuina partim uirtute subnixam et quasi consortem celitum, insitam numinis gestare potenciam. Ericus se ad astandum fratri natura pertrahi dixit, probrosum referens alitem, qui proprium polluat nidum. At Cracam magis propria molestabat in- 20 curia, quam fortuna filii grauaret aduersa. Artificem enim ingenio suo deludi magnum olim ruboris incitamentum fuit.

Deinde hec ipsa, comitante uiro, fratres ad mare profecturos abducit. Qui uno egressi nauigio, duo sibi 25 inox alia deuinixerunt. Et iam Dani~~um~~ cum attigere littus, cum, explorato loco, haud longe septem subisse nauigia discunt. Tum Ericus duos Danice facundos lingue eo sine ueste proficiisci iubet, qui, rem | cercius speculaturi, nuditatis sue tanquam per Ericum facte Oddoni querimoniā afferentes, caucius explorata referrent. Illi apud 30 Oddonem familiarius habiti, omne ducis propositum uer-sutis auribus uenati sunt. Statuerat enim diluculo hostem improuidum aggredi, quo cieci nocturnis implicatum tegminibus obtruncaret, affirmans, eo lucis tempore corpori- 35 bus humanis* plus stuporis atque grauedinis inesse solere. Precepit quoque, naues saxis ad iaciendum habilibus onerari, futuram exicīi sui causam accelerans. Exploratores, coneubia nocte delapsi, nunciant, Oddonem exquisitis ad iactum lapillis tota replesse nauigia, cetera, que 40 acceperant, intimantes. Ericus, re ad modum cognita,

p. 195

(73)

p. 196

XL

cum classis sue paucitatem attenderet, aquas in hostium perniciem euocandas earumque sibi conciliandum putauit auxilium. Itaque scapha exceptus ac tacito remorum nisu propius hostium carinis aduectus, uicinas aque tabulas sensim intorto terebro cauat, ac mox, remigio uix auras pulsante, reditui consultit. Adeo autem circunspecte se gessit, ut excubitorum nemo aditum eius abscessumue deprehenderet. Quo enauigante, paulatim Oddonis rates excepta rimatim unda depressit. Eedem, aqua lacius introrsum stagnante, 10 recondi gurgite uidebantur. Nec parum descensui addidit internum lapidum pondus. Et iam ^{p. 197} transtra fluctibus diluebantur, forosque exequabat mare, cum Oddo, nauigia prope modum undis equata conspiciens, receptum immodice fretum urceis egeri iubet. Itaque nauticis occiduas nauigii 15 partes ab aquarum influxu defendere perseuerantibus, comminus hostis apparuit. Igitur arma capessentibus acrior imminebat gurges. Parantibus prelum enandi opus in- cedit. Erico bellum unde, non arma gessere. Pugnabat pro eo mare, cui ipse nocendi uires aditumque prebuerat.

Itaque Ericus, fluctu felicius quam ferro usus, efficaci aquarum opera pugnam absens gerere uidebatur, a pelago presidium mutuatus. Victoria arti contributa est. Neque enim offusum undis nauigium pugne paciens esse poterat. Taliter Oddone cum sociis interempto, captisque, qui in 25 stacione erant, neminem cladis nuncium euassisce comper- tum est.

Ericus, peracta iam strage, maturato recessu, Lesso insulam subit. Vbi non reperto, quo famem lenire posset, duobus predam nauigiis domum dirigit, commeatus in an- 30 num alterum relaturis. Ipse uno duntaxat adeundi regis copiam petit. Accessa itaque Syelandia, discurrentes per littora nautici pecus sternere aggressi sunt. Aut enim leuanda esurie, aut fame periclitandum erat. Armento cesso, nudata in nauim cadaueria detractis coniecere tergori- 35 bus. Quod cum possessores pecoris comperissent, classe predones insequi properarunt. Cumque se Ericus ab ar- menti dominis impeti cognouisset, cesarum boum corpora signatis funibus alligata fluctibus occultanda prouidit. Deinde, siquid apud se quesiti cadaueris esset, superueni- 40 entibus Syelandicis perlustrandi licenciam tribuit, affirmans,

occultandis rebus angustos nauium angulos esse. Illi,
cadavere nusquam reperto, suspicione in alios relata, reos
prede innocuos arbitrati sunt. Dum nulla rapine uestigia
patuissent, alios sibi nocuisse | putantes, sontibus igno-
5 p. 198 uerunt. Quibus enanigantibus, Ericus elatum undis cadauer
excepit.

Interea Frotho Oddonem cum suis occubuisse cognoscit. Quippe, ignorato facinoris auctore, famosus cladem rumor exceperat. Erant tamen, qui se terna uela littoribus 10 appellencia eademque rursum in Boream abeuncia conspexisse narrarent. Tum Ericus portum, a quo Frotho non longe diuersabatur, accessit, statimque ut e naui uestigium extulit, inopinato casu correptus, ruibundo terram corpore petiuit. Ille sibi in lapsu faustum ominatus euenter, 15 tenui principio meliores augurabatur exitus affuturos. Cuius cum Grep compertum habuisset aduentum, festinus ad mare contendit, quem ceteris diserciorem acceperat, exquisitorum uerborum acumine tentaturus. Quippe non tam prestantis quam procacis facundie, peruicaci cunctos 20 sermone uincebat. Igitur a conuicio litigium orsus, talibus Ericum dictis aggreditur.

Grep:

XLb

Stulte, quis es? quid inane petis? dic, unde iter, aut quo?

Que uia? quod studium? quis pater? unde genus?

25 Precipius uigor iis, regumque domesticus est lar,
Qui proprias numquam deseruere domos.
Acceptatur enim paucis, quod pessimus edit;
Inuisi raro facta placere solent.

p. 199

Ericus:

30 Regno michi pater est, habitus facundia lingue,
Cui solum uirtus semper amata fuit.
Optauit sapere tantum; discrimina morum
Lustrauit, uarium per loca nactus iter.
In rebus mens stulta modum deprendere nescit,
35 Turpis et affectus immoderata sui.
Remorum ductus uelorum uincitur usu.
Equora uentus agit, tristior aura solum.

p. 200

Nam freta remigium penetrat, mendacia terras;
 Istas ore premi constat, at illa manu.

Grep:

- Vt gallus ceni, sic litis plenus haberis;
 5 Sorde grauis putes, nec nisi crimen oles.
 Aduersum scurram causam producere non est,
 Qui uacua uocis mobilitate uiget.

Ericus:

- Hercule, ni fallor, ad eum, qui protulit ipsum,
 10 Editus ignaue sermo redire solet.
 Ad prolatorem, iusto conamine, diui
 Fusa parum docte uerba referre solent.
 Quando lupi dubias primum discernimus aures,
 Ipsum in uicino ereditimus esse lupum.
 15 Nulla fides fidei uacuo prestanda putatur,
 Quem rumor sontem prodicionis agit.

p. 201

Grep:

- Dictorum temere penas, puer improbe, solues,
 Bubo uie uacuus, noctua luce carens.
 20 Que nunc ructaris demens, emissa dolebis,
 Interituque tui dicta profana lues.
 Exanimis coruos exangui corpore pasces,
 Esca feris, auide preda futurus aui.

Ericus:

- 25 Augurium timidi prauique assueta uoluntas
 Numquam se digno continuere loco.
 Qui dominum fallit, qui fedas concipit artes,
 Tam sibi quam sociis insidiosus erit.
 Ede lupum quicunque fouet, nutrire putatur
 30 Predonem proprio perniciemque lari.

XLIA

Grep:

- Non ego reginam, sicut tu rere, fefelli,
 Sed tenere tutor condicionis eram.

Hec michi res auxit, huius michi gracia primum
Munera, robur, opes, consiliumque tulit.

(75)
p. 202

Ericus :

En te cura premit culpe rea; tucior huic est
5 Libertas, cui mens intemerata manet.
Decipitur, quisquis seruum sibi poscit amicum;
Sepe solet domino uerna nocere suo.

Ad hec Grep responsionis aptitudine destitutus, admissis equum calcaribus excipit. At ubi domum peruenit,
10 tumultuoso clamoris impetu regiam complet, uerbisque se
uictum uociferans, omnem in arma militem concitatbat,
tanquam manu infaustum uocis certamen ulturus. Iurabat
enim, se aduenam aciem aquilarum unguibus substraturum.
Contra rex docet, deliberacionem furori dandam; imprudentia
15 plerunque nocere consilia; nihil caute simul ac celeriter
geri posse; plurimum precipites obesse nitus; ad ultimum
multitudine pau eos incessere non decere. Ceterum solerter
esse, qui furenti animo frenos iniiciat, seuientemque ad
tempus impetum interpellet. Taliter rex precipitem iuuenis
20 iram consilio cedere coegit: Nec tamen concitati animi
rabiem | adeo penitus ad modestiam euocauit, quin alter-
eacionum athleta, parum prospera disceptacione confusus,
negata armorum uindicta, saltem ulcionis loco ueneficia
sibi patere deposceret.

25 Quo impetrato, cum exquisita magorum turba littus
repetere parat. Primum itaque immolati[s] diis equi ab-
scisum caput conto excipiens, subiectis stipitibus distentos
faucium rictus aperuit, sperans, se primos Erici conatus
atrocis spectaculi formidine frustraturum. Arbitrabatur
30 enim, ineptas barbarorum mentes oblate ceruicis terricula-
mento cessuras. Et iam Ericus obuium illis iter agebat.
Qui, prospecto eminus capite, obscenitatis apparatum intel-
ligens, silere socios cauciusque se gerere iubet, nec quen-
quam temere precipitare sermonem, ne incauto effamine
35 ullum maleficiis instruerent locum, adiiciens, si sermone
opus incideret, uerba se pro omnibus habiturum. Iamque
medius illos ampis secreuerat, cum magi, ut Ericum pontis

p. 203

aditu deturbarent, contum, quo equi caput refixerant, fluvio citimum locant. Ille nihilominus intrepide pontem aggressus, In latorem, inquit, gestaminis sui fortuna recidat, nos melior consequatur euentus! Male maleficis 5 cedat, infauste molis gerulum onus obruat, nobis pociora tribuant omnia sospitatem! Nec secus, quam optabatur, euenit. Continuo namque excussa ceruice ruens ferentem stipes oppressit. Ita omnis ille maleficiorum paratus, ad unius execrationis imperium spe sua uacuus, expirauit.

10 Deinde procedentem paulisper Ericum subit, destinanda regi esse ab aduenis dona. Igitur repertum forte glaciale frustum ueste diligenter obuoluens, muneris loco regi deferendum curauit. At ubi ad regiam peruentum est, prior introitum petens, fratrem pone consequi iubet. 15 Et iam uerne regis, ut ludibrio uenientem exciperent, lubricam limini substrauere pellem; quam ingrediente Erico celeri funis tractu corripienes, lapsum insistenti fecissent, ni Rollerus pone subiens pectore nutabundum exciperet fratrem. Ericus itaque semifusus, nudum habere tergum 20 fraternitatis inopem, referebat. Cumque Gunuara talia regi permittenda negaret, ille stoliditatis legatum damnabat, apud quem insidiarum cautela non esset. Itaque ludibrii excusacionem ludificati incuriam fecit.

Ardebat intra edem ignis uultui temporis haud indebitus. Quippe iam medium hyemis fluxerat. Huic distinctis concessibus hinc rex, in*de pugiles assedere. Qui, applicante se ipsis Erico, ululancium more horrisonas dedere uoces. Rex strepitum inhibere cepit, docens, non debere pectoribus humanis ferinos inesse sonos. Subiunxit Ericus, 30 canum hunc esse morem, ut uno inchoante ceteri latratum edant, quod propriam cuncti moribus originem prodant, ac suum quisque genus fateatur. Interrogatus autem a Colone, qui delatorum regi munerum custos erat, an ulla secum dona uexisset, glaciem, quam sinu occultauerat, 35 promit. Quam cum illi trans foculum porrexisset, tanquam manu recipientis elapsam flammis de industria tradidit. Cunctis, qui aderant, conspicuum nitore frustum cernentibus, uisum est igni liquidum incidisse metallum. Quod cum Ericus receptoris incuria excussum esse contenderet, 40 quid supplicii muneris amissori debeatur, inquirit. Rex

p. 204

XLIIb
(76)

regine sentenciam consulit. Que suadere cepit, ne ipse legis a se late statutum solueret, qua transmissorum sibi munerum perditores morte mulcandos cauisset. Ceteri quoque decretam lege penam remittendam esse negabant. |
 5 Itaque rex, supplicii necessitatem admittere monitus, Coloneum laqueo consumi permisit.

Deinde Frotho Ericum alloqui sic orsus est: Tu, qui uerborum fastu ac phalerate uocis ostentacione lasciuis, unde huc te aut cur aduentasse commemoras? Ad hec
 10 Ericus: A Rennesø prodii, sedemque apud lapidem cepi. Contra Frotho: Quo deinde concesseris, rogo. Cui Ericus: Diuerti a lapide trabe uestus, identidemque apud lapidem locum cepi. Ad hec Frotho: Quorsum inde cursum direxeris, aut ubi te uesper exceperit, queso. Tum Ericus:
 15 Profectus a petra ad saxum perueni, itemque apud lapidem cubui. Cui Frotho: Creber illic caucium numerus erat. Ad hec Ericus: Crebrior harena patenter conspicitur. Contra Frotho: Quid tibi negocii fuerit, aut quorsum illinc declinaueris, refer. Tum Ericus: Profectus a petra del-
 20 phinum cursitante nauigio repperi. Cui Frotho: Iam noua prompsisti, quanquam utrumque horum in mari frequens sit; sed uelim, quis te | deinde trames abduxerit, nosse. Ad hec Ericus: A delphino delphinum petui. Contra Frotho: Frequens illic delphinorum est agmen. Tum
 25 Ericus: Frequencius undis innat. Cui Frotho: Libet scire, quo te a delphinis proficiscentem uie raptauerit labor. Ad hec Ericus: Arboreum mox truncum offendit. Contra Frotho: Quorsum post hec iter emetiri cepisti? Tum Ericus: A trunko ad stipitem concessi. Cui Frotho:
 30 Frequens illic arboribus locus existit, cum hospitum tuorum sedes tam crebro truncorum nomine complectaris. Ad hec Ericus: Frequencior nemoribus inest. Contra Frotho: Quo deinde uestigium pertuleris, ede. Tum Ericus: Identidem ad trunca siluarum robora penetraui; me autem
 35 illic acquiescente, exaciati humanis cadaueribus lupi suprema telorum acumina collambebant. Ibi cuspis a robore regis excussa est, Fridleui nepos. Cui Frotho: Hereo altercationis anceps, cum intellectum meum obscura ad modum ambage fefelleris. Ad hec Ericus: Premium a te peracti
 40 certaminis merui, cui sub inuolucro quedam haud satis

intellecta deprompsi. Cedem enim Oddonis mea gestam
 manu superiori *cuspidis* appellacione signaui. Cui cum
 regina quoque eloquacie palman ac uetricis facundie
 premium adiudicasset, continuo rex armillam brachio suo
⁵ detractam decreete mercedis loco tradidit, atque subiunxit:
 Velim ex temet habitam tibi cum Greppo disceptacionem
 cognoscere, qua illum palam se uictum protestari non
 puduit. Tunc Ericus: *Robur* illum exprobrati adulterii
 perculit, cui cum defensionem afferre non posset, cum tua
¹⁰ se fassus est uxore mechatum. Et rex, ad Hannundam
 conuersus, qua mente criminacionem exciperet, percon-
 tatur. Que non solum uoce crimen confessa, sed eciam
 uultu testem reatus ruborem exerens, euidens culpe indi-
 cium prebuit. Rex non uerba modo, uerum eciam oris |
¹⁵ signa conspiciens, sed, qua lege in ream animaduerteret,
 hesitans, debitam crimini penam regine contulit arbi*trio
 decernendam. Que || cum creditum sibi iudicium reatui
 suo affine cognosceret, ideoque estimacionem criminis ali-
 quandiu sentencie dubia uolutaret, dissiliens Greppus, ut
²⁰ Ericum telo traiceret, procurrir, criminantis cede suam
 redimere cupiens. Quem Rollerus districto ense occupans,
 molicionis sue predamnauit exemplo. Aitque Ericus: Opti-
 ma est affinium opera opis indigo. Et Rollerus: Inter
²⁵ asperos casus officiose adsciscendi sunt boni. Tum Frotho:
 Credo cuenturum uobis, quod uulgo dici assolet, ferienti
 interdum breue percussionis gaudium fore, nec diu manum
 ictu exhilarari solere. Et Ericus: Non est arguendus,
 cuius operi excusamentum iusticia tribuit. Tantum enim
³⁰ inter meam atque Greppi operam distat, quantum inter
 defendantis se atque alium impotentis interest actionem.

Deinde fratres Greppi fremebundi dissilire ceperunt,
 iurantes, se aut in totam Erici classem ultores aut pugnam
 ei denisque cum ipso pugilibus illatueros. Quibus Ericus:
³⁵ Egris iter arte prouidendum est. Hebetem tenenti aciem
 mollia ac tenera lustrare conuenit. Retusum habenti cul-
 trum artuatim seccionis perquirenda est uia. Quoniam
 ergo laboranti optima est mali | mora, nec quicquam in
 aduersis necessitatis dilacione felicius, triduum apparatui
⁴⁰ peto, dummodo assequi possim a rege recens mactate pe-
 cudiis tergus. Cui Frotho: Corium meretur, qui corio con-

p. 207
 XLII.
 (77)

p. 208

cudit; aperte superiorem petitori exprobrans casum. At ille, exhibita pelle, crepidas creat, quas abietino gummi, interfusis mixtim harenis, oblin[i]ens, quo firmius uestigia poneret, suis suorumque pedibus adaptauit. Considerato 5 tandem, quem certamini locum legeret, terrestris pugne et tocius militaris opere rudem se referens, campum gelati maris exposcit. In hunc utrisque consensum est. Rex apparatibus inducias tribuens, Westmari filios secedere iubet, incongruum asserens, eciam male meritum hospicio 10 aduenam pelli. Deinde ad inuestigandum supplicii modum, cuius exigendi arbitrium regine mandauerat, reddit. Que cum, omissa censura, ueniam lapsui precaretur, adiecit Ericus: Muliebriter erratis sepius ignoscendum esse, nec penam infligendum [esse], nisi correccio culpam nequiuisset 15 auertere. Ignouitque Hannunde rex. Appetente crepusculo, Apud Götarum, inquit Ericus, epulaturi in conuiuo militis non solum cenacula procurantur, sed eciam per ascriptos consessus certi distinguuntur accubitus. Rex loca, quibus athlete sui insederant, occupanda concedit. Deinde uerna 20 epulum affert. At Ericus, comitatis regie non ignarus, qua prandiorum uti reliquiis uetabatur, frustum, cuius particulam delibasset, abiecit, integras escas lacera ciborum fragmenta no[minans]. Ita rarescentibus epulis, ministri alias inopie atque uerecundie suggerunt, paruule cene im- 25 pendentes, quod grandi conuiuo sufficere potuisset. Ait ergo rex: Assoletne Götari miles tactam semel dapem tanquam amolita ciborum crusta disperdere primaque ferulae ultimorum ritu fragminum aspernari? Ad hec Ericus: Nihil sibi de Götari moribus incondita uendicauit affeccio, 30 nihil assuetudo incomposita possidet. At Frotho: Ergo domini tui moribus discors, non omnem argueris prudenciam attendisse. Qui enim maiorum exemplis obuiat, transfugam ac defectorem se probat. Tum Ericus: Sapiens a sapienciori erudiri debet. Discendo enim doctrina proficit, 35 dogmate disciplina prouehitur. Contra Frotho: Quid michi exemplaris documenti hec tue superfluitatis imitacio dabit? Ad hec Ericus: Tucius regem fides paruula, quam ingens uallat perfidia. Cui Frotho: Ergo tu nos accuraciore ceteris obsequio complecteris? Tum Ericus: Nemo non natum 40 stabulo, aut ingenitum presepio applicat. Necdum omnium

experienciam accepisti. Preter ea apud Götaruim pocionis usus epulo permixtus esse solet; liquor cibo coniunctim super additus connessabundos iuuat. Contra Frotho: Impudenciorem potus aut epuli petitorem *non repperi. || Ad 5 hoc Ericus: Pauci tacentis egestatem estimant, aut silentis necessitudinem meciuntur. Tum soror regis ingenti patoria pocionem proferre iussa. Cuius Ericus dexteram cum oblato simul cratere corripiens, An hoc, inquit, regum optime, munus tua michi delegauit humanitas? Num michi, 10 quod teneo, irreuocabilis doni loco cessurum esse confirmas? Rex, pateram tantum postulari ratus, pronunciat do|num. At Ericus uirginem sibi ueluti cum patera datam applicat. Quo uiso rex, Fatuum, inquit, opera prodit. Apud nos intacta uirginum libertas haberi solet. Tunc 15 Ericus, puelle manum perinde ac poculi nomine traditam, ferro desecturum se simulans, [et] Si, inquit, plura, quam dederis, ceperim, aut si totum temere teneo, saltem parte potiri liceat. Rex, promissi errore recognito, puellam tradidit, nolens incurie uicium leuitate rescindere, quo 20 grauior pollicentis uideretur auctoritas; quanquam inania pacta reuocare maturitati pocius, quam inconstancie deputetur.

Deinde illum ad naues, accepta reuertendi sponsonie, dimittit, tempore, quod pugne debebatur, instante. Ericus 25 cum suis crustatum glacie equor aggressus, lubricum instabilemque gradu hostem solearum nixus firmitate prostrauit. Statuerat enim Frotho, ne quis inclinatis aut laborantibus auxilio foret. Deinde uictor repetit regem. Igitur Götuara, consumpte infeliciter sobolis exicio mesta, 30 simulque eam ulcisci auida, pronunciat, aduersus Ericum altercandi collibitum sibi fore certamen, ita ut ipsa torquem magni ponderis, ille uitam in pignore poneret, aut aurum uincendo, aut letum succumbendo latus. Comprobante certamen Erico, penes Gunuaram pignus deponitur. Igitur Götuara prior sic orsa:

Quando tuam limas admissa cote bipennem,
Nonne terit tremulas inentula quassa nates?

XLIIIB
(78)

p. 210

Ericus sic contra:

Vt cuius natura pilos in corpore seuit,

Omnis nempe suo barba ferenda loco est.

Re[s] Veneris homines artus agitare necesse est;

Motus quippe suos nam labor omnis habet.

Cum natis excipitur nate, uel cum subdita penem

Vulua capit, quid ad hec addere mas renuit?

Ad hec illa, tanquam eloucionis inops, cui necem
destinauerat, aurum tradere coacta est, filiorum interfectori
10 pene loco eximum erogans munus. Cumulata siquidem
infelicitas est, non vindicata malignitas. Primum enim
orbitati adacta, ac deinde uerborum uiolencia confutata,
cum opibus simul eloquence precium perdidit. Beauit
liberorum sublatorem, auctorem orbitatis sue premio mu-
nerata, nihil pro repensanda filiorum clade, preter insciecie
probrum, ac rerum inopiam referens. Quo uiso, West-
marus uerbis superiorem uiribus incessere statuit, uincen-
15 tis premium in uicti nece constituens, ut utriusque salus in
pignore posita uideretur. Nec Ericus condicione uti abnuit,
ne lingua quam manu prompctor existimari posset. Erat
autem tale certaminis genus. Circulus nimine uel fune
contextus, magno pedum manuumque conatu decertaturis
raptim distrahit uerbi solebat, forciori tribuens pal-
mam, quem collectancium si quis alteri detraxisset, uictoria
20 donabatur. In quem modum agonisans Ericus, correptam
acrius restem manibus concertantis excussit. Quod Frotho
uidens, Arduum, inquit, reor contra fortem fune contendere.
Et Ericus: Arduum utique, cum corpori struma in-
sidet, aut tergum occupat gibbus. Statimque propulso
25 pede, senem colli senilis ac dorsi fraccione contriuit. Ita
Westinarus inefficax ulcionis molitor, *dum vindicem agere
studuit, in ulciscendorum sortem incidit, quorum ulcisci
cupierat cedem, imagine profligatus.

At Frothone Ericum iactu sice traicere meditante,
30 conscientia fraterne mentis Gunuara, sponsum periculi premo-
nitura, Neminem, inquit, sapientem fore, qui sui prouisor
non sit. Quo dicto Ericus propulsande fraudis amonitus,
suggestam sibi cautelam argutus exceptit. Continuo nam-

que exiliens, triumphalem ait fore gloriam sapientis, dolum suimet ultorem existere, modesto uocationis genere insidiantis ingenium lacerans. Quem cum rex repentina cultri iactu declinantem occupare non posset, aduerso parieti errabundum incidit ferrum. Tunc sic Ericus: Porrigenda sunt amicis munera, non iactanda; probabile fecisses donum, si comitem ferro uaginam dedissem. Quam rex continuo cingulo detractam petenti tradidit, moderacione hostis odium deponere coactus. Ita aliena simulacionis industria delinitus, emissum maligne telum, benigne possidendum concessit. Sic Ericus exceptam dissimulanter iniuriam ad beneficium transtulit, destinatum cladi sue ferrum eximiū muneris loco complexus. Quod enim Frotho nocendi studio gesserat, hic liberalitatis nonine colorabat. Deinde corporum cure indultum est. Noctu Gunuara, tacite excitato eo, fugā opus esse proponit, perquam utile referens, rebus integris incolumi redire curru. Qua comite littus ingressus, classem regiam illie forte subductam, diffissa laterum parte, nauigacioni inhabilem reddidit, insertisque rursum asserculis sarsit, quo minus ab intuentibus lesio nosceretur. Deinde nauigium, quo se comitesque receperat, haud procul littore depelli curat. Quem rex laceratis insequi nauibus parans, mox fluctu foros equante, quanquam armis ad modum onustus existeret, enare inter alios cepit, proprie salutis seruande, quam aliena lacessende cupidior effectus. Precipitatis in altum proris, sedibus suis reniges stagnans introrsum estus excussit. Quo Rollerus Ericusque conspecto, cum contemptu periculi incunctanter se profundo dedere, natabundique fluctuantem excepere regem. Iamque eum superfusa ter unda subruerat, cum Ericus cesarie comprehensum pelago leuat. Cetera naufragorum turba aut aquis obruta, aut egre littori restituta est. Rex, humido nudatus cultu, sicea circumactus ueste contegitur. Multus illi ab ore liquor crebra pectoris ructacione manabat. Vox quoque eum continua lassata singultibus deficeret uidebatur. Tandem redditus calor frigore hebetatos artus spiritu uegeciore firmabat. Residere siquidem, nec assurgere poterat, haud iuste uirium compos. Paulatim pristini roboris potencia subiit. Interrogatus tandem, an

uitam pacemque deposceret, admota oculis manu, deie-
ctam luminum aciem attollere nitebatur.

- At ubi sensim corpori uirtus redditia est et uoci
fiducia | maior incessit, Per hanc, inquit, lucem, quam p.
5 inuitus excipio, per celum, quod parum libenter haurio
suspicioque, obsecro uos obtestorque, ne michi ulteriorem
eius usum prestare animum inducatis. Frustra uolentem
perire seruasti. Aquis michi interire negatum est, ferri
saltem officio moriar. A nemine uictus, tuo primum,
10 Erice, ingenio cessi, hoc infeliciar, quod, qui illustribus uiris
inuictus extiti, plebeio de me uictoriam prebui. Ingens
hoc regii pudoris irritamentum est. Sufficit hec sola duci
ad moriendum causa, cui nihil gloria magis placere con-
uenit, qua si careat, ceterorum inopem putas. Nihil enim
15 in rege celebrius fama. Credita michi erat racionis atque
eloquacie summa. Sed quorum utroque pollere uidebar,
utroque destitutus sum, eo calamitosior, quod regum uictor
ab agresti uictus uideor. Quid uita donas, quem gloria
spoliasti? Sororem, regnum, gazam, supellectilem et,
20 quod *iis maius est, claritudinem perdidi, tot infelix casibus,
quot tu fortunatus agnosceris. Quid tanto superstes dede-
cori reseruabor? Que michi libertas tam felix erit, ut
captiuitatis ignominiam demat? Quid michi sequencia con-
ferent tempora, que nihil nisi preteritorum miseriam re-
25 dolencia, longam animo penitenciam generabunt? Quid
uite producio proderit, solam tristie memoriam relatura?
Nihil calamitosis iocundius morte. Felix est obitus, qui
succedit optatus. Hic non temporum dulcedinem tollit, sed
rerum fastidium consumit. In prosperis salus, in aduersis
30 melius fatum petitur. Nulla me meliorum spes ad uiuen-
di cupiditatem adducit. Quis ad solidum laceratam for tunc
mee sortem resarciet casus? Et iam horum, nisi periclitan-
tem excepissetis, immemor essem. Reddideris regnum,
sororem reduxeris, instauraueris gazam: claritatem reparare
35 non poteris. Nihil, quod resartum est, integri splendorem
habebit. Captiuum fuisse Frothonem, longeua recensebit
fama. Ceterum, si inflictas uobis ex me calumnias numeratis,
uestris occidere manibus merui; si damna recolitis, beneficij
penitebit. Pudebit subuentum fuisse hosti, si atrocitatis eius
40 in uos magnitudo taxetur. Quid reo parcitis? quid manum

p. 215

a persecutoris uestri iugulo cohibetis? Par | est, ut in me
 sors, quam uobis paraueram, recidat. Fateor, si michi in
 uos ea, quam in me geritis, potestas incideret, nihil a me
 pietati deferendum esse. Quod si uobis facto innocens
 5 sum, uoluntate saltem reus teneor. Redundet in me, queso,
 nocens animi culpa, qui interdum operis loco censeri solet.
 Si fato ferrum negatis, propria michi manu cladem con-
 <s>escendam curabo.

Contra sic Ericus: Dii a te, queso, auertant stolidam
 10 mentem; auertant, inquam, ne clarissime uite finem flagicio
 queras. Sane quidem ab ipsis prohibitum est, benignum
 in aliós in se parricidam fore. Tentatus es a fortuna,
 quo mentis habitu aduersa exciperes, explorante. Pro-
 bamentum tibi dedere fata, non casum. Nihil tibi meroris
 15 inflictum est, quod sors melior abolere non possit. Cautela
 etenim prebita est, non mutata felicitas. Neino modeste
 se in prosperis agit, qui aduersa tolerare non didicit. Pre-
 terea omnis bonorum usus post agnita gracie mala per-
 cipitur. Iocundior est uoluptas, que rerum amaritudini
 20 succedit. Salutem tuam auersaberis, si superfuso semel
 equore maduisti? Quod si aquis frangeris, quando ferrum
 equanimiter tolerabis? Enasse armatum, quis non glorie
 magis tribuat quam rubori? Quot se felices reputarent,
 si tua sorte infelices essent? Sunima te rerum manet,
 25 floret animus, pubescit etas, plura spe complecti poteris,
 quam gesseris rebus. Numquam hoc tibi leuitatis inesse
 uellem, ut non modo fugere aspera, sed eciam ob eorum
 impacienciam uitam abiicere cupias. Quouis effeminacion
 est, qui aduersorum metu uiuendi fiduciam perdit. Nemo
 30 sapientum morte res aduersas redimere solet. Stulta est
 in alium indignacio, temeraria in se. Ignauus est furor,
 qui suum condemnat auctorem. Quod si ulti ob iniuriam
 aut leuem animi commocionem fatum appetis, quem tui
 uindicem derelinquis? Quis tam amens, ut dubium fortune
 35 habitum proprio ulcisci interitu uelit? - Quis adeo felix
 uixit, quin tristior illum quandoque fortuna pulsaret? In-
 coneussa duxisti tempora, continua felicitate usus, et nunc
 ad modicam tristicie salebram, ut dolori parcas, uitam
 deserere paras? Quomodo, leuiorum impaciens, grauiora
 40 deinde superelia ferre poteris? Insipidus est, qui num-

quam meroris poculum degustauit. Nemo dura non passus
 temperanter facilibus utitur. | Qui fortitudinis columnen
 esse debueras, eneruis animi specimen exhibebis? Fortis-
 simo parente editus, ultime imbecillitatis spectaculum da-
 bis? Sic a maioribus discrepabis, ut feminis mollior fias?
 Needum adolescere cepisti, et iam te uite sacietas cepit?
 Quis hanc prior imaginem prebuit? Clarissimi aui nepos,
 inuicto parte editus, leuem contrariorum auram perpeti
 non ualebit?* Indoles tua auite uirtutis habitum representat. XLII
 10 A nemine uictus es; tua tibi solum incuria nocuit. Peri-
 culo per nos erutus es, non subactus. Amiciciam iniurie
 deputabis, odium pro gracia relaturus? Obsequio placari
 debueras, non moueri. Numquam te dii eo furoris ex-
 cedere uelint, ut seruatorem insidiatoris loco notare sus-
 15 tineas. An eo tibi rei erimus, quo benefici sumus, in-
 dignacionem officiis contracturi? Reputabis hostem, cui
 salutis tue premium debes? Neque enim te liberum cap-
 tiuauimus, sed ope preueninuus laborantem. Et ecce gazam,
 opes, supellecilem reddo. Soror tua si michi temere || de-
 20 sponsata creditur, cui decreueris, nubat; enim uero intacta
 illi pudicicia manet. Ceterum militare tibi, si acceptaueris,
 uolo. Caue ne ab re ira animum obstines. Nulla te
 rerum iactura concussit. Nihil libertati tue detractum est.
 Obsequentem me tibi, non imperantem agnosces. Qualem-
 25 cunque de capite meo sentenciam decreueris, comprobo.
 Idem te hic, quod in regia, posse confide. Eandem hic,
 quam in aula, imperitandi potentiam tenes. Hoc de nobis
 in loco, quicquid apud regiam placuissest, institue. Proni
 ad parendum sumus. Hactenus Ericus.
 30 At regem hec tam in se, quam in hostem mansue-
 fecit oracio. Deinde, compositis pacatisque omnibus, re-
 ditur in littus. Rex Ericum ac nauticos uehicularis excipi
 iubet. At ubi in regiam est uentum, concessionem aduocari
 facit, in quam accersito Erico sub sponsalium fide sororem
 35 ac centurionatum dedit. Adiecit | deinde, fastidio sibi
 fore reginam, filiani placuisse Götari. Ideoque nouum illi
 legacionis opus deberi; optime ab ipso negocium expleri
 posse, cuius nihil arduum conatui uideretur fore. Preterea
 se Götuaram ob celati criminis consci*enci*am silicibus ob-
 40 ruturum; Hanundam uero redditurum patri, ne in Dania

conuersantem capit is sui insidiaticem haberet. Ericus consilium probat, suam imperatis operam pollicens, excepto, quod reginam repudio actam Rollero melius maritandam astrueret, a quo nulla maiestati suspicio foret. Quam 5 sentenciam Frotho perinde ac diuinitus datum documentum uenerabundus exceptit. Regina quoque, ne uiolencia astringi uideretur, muliebriter obtemperauit, affirmans, a natura dolendi necessitatem non esse, omnemque animi egritudinem ab opinione proficisci solere. Ceterum plan- 10 gendam non esse penam, que meritis accidisset. Ita ergo fratres coniunctas egere nupcias, altero sororem regis, altero repudiatam reginam ducente.

Deinde, sumptis secum coniugibus, nauigacionem in Noruagiam referunt. Neque enim illas a uirorum latere 15 aut uie longinquitas aut futuri periculi metus diuellere poterat, affirmantes, ut plumam hirto, sic se maritis cohesuras fore. Et iam Cracam, demortuo Regnero, Brac cuidam nupsisse comperiunt. Deinde paterne gaze memores, egestam humo pecuniam tollunt. At Gutarus omnem 20 Erici fortunam, fama uirum preeunte, didicerat. Ut autem ipsum aduenisse cognouit, ueritus, ultima queque in Noruagienses eximia sui fiducia moliturum, uxore priuare suamque illi filiam adempte coniugis loco copulare studebat. Regina namque nuper demortua, nullas magis quam 25 germane Frothonis nupcias affectabat. Cuius Ericus intentione comperta, conuocatis sociis refert, suam neendum cautibus abstississe fortunam. Ceterum spectare se, fascem labilem esse, qui uinculo non firmetur, perindeque omne pene pondus repente decidere, quod culpe catena non 30 fixerit. Id eos apud Frothonem nuper expertos esse, cernentes, innocenciam suam inter egerrinios casus diis opitulantibus fuisse defensam, eademque ulterius conseruata, consimilem in aduersis opem sperare debere. Deinde fugam eos paulisper fingere oportere, si primum a Gotoro lacesciti 35 forent, iustiorem belli titulum habituros. Manum siquidem capit is periculo obiici, omni iure permissum esse. Raro autem quenquam commissam cum innoxiis pugnam feliciter exequi posse. Prius ergo hostem aduersum se prouocandum esse, quo iustior eundem impetendi causa succederet. 40 Nec plura elocutus, domum Bracum inuisere pergit.

Deinde ad Gun*uaram conuersus, experiende eius fidei xliii
 gracia percontatur, an Göttarum cordi haberet, indignum
 docens, regie stirpis puellam thoro popularis astringi.
 Quem illa per deorum numina impensis obtestari aggressa,
 5 fictimne an ueraciter excogitata haberet? Eo per serium
 se locutum dicente, Ergo, inquit, extremum michi ruborem
 iniicere paras, quam uirginem adamasti, uiduam relicturus.
 Sepe rebus contrarium fama predicit popularis; me de
 te fefellit opinio. Constanti nupsisse putabam, et nunc
 10 uentis leuiorem experior, quem indubitate fidei || fuisse
 sperabam. Hec fata, abunde laehrymas dedit. Grata
 p. 2
 Erico uxoris indignacio fuit, cui mox amplexum iniiciens,
 scire, ait, uolebam, quantum tibi in me fidei esset. Mors
 sola dirempcionis nostre ius possidet. Te tamen Göttarus
 15 raptui destinat, amore latrocinio quesiturus. Quem
 cum peregerit, tua gestum simula uoluntate, nihilominus
 nupcias dilatura, quoque filiam michi tui loco tradiderit.
 Qua impetrata, uno ego ac Göttarus die nupcias a-
 cturi sumus. Itaque disparata nobis ad coniuandum tri-
 20 clinia, sed medium parietem communicancia prebere curato,
 ne me forte coram oculis habito, languidiore regem con-
 templacione perstringas. Hoc enim ad eludendum raptoris
 studium perquam efficax commentum erit. Deinde Bracum
 25 cum delecta promptissimorum manu haud procul regia
 delitere precepit, sibi, cum res posceret, auxilio futurum.
 Post hec, adeito Rollero, prouocandi regis gracia,
 cum nupta ac supellecstile, simulato metu, fugam nauigio
 petiuit. Igitur Götari sibi classem instare conspiciens,
 En, ait, arcus doli insidiarum spiculum iacit; statimque,
 30 concitatis clamore nautis, clauo puppim conuertit. Quem
 Göttarus prope modum aduectus, quis rector esset nauigii,
 percontatur; Ericum esse cognoscit. Item exclamans, an
 ipse sit, qui mirifice uerborum habitu ceterorum facundiam
 frustraretur, inquirit. Quibus auditis, Ericus, olim ab ipso
 35 se Diserti cognomine donatum esse nec frustra appella-
 cionis augurium excepisse, subiunxit. Dehinc ab utrisque
 proximum in littus concessum est, ubi Göttarus, Erici lega-
 cione cognita, Frothonis se refert sororem cupere, legato
 uero filiam exhibere malle, quo minus eum alii suam
 40 cessisse coniugem peniteret. Itaque non incongruum fore,

si legacionis fructus in suum recidisset latorem. Ericum igitur sibi generum complacere, dum modo per Gunuaram Frothonis affinitatem impetrare potuisset. Ericus, regis beniuolenciam exosculatus, sentenciam probat, ultro sibi 5 offerri asserens, quo maius a diis immortalibus exoptare non posset. Ab ipso tamen Gunuare mentem arbitriumque prenoscere debere. Illa adulantem se regem simulato fauore exceptit, petentique promptum deferre uidebatur assensum, obsecrans, ut Erici nupciis suas precurri pateretur, quibus 10 primum admissis, aprior regalibus suppeteret locus, ob hoc quidem maxime, ne denuo nuptura nouum connubii pactum reducta ueteris memoria fastidiret. Preterea non expedire firmabat, binos paratus una celebracione confundi. Rex, responsis euictus, affatim postulata collaudat.

15 Qui cum ex crebris Erici colloquiis clarissima sentenciarum scheniata, quibus animo delectari ac refici possit, hausisset, non contentus ei filiam in matrimonium dedisse, Litharfulki quoque prouinciam tradit, beneficium affinitati imperciendum existimans. Craca uero, que Erico ob incanta-
p. 220
20 cionum solerciam itineris comes adcita fuerat, aduersam oculorum ualitudinem simulans, ita faciem peplo obstrinxerat, ut ne sola quidem cognoscendi capitis particula prominaret. Rogata, quenam esset, Gunuare se sororem perhibuit, eadem matre, diuerso uero patre progenitam.

25 At ubi in Gotari penates peruentum, tedarum Aluilde (id filie eius nomen erat) coniuvium exhibetur. Diuersis Ericus ac rex edibus accumbebant, quarum tecta paries communis exceperat. Eudem deintus pensibilibus per totum obducte auleis erant. Assedit Gotaro Gunuara, sed Ericum altrin-
30 secus Craca cum Aluilda stipabat.* Qui inter iocandum, subducto sensim e pariete assere, quantum loci humanum corpus transmittere posset, aperuit, ignarisque conuiuis spaciū meatui peruum fecit. Deinde sponsam, an Fro-
35 thoni an sibi nubere mallet, curiosius percontari inter epulas cepit, maxime cum, obseruato copularum respectu, regia proles consentanea nobilitatis amplexui debeatur, ne unius coniugum dignitas alterius indignitate depereat. Qua se inconcessis a patre nupciis usuram negligente, reginam eam fore, ceterasque opibus excessuram promittens,
40 ex repugnante obsequentem effecit, non minus opum spe

XLV^a

(83)

quam gloria captam. Cracam quoque traditum est exhibite pacionis temperamento Frothonis amori uirgineam adegisse cupidinem.

At Gotarus Erici post epulas conuiuum petit, nupcialis ioci licenciam adaucturus. Quo exeunte Gunuara, sicut ante iussa fuerat, subducti asseris loco perium transgressa parietem, proximum Erico discubitum oecupat. Cui Gotarus eam concessu iunctam miratus, qualiter et quare eo uenerit, percontari impensius cepit. Illa sororem se Gunuare regemque formarum falli similitudine memorabat. Cuius cum rex cognoscendi causa subito regiam repetiuisset, Gunuara postico se, quo uenerat, referens, pristino in loco eunctis spectanda consedit. Qua uisa Gotarus, parum luminibus credulus, maxima cum agnitionis diffidencia ad Ericum iter remensus, relatam suo more Gunuaram pre oculis habuit. Ita, quocties aularum aditus permutoauit, tocies utrobique, quam querebat, offendit. Et iam non consimilis, sed eadem hinc inde facies ingenti regem ammiracione torquebat. Impossible enim ad omnem uidebatur modum, absque notabili diserimine eundem diuersis habitum inesse formarum. Soluto tandem conuiuio, filiam et Ericum nupeciali in cubiculum usque comitate prosequitur. Ipse alias cubitum reddit.

At Ericus Aluildam Frothoni destinatam seorsum enbare permittit, Gunuaram, ut ante, deluso rege, complexus. Itaque Gotarus, insomnem agens noctem, stupido errantique animo ludificacionis sue specient agitabat. Neque enim paritas specierum, sed identitas uidebatur. Vnde incerta adeo atque anceps illum estimacio subiit, ut errori tribueret, quod reuera deprehensum habebat. Tandem pariete fraudem instrui potuisse, animo obuersatum est. Quem eum diligencius inspici lustrarique iussisset, nulla fracionis uestigia deprehendit. Inconcussa siquidem tocius edis integritas apparebat. Quippe Ericus nocte concubia, quo minus dolus conspicuus foret, soluti parietis sarserat lesionem. Deinde duos cognoscende rei causa tacite Erici cubiculo intromissos ac post auleam consistere iussos cuneta euriosius attendere iubet. Idem Ericum cum Gunuara repertum occidendi *quoque* preceptum acceptant. Qui, inita latenter ede, uelatis cortina angulis

presenciam occultantes, Ericum ac Gunuaram, nexit
inuicem brachiis, communis thoro fruentes conspiciunt.
Quos semisopitos rati, profundorem quietis copiam ex-
pectabant, opperiri uolentes, donec exequendi sceleris oc-
casione grauior porrigeret somnus. Qui cum, stertente
sonoriis Erico, concepti liberius somni speciem agnouissent,
continuo trucidandi eius gracia destrictis prodire mu-
cronibus. Quorum Ericus insidioso | expergefactus accursu,
eum imminentes capiti gladios suspexisset, dicto nouerce
nomine, quod olim inter pericula nuncupare iussus fuerat,
promptum necessitatis remedium expertus est. Clypeus
enim eius, qui sublimius a trabe pendebat, illieo in eum
collapsus, inerme corpus quasi de industria, ne a latroni-
bus confoderetur, obtexit. At ille, fortuna haud frustra
usus, proximi latronis utrumque pedem rapto desecuit
ferro. Alterum Gunuara non impetu minori hasta trans-
fodit, muliebri corpore uirilem animum equans.

p. 222

Taliter Ericus insidiis liberatus, repetito mari no-
cturne nauigacioni se preparat. At Rollerus iis, qui
comminus excubare iussi fuerant, signum irrumpende regie
lituo dedit. Quo rex audito, hostium aduentum indicari
ratus, pre*ceps fugam nauigio tenuit. Interea Bracus et
qui cum eo irruerant, conuulsam regis supellectilem
Erici nauibus imponendam curabant. Medium ferme noctis
agendis. impensum est predis. Quorum mane rex cognita
fuga, inseucionem molitus, per amicorum quendam, nequid
subito pararet aut cum impetu exequeretur, ammonitus
est. Persuadebatur quippe, maiore instrumento opus esse,
nec expedire, cum paucis in Dianam consequi fugientes.
Sed ne sic quidem impaciens animus damni impetum
pressit. || Nihil enim magis mouerat regem, quam quod
alienae cladis paratus recidisset in suos. Enauigans autem
rex peruenit in portum, qui nunc ab Ømi uocabulum
tenet. Vbi aduersa tempestate oborta, alimentis defectus,
sacius arbitratus est moriendo necessitatem ferro subire,
quam fame. Itaque nautici, manu in se ipsos uersa,
alternis uulneribus accelerauerent fatum. Rex cum paucis
moncium prerupta secutus elabitur. Indicium cladis colles
editi prebent. Interea Erico prospere nauigacionem emen-
so, Frothoni cum Alu*(i)*da nupcie acte sunt.

XLV^b

(84)

Post hec Sclauorum mandatur irrupeio. Ad quam
 p. 21
 choer'cendam Ericus cum octo nauigiis destinatur; quippe
 Frotho rudis adhuc rei bellice uidebatur. Ericus igitur,
 ne uirilem umquam operam detrectaret, susceptum gratu-
 lanter officium fortiter exequendum curauit. Qui cum
 5 piratas septenis nauibus esse cognosceret, una tantum e
 suis aduectus, reliquas ligneis propugnaculis cingi, tonsis-
 que arborum ramalibus obduei iubet. Deinde, cum hostice
 classis numerum plenius speculaturus procederet, insequen-
 10 tibus se Sclauis, ocius ad suos refugere cepit. At hostes
 ut insidiarum ignari, ita fugientem comprehendere audi,-
 crebro incunctantique fluctus remigio concussere. Naves
 enim Erici liquido cognosci non poterant, frondentis silue-
 speciem preferentes. Qui cum angustioris se maris flexui
 15 tradidissent, subito Erici classe conclusos uident. Sed
 primum, inusitata facie stupidi, nauigio nemus agi putabant;
 deinde fraudem foliis subesse cognoscunt. Seram ergo
 ineurie penitenciam agentes, habitam incaucus nauigacionem
 remetiri tentabant. Sed dum puppes obuertere parant,
 20 ab hoste eas insiliri conspiuunt. Ericus uero, subducto
 in littus nauigio, funda procul in hostes saxa torquebat.
 Igitur Sclauorum cesi plerique, quadraginta capti fuere,
 qui postea, uinculis ac fame choerciti, inter uarias cruciatus
 angustias spiritum deposuerunt.

25 Interea Frotho traiiciende in Sclauiam expedicionis
 gracia, tam e Danis quam ex finitimis ingentem adeiuera-
 classem. Huius minima ratis exstabat, que bissenos ueheret
 nauticos, totidemque remigiis agi posset. Post hec Ericus,
 sociis pacientius prestolari iussis, acte iam cladis famam
 30 Frothoni perlaturus occurrit. Cumque nauigando puppim
 forte piraticam uadosis ac minus altis gurgitibus inflictam
 herere conspiceret, quod res fortuitas dictorum grauitate
 prosequi solitus erat, Obscura est, inquit, ignobilium sors
 fortunaque uilium sordida. Deinde, naue proprius applicata,
 35 piratas, proprium contis nauigium expedire connisos ac
 circa eius seruacionem impensius occupatos, oppressit.
 Quo peracto, cum ad regiam classem redisset, Frothonem
 nuncia uictorie salutacione reficere cupiens, saluum fore
 florentissime pacis auctorem iubet. Rex, uerum eius
 40 dictam fieri precatus, augurem esse sapientis animum

affirmabat. Ericus, uera a se dici, paruulaque uictoria maioris omen afferri, respondit, exiguis sepe rebus magnarum presagia captari testatus. Regem deinde manum spargere hortatus, Iutie equitatum terreno proficisci itinere 5 iubet, reliqua exercitus parte marinum ineunte compendium. Tanta autem nauigiorum frequencia mare compleuerat, ut nec receptui portus nec castris littora aut commeatis impense suppeterent. Terrestris^{*} autem acies tanta fuisse fertur, ut compendii gracia complanasce montes, 10 meabiles effecisse paludes, lacunas aggeribus exequasse, uastissimasque uoragini iniectis molibus explesse dicatur.

Interea Strunico, Sclauorum rege, belli inducias per legatos petente, Frotho tempus apparatus negat, affirmans hostem induciis instrui non oportere. Preterea hactenus 15 se bellicorum operum expertem uixisse, nec debere corum inicia ancipiti rerum expectacione suspendere, quod quisquis primam feliciter miliciam gesserit, consimilem de cetero fortunam sperare possit. Tale enim quenque omen habiturum pugne, quale congressionum principia 20 dederint, cum iniciales bellorum successus sequentibus augurio || fore soleant. Ericus responsi prudenciam laudat, affirmans, ita ludum foris agi oportere, prout domi fuerit inchoatus, Danos a Sclauis prouocatos esse significans.

Quod dictum accerrimo prelio prosecutus, Strunico cum 25 gentis sue fortissimis interfecto, residuos in fidem accepit. (85) p. 225 Tum Frotho conuocatis Sclauis per preconem edixit, ut, si qui inter eos rapine aut furto assueuisserent, ocios ex hiberentur, promittens, se talium mores primis honoribus donaturum. Iussit eciam, ut, quicunque malarum arcium 30 studiis calluisserent, premia recepturi prodirent. Grata Sclauis missio fuit. Cuius spem quidam cupidius quam consideracius secuti, prius prodidere se ipsos, quam alieno possent indicio declarari. Quos tanta lucri cupiditas fefellit, ut, ruborem questui postponentes, crimen pro gloria ducerent. 35 Quibus sponte exhibitis, Ha[n]c, inquit, Sclaui, uos ipsos patriam peste uacuefacere conuenit. Continuoque eos a lictoribus abripi iussos in altissimas cruces ciuium manu subfigendos curauit. Plures a paucioribus punitos crederes. Ita callidi ingenii rex, dum ueniam, quam uictis hostibus 40 tribuit, crimen confessis negauit, totam pene Sclauice

gentis stirpem consumpsit. Sic indebiti premii cupiditatem debita consecuta est pena, iustoque suppicio indigne mercedis auiditas adacta est. Crediderim iure excio traditos, qui, cum taciturnitatis munimento salutem seruare potuissent, uoce periculum adciuerunt.

Rex recentis uictorie titulis euectus, ne iusticia quam armis defecctor uideretur, nouis exercitum legibus formare constituit, quarum presens quasdam ritus usurpat, quasdam arbitraria iuris nouitas aboleuit. Edixit enim, ut primipilus quisque, prede particione facta, maiorem cetero milite porcionem acciperet; | ducibus uero, quibus in acie signa anteferri solerent, dignitatis causa captiuum concessit aurum. Gregarium uero militem argento uoluit esse contentum. Arma ad pugiles redundare, captiuua nauigia popula-
ribus cedere iussit, utpote eis debita, quibus condendi rates instruendique ius esset. Preterea sanxit, nequis rem familiarem seris mandare presumeret, duplum ex fisco regis amissorum precium recepturus. Quam si quis arcarum claustris obseruandam duxisset, auree libre regi debtor fieret. Statuit eciam, ut in eum, qui furi ignosceret, furti pena recideret. Preterea, si quis in acie primus fugam capesseret, a com[muni] iure alienus existeret. At ubi in Daniam rediit, ut, quicquid Grep sinistra morum usurpacione corruperat, bonis artibus expiaret, arbitrariam fe-
minis nubendi potestatem indulxit, nequa thori coaccio fieret. Itaque lege cauit, ut eis in matrimonium cederent, quibus inconsulto patre nupsissent. At si libera consen-
sisset in seruum, eius condicionem equaret, libertatisque beneficio spoliata, seruilis fortune statum indueret. Maribus quoque, quamcunque primitus cognouissent, ducendi legem inflixit. Adulteros a ueris coniugibus corporum parte spoliandos constituit, quo minus continencia flagiciis elide-
retur. Edixit quoque, ut, | si Danus Dano rapinam in-
fligeret, duplum rependeret, ac uiolate pacis crimi^{*ne} cen-
seretur. At si quis rem furto quesitam ad alienam domum perferret, hospes^{que} post illum edis sue fores obcluderet, bonorum omnium penam incurreret, atque in concione coram omnibus uapularet, quod se eidem delicto obnoxium fecisse uideretur. Preterea, quisquis exulum patrie sue
hostis euaderet, aut inimicum ciuibus scutum afferret, rerum

p. 22

p. 22

p. 22

LXV

ac uite periculo penas lueret. Siquis autem ad exequendum regis imperium ob animi contumaciam piger existeret, exilio mulctaretur. Solebat namque sagitta lignea ferree speciem habens, | nuncii loco uiritim per omnes mitti, quo-
5 cies repentina belli necessitas incidisset. Qui uero ex popularibus primipilum in acie anteiret, ex seruo liber, ex agresti illustris euaderet. At si ingenuus foret, satrapa crearetur. Tanta olim audaces stipendia merebantur. Adeo ueteres nobilitatem fortitudini tribuendam putabant. Si-

p. 229

10 quidem non fortune uirtutem, sed uirtuti fortunam deferri oportere, existimatum est. Precepit quoque, ne lis ulla iurisiurandi fide aut pignerum posizione contraheretur; | qui uero alium pignus secum ponere iussisset, eidem auree libre dimidium solueret; alioqui grauem corporis mulctam

(86)

15 subiret. Prouiderat enim rex, ex pignerum posizione maximas licium causas incidere posse. De qualibet uero controuersia ferro decerni sanxit, speciosius uiribus quam uerbis configendum existimans. Quod si alter dimicancium relato pede prenotati orbis gyrum excederet, perinde ac
20 uictus cause detrimentum reciperet. Sin autem quauis de re pugilem popularis impeteret, ipsum armatus exciperet, cubitali duntaxat stipite pugnaturum. Quin eciam cladem Dani ab alienigena oppressi duorum extraneorum cede sarciendam instituit.

p. 230

25 Interea Götarus, sumendi de Erico supplici gracia, pugne exercitum comparat. E contrario Frotho cum magno classis apparatu Noruagiam petit. Cum ad insulam Renso pariter appulissent, Götarus, Frothoniani nominis magnitudine territus, pacem per legatos efflagitat. Ad quos
30 Ericus, Inuercundus, ait, est latro, qui prior concordiam querit, aut bonis communicare presumit. Qui enim obtinere gestit, obniti debet; ictus ictui opponendus est, liuorque liuore pellendus. Cumque hoc dictum Götarus attentis eminus auribus excepisset, quam poterat clara uoce
35 ita inquit: Quisque uirtuti militat, prout beneficij meminit. | Cui Ericus: Beneficenciam tuam redditio tibi consilio repensauit. Quo sermone egregios monitus omni donorum genere prestanciores indicabat. Et ut Götarum accepti consilii ingratum ostenderet, Quando coniugem michi, inquit, cum
40 uita adimere cupiebas, melioris exempli speciem lacerasti.

p. 231

Solum inter nos ferrum decernendi ius obtinet. Post hec Götarus parum prospera congressione Danorum classem adortus occiditur. Cuius regnum Rollerus beneficii nomine post modum a Frothone suscepit, quod septeno prouinciarum numero tendebatur. Eundem quoque Ericus collata sibi quondam a Götaro prouincia muneratus est. His gestis, Frotho per summam ac securam pacem triennium gessit.

Inter hec rex Hunorum, auditio gnato repudio, adiuncto sibi rege Orientalium Olimaro, aduersum Danos biennio belli apparatum contraxit. Igitur Frotho non solum indigenas, sed etiam Noruagienses ac Sclauos in copias uocat. A quo Ericus hostiles speculatum acies missus, Olimarum, qui classis magistratum acceperat, Hunorum 15 rege terrestres ductante copias, haud procul Ruscia repperit, quem taliter affari cepit:

Quid sibi uult, queso, belli grauis iste paratus?
Aut quo classe potens, rex Olimare, ruis?

At Olimarus:

20 Fridleui natum nobis incessere cordi est;
Et quis es, audaci talia uoce rogans?

XLV

Ad quem Ericus:

Vincendi inuictum subiit spes irrita mentem;
Frothonem nullus exuperare potest.

25 Contra Olimarus:

Quicquid contingit, primo semel accidit, et res
Non sperata satis sepe subire solet.

Qua sentencia, a nemine nimium fidei in fortuna reponendum esse, perdocuit. Deinde Ericus Hunorum 30 agmen exploraturus obequitat. Quod Ericum preteriens, inuicemque ab ipso preteritum, primam ortiuo soli aciem, postremam occiduo *(conspiciendam)* prebuit. Itaque, penes quem tot milium regimen foret, ab obuiis sciscitatus est. Quem Hun forte conspiciens, (rex hic Hunorum erat), 35 speculandi ministerium accepisse cognovit, perquiritque,

quod percunctatori uocabulum foret. Ericus se ubique aduentantem, nec usquam compertum uocitari perhibuit. Rex item, admoto interprete, quid Frotho operis exerceret, interrogat. Cui Ericus: Numquam Frotho domi inimicum prestolatur exercitum, nec hostem in edibus opperitur. Pernox enim et peruigil esse debet alienum appetens culmen. Nemo stertendo uictoriam cepit, nec luporum quisquam cubando cadauer inuenit. Quem rex exquisitis dictorum sentencias callere cognoscens: Hic, ait, fortasse p. 233

Ericus est, a quo filiam meam falsi criminis insimulatam accepi. Qui continuo preendi iussus, non decere, inquit, unum a pluribus abripi. Quo dicto non modo regis animum complacauit, sed eciam ad ignoscendi sibi uoluntatem perduxit. Cuius impunitatis causam pocius a calliditate quam beniuolencia profectam constabat, cum ob hoc maxime dimitteretur, ut Frothonem nunciate multitudinis rumore terreret. A quo cum reuersus explorata referre iuberetur, sex classium senos reges, earumque quamlibet quina nauum milia complectentem uidisse se retulit, quarum unam quanque trecentorum remigum capacem esse constaret. Quemlibet uero toeius summe millenarium quaternis alis contineri dicebat. Volebat autem millenarium mille a ducentorum capacem intelligi, cum ala omnis trecentorum numero compleatur. Cunctante uero Frothone, quid contra tot acturus esset, attenciusque subsidia circunspsiente, Probum, inquit Ericus, audacia iuuat; acri cane occupandus est ursus; molossis quippe, non imbellibus auiculis opus est. Quo dicto Frothoni contrahende classis consilium drebuit. Qua instructa aduersum hostem nauigacio tenet. Igitur insulas, que Orientemque interiacent, preliis subigunt. Vnde procedentes naues aliquot Rutene classis offendunt. Quarum cum Frotho paucitatem incessare deforme duxisset, A macro, inquit Ericus, et tenui petendus est cibus. Raro pinguescet, qui cadit. Neque p. 234

enim mordendi potens est, quem nastus occupauerit follis. Quo documento regi irrupcionis edende ruborem excussit, eumque mox ad paucitatem multitudine laccessendam perduxit, utilitatem pudori preferendam significans.

Post hec ad Olimarum processum est, qui multitudinis segnicie excipere hostem quam aggredi preoptabat;

quippe Ruthenorum nauigia incomposita, minusque ob
granditatem ad remigium habilia videbantur. Sed ne ei
quidem numerositatis potencia profuit. Inusitata namque
Ruthenorum multitudo, copiis quam uirtute prestancior,
robuste Danorum paucitati uictoriam tradidit. Frotho, cum
patriam repetere uellet, inauditum nauigacionis impedimen-
5 tum expertus est. Quippe crebra interfectorum corpora,
*nec minus scutorum hastarumque fragmenta iactante estu XLVI
uniuersum maris constrauerant sinum. Itaque portus non
10 angusti minus quam olici erant. Igitur mediis obstricte
cadaueribus hesere puppes. Nec putria quidem ac circum-
flua corpora remis abigere, aut contis propellere poterant,
quo minus, uno sublato, mox aliud aduolutum impelleret
classem. Bellum cum mortuis obortum crederes. Nouum
15 contra exanimes discrimen extabat.

Igitur Frotho, conuocatis, quas uicerat, gentibus, lege
cauit, ut, quisquis paterfamilias eo conciderat bello, cum
equo omnibusque armature sue insignibus tumulo manda-
retur. Quem si quis p. 23 uespillonum scelesta cupiditate ten-
20 tasset, penas non solum sanguine, sed eciam inhumato
cadauere daret, busto atque inferiis cariturus. Siquidem
par esse credebat, ut alieni corruptor cineris nullo funeris
obsequio donaretur, sortemque proprio referret corpore,
quam in alieno perpetrasset. Centurionis uero uel satrape
25 corpus rogo propria naue constructo funerandum constituit.
Dena autem gubernatorum corpora unius puppis igne con-
sumi precepit; ducem quempiam aut regem interfectum
proprio iniectum nauigio concremari. Tam serupulo||sam
ducendis interfectorum funeribus obseruacionem prestari
30 uoluit, ne promiscuos exequiarum ritus existere pateretur.
Iamque cuncti Ruthenorum reges, Olimaro Dagoque ex-
ceptis, Marte conciderant. Bella quoque Ruthenos ex
Danorum imitacione celebrare precepit, ac ne quis uxorem
35 nisi empticiam duceret. Venalia siquidem connubia plus
stabilitatis habitura censebat, tuciorem matrimonii fidem
existimans, quod precio \ firmaretur. Preterea, (88) | si quis uir-
ginis stuprum ui petere ausus esset, supplicia abscissis cor-
poris partibus lueret, alioqui mille talentis concubitus in-
iuriam pensaturus. Decreuit eciam, ut, quisquis milicie
40 deditus, spectate uirtutis titulum affectaret, impeteret unum,

exciperet duos, tres modica pedis retraccione uitaret, quatuor fugere non erubesceret. Aliam quoque super militum stipendiis consuetudinem a subiectis sibi regibus obseruan-dam edixit. Patrium domesticumque militem hyberno 5 tempore ternis argenti talentis donari iussit, gregarium aut conducticium binis, priuatum ac milicie laboribus defunctum duntaxat uno. Qua lege uirtuti *injuriā* afferebat, condiciones militum, non animos estimans. In quo quidem erroris argui poterat, cum familiaritates meritis anteferret.

10 Post hec interrogatus a rege Ericus, an Olimari copias Hunorum equaret exercitus, carmine sic eloqui orsus est:

Hercule deprendi nulli numerabile uulgus,
Vulgus, cuius erat terra nec unda capax.
Colluxere ignes crebri; silua omnis obarsit;
Index innumere flamma cohortis erat.
15 Calcibus obtrita tellus subsedit equinis,
Edebant rapidos stridula plaustra sonos;
Ingemuere rote, uentos auriga premebat,
Vt tonitrum currus assimilasse putes.
20 Vix armatorum cetus sine lege ruentes
Ponderis impaciens pressa ferebat humus.
Obmugire aer uisus michi, terra moueri,
Tantus in externo milite motus erat.
25 Nam quindena simul uexilla micancia uidi,
Quodque ex iis centum signa minora tenet;
Post quorum quodus poterant bis dena uideri;
Signorum numero par erat ordo ducum.

Igitur Frothone, quid contra tot opponeret, perquente, redeundum doceat, paciendumque, hostes propria 30 primum immanitate consumi. Obeditum monitui est. Neque enim minore studio probatum consilium quam editum fuit. At Huni per auia solitudinesque progressi, nusquam repertis commeatisbus, passim inedia periclitari ceperunt. Quippe regio uasta ac palustris exstabat, nec erat ullum egestatis subsidium reperire. Tandem, fusis comesisque iumentis, tam uehicularum quam uictus inopes spar|gebantur. Ce-35 terum error par fami periculum erat. Non equis, non asinis parcitur, non fedis aut putribus abstinetur. Postremo ne canibus quidem temperatum est; nefas omne morien-

p. 237

XLVIII.

p. 238

tibus licitum fuit. Nihil enim tam difficile, quod necessitas suprema non imperet. Ad ultimum fame exhaustis publica clades incessit. Efferebantur absque cessacione corpora, eunetisque exicium formidantibus, nulli miseracio pereun-
5 cium fuit. Humanitatem quippe metus excluserat. Primum itaque regem paulatim defecere cohortes; deinde centuriatim defluxit agmen. Deseruit eum quoque Vggerus uates, uir etatis incognite, et supra humanum terminum prolixo;
10 qui Frothonem transfuge titulo petens, quiequid ab Hunis parabatur, edocuit.

Inter hec Hithinus, rex aliquante Noruagiensium gentis, Frothonis classe in centum quinquaginta nauigiis accedebat. E quibus duodecim lectis, propius nauigacionem cepit habere, erecto in malum scuto socios aduentare ||
15 significans. Qui regi in proximum amicicie gradum recep-
tus, magnum copiis eius attulit supplementum. Eidem post modum cum Hilda, Högini, Iutorum reguli, filia, spectate ad modum opinionis uirgine, mutuuus amor incessit. Quippe nondum inuicem conspectos alterna incenderat fama. At
20 ubi mutue conspecionis copia incidit, neuter obtutum ab altero remittere poterat; adeo pertinax amor oculos morabatur.

Interea Frotho, distributo per municipia milite, diligen-
25 cieus impensas hybernis commeatibus necessarias conuecta-
bat. Sed ne | sic quidem onerosum impensis exercitum sustentare sufficit. Par prope modum Hunorum cladi pernicies incidit. Igitur ad inhibendum aduenarum confluxum, classe in Albiam missa, nequid traiiceretur, cure habuit, cuius duces Reuillus et Meuillus fuere. Soluta
30 hyeme Hithino Höginoque socialem exequi piraticam pla-
cuit. Ignorabat enim Höginus, suam a sodali filiam adamari. Erat autem is corporis habitu prestans, ingenio peruicax; Hithinus uero corpore perquam decoro, sed breui extitit. Ceterum cum Frotho sustentandi exercitus
35 sumptum in dies difficiliorem aduerteret, Rollerum in Nor-
uagiam, Olimarum in Suetiam, Øneuum regem, et Glo-
merum, piratarum precipuum, ad Orcades petendorum commeatum gracia dirigit, proprias cuique copias tribuens.
40 Triginta reges sequebantur Frothonem, qui ipsum amicicia uel obsequio colerent. Audiens autem Hun, dimissas a

Frothone cogias, nouum recentemque militem contrahit. At Høginus filiam suam Hithino despondit, coniurato inuicem, uter ferro perisset, alterum alterius ultorem fore.

- Autumno petidores commicatum redeunt, tropheis
 5 quam alimentis locupletiores. Rollerus enim prouincias Sunmoriam et Normoriam, occiso earum rege Arthorio, uectigales effecerat. At Olimarus Thorum Longum, Iamtorum atque Helsingorum regem, duosque alios haud inferioris potencie duces, Hestiam quoque et cum Ølandia
 10 Curetiām, sed et insulas Suetie pretentas, celeberrimus Barbarie domitor, triumphauit. Itaque septingenta reducebatur nauigia, duplicato eductorum antea numero. | Onef p. 240 uero et Glemero, Hithino quoque et Høgino Orcadum trophea cessere. Hisdem cum nongentis nauibus redditum
 15 est. Et iam quesiti late sumptus, conueeteque raptu impense alendis* abunde copiis suppeditabant. Ceterum uiginti regna imperio Frothonis adiecerant, quorum reges, triginta predictis adiuncti, Danorum partibus militabant. Hac uirium fiducia cum Hunis pugna conseritur. Cuius prima dies
 20 tanta interactorum strage recruduit, ut precipui tres Ruscie fluuii, cadaueribus uelut ponte constrati, peruii ac meabiles fierent. Preterea quantum quis itineris per triduum equo confidere posset, tantum locorum humanis cadaueribus completum uideres. Adeo spacioa cedis uestigia erant.
 25 Itaque prelio septem dies extracto, cecidit rex Hun. Cuius frater eodem nomine, inclinatam Hunorum aciem conspiciatus, cum sua se cohorte dedere cunctatus non est. Eo bello LXX. ac centum reges, qui aut ex Hunis erant, aut inter Hunos militauerant, submisere se regi.
 30 Quem numerum Ericus superiori signorum expressione complexus fuerat, cum Hunorum multitudinem Frothone percontante distingueret. Igitur Frotho, uocatis in concionem regibus, sub uno eodemque iure degendi normam imponit. Prefecit autem Olimarum Holmgardie, Oneuum
 35 Cenogardie, Hun uero captiuo Saxoniam tribuens, Reuillum Orcadibus donat. Prouincias Helsingorum, Iarnberorum et Iamtorum, cum utraque Lappia, Dimaro cuidam procurandas attribuit; Dago Hestie regimen erogauit. Quorum ununquenque certis tributi legibus onerauit, obse-
 40 quium beneficio applicans. Itaque Frothonis regnum

Rusciam ab ortu complectens, ad occasum Rheno flumine limitatum erat.

Interea Hithinus apud Höginum quorundam obtrectacione insimulatus est, quasi filiam eius ante sponsalium 5 sacra stupri illecebris temerasset, quod tunc immane cunctis gentibus facinus habebatur. Igitur Höginus, || credulis auribus rem falso nunciatam excipiens, Hithinum, regia apud Sclauos stipendia colligentem, classe lacessit, conser-
taque manu uictus Iutiam petuit. Itaque statam a Fro-
10 thone pacem internum labefactauerat bellum, primique indigetes regiam detrectanere legem. Quamobrem Frotho, missis, qui simul eos accerserent, scrupulosius causam simultatis inquirit. Qua cognita, iuxta legis a se late formulam pronunciauit. Videns autem, ne sic quidem eos
15 in graciam reduci posse, patre filiam pertinacius reposcente, litem ferro decidendam edixit. Id quippe solum dirimende controuersie remedium uidebatur. Initia pugna Hithinus, acerrima perstrictus plaga, cum sanguine et uiribus corporis deciceret, insperatam hostis clemenciam expertus est.
20 Höginus siquidem, promptissimam occidendi ipsius facultatem adeptus, forme tamen eius, et iuente miseracione seuiciam mansuetudini cedere coegit. Itaque, ne ephicbum inter extremi spiritus momenta palpitantem extingueret, abstinnit ferro. Olim namque impuberem aut inualidum
25 uita spoliare rubori deputabatur. Adeo cuncta uerecundie momenta prisca pugilum fortitudo seruabat. Ita Hithinus, sociorum opera ad naues relatus, hostis beneficio seruatus est. Idem septimo abinde anno | apud insulam Hithinso pugnauit exorsi, mutuis uulneribus consumpti sunt. Felix
30 Höginus foret, si circa deuictum semel Hithinum seueritate pocius quam clemencia usus fuisset. Ferunt Hildam tanta mariti cupiditate flagrasse, ut noctu interfectorum manes reintegrandi belli gracia carminibus excitasse cre-
datur.
35 Eodem tempore Alrico, Sueonum regi, aduersum Gestiblindum, Gothorum regem, atrox incidit bellum. At Gestiblindus, uiribus minor, Frothonem supplex accessit, se ac regnum percipiende opis gracia dediturus. Qui mox, Skale, Scanico, atque Érico in subsidium receptis,
40 cum supplementis militum reddit. Cumque milicie procursum

in Alricum effundere statuisset, Ericus prius filium eius Gunthionum, Wermis ac Solongis prelatum, censuit impetendum, oportere asserens fessum tempestate nautam proximum captare littus. Preterea radicum inopem raro uirere truncum. Igitur irrupcione facta perit Gunthionus, nomenque eius *tumulus refert. Audiens Alricus interempcionem filii, ultum ire deproperat. Conspicatus hostes, Ericum, clandestino accersitum colloquio, recensisit patrum suorum federibus, ut Gestiblindi miliciam detrectaret, orabat. Quod 5

Erico pertinacius abniente, eum Gestiblindo dimicandi licenciam flagitat, priuatam pugnam publice preferendam existimans. Quem Ericus | senectute armis inhabilem referens, tristemque eius ualitudinem maxima cum etatis excusacione pretendens, se eius loco obtulit pugnaturum, 10 probrosum docens, si duellum prestare refugeret, pro quo bellum commissurus uenisset. Hinc absque cunctacione dimicatum est. Occiso Alrico, Ericus quam grauissime affectus, egre compertis remediis, serum incolunitatis regressum habuit. At Frothoni ipsum occubuisse falso fama 15 uulgauerat, mentemque regis magno ob id merore torquebat. Quam tristiciam Ericus redditus sui beneficio dispulit. Quippe Sueciam, Wermiam [Helsingiam] atque insulas Solis opera sua Frothonis adiectas imperio nunciabat. Quem mox Frotho deuictarum ab eo gencium regem constituit, ac 20 preterea Helsingiam ei cum utraque Lappia, Finniam quoque et Estiam annuo stipendiorum iure contribuit. Nemo ante ipsum Sueticorum regum Erici nomine censebatur; ab ipso autem in ceteros uocabulum fluxit.

Eodem tempore regnabat Alf in Hethmarchia, filium 25 habens Asmundum, Biorno uero in Wik prouincia, cui Asuitus filius erat. Accidit autem, Asmundum, parum prospere uenacioni intentum, dum feras aut canibus occupare aut cassibus excipere pergeret, irruente forte caligine longius a reciariis auiio fuisse calle diuulsum, hastaque 30 pererrantem iuga tandem, || equo et uestibus destitutum, fungos et tubera peredisce; ad ultimum in Biornonis regis penetralia fortuito deuenisse progressu. Preterea ipse filiusque regis, conuictu paulisper habito, ad confirmandum inter se amicicie cultum omnibus coniurauere uotis, quem- 35 40 cunque eorum | uita prolixior excepisset, mortuo contu-

mulandum fore. Tantus enim societatis eorum atque amicicie uigor exstabat, ut neuter, altero fatis absumpto, lucem prorogare statueret.

Post hec Frotho, omnium subiectarum sibi gencium
 5 manu contracta, classe Noruagiam petit, Erico terrenum
 agmen ductare iusso. Humane siquidem cupiditatis more,
 quo plura possederat, plus affectans, eciam uastissimam
 atque horridissimam orbis terrarum partem ab hoc iniurie
 genere intentatam existere passus non est. Adeo opum
 10 accessio auditati incrementum afferre consueuit. Igitur
 Noruagienses, abiecta defensionis spe, rebellandi fiducia
 defecti, in Halogie fines maiore ex parte profugere ceperunt.
 Stikla quoque uirgo seruande castitatis causa patrie
 se subduxit, bellis quam nupciis exerceri preoptans.

15 Inter hec Asuitus morbo consumptus, cum cane ac
 equo terreno mandatur antro. Cum quo Asmundus ob
 amicicie iusiurandum uiuus contumulari sustinuit, cibo, quo
 uesceretur, illato. Iamque Ericus, cum exercitu superiora
 permensus, Asuiti forte tumulum appetebat; cui Sueones
 20 thesauros inesse rati, ligonibus perfregere collem. Itaque
 maioris, quam credebatur, altitudinis specum aperiri con-
 spiciunt. Ad quem perlustrandum opus erat eo, qui se in
 illum pendulo circumligatum fune demitteret. Delectus
 est sorte ex promptissimis inuenibus unus; quem cum
 25 Asmundus sporta restim sequente intromissum aspiceret,
 protinus, eiecto eo, corbem condescendit. Deinde superne
 astantibus ac moderantibus funem, abstrahendi signum
 porrexit. Qui, ingentis pecunie spe reducto corbe, cum
 ignotam extracti speciem animaduerterent, inusitata facie
 30 territi, defunctumque redisse rati, projecta reste in diuersa
 fugere. Quippe Asmundus tetro oris habitu ac ueluti
 funebri quodam tabo obsitus uidebatur. Qui fugientes
 reuocare conatus, uociferari cepit, falso eos formidare uiuum.
 Quem uidens Ericus, precipue cruentati oris eius imaginem
 35 mirabatur. In uultu siquidem profluus *emicabat sanguis.
 Quippe Asuitus, noctibus rediniuus, crebra collectacione
 leuam illi aurem abruperat, fedumque indigeste ac crude
 cicatricis spectaculum apparebat. Igitur a circumstantibus
 accepti uulneris causam referre iussus, sic orsus est fari:

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis?
 Obsolescit nempe uiuus omnis inter mortuos.
 Mala soli, grauis uni manet omnis domus orbis.
 Miseri, quos hominum subsidiis destituit fors.
 Mihi specus et iners nox, tenebreque et uetus antrum
 Oculis delicias eripuerunt animoque;
 Humus horrens, tumulus putris, et immundiciarum
 Grauis estus minuerunt iuuenilis decus oris,
 Habitumque et ualidi roboris usum uiciarunt.
 Super hee omnia contra exanimem conserui uim,
 Graue lucte subiens pondus et immane perie[u]lum.
 Laceris unguibus in me rediuius ruit Asuit,
 Stygia ui reparans post cineres horrida bella.

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis?
 Obsolescit nempe uiuus omnis inter mortuos.

Nescio quo Stygii numinis ausu
 Missus ab inferis spiritus Asuit
 Seuis alipedem dentibus edit,
 Infandoque canem prebuit ori.
 Nec contentus equi uel canis esu,
 Mox in me rapidos transtulit ungues,
 Diseissaque gena sustulit aurem.
 Hinc laceri uultus horret imago.
 Emicat inque fero uulnere sanguis.
 Haud impune tamen monstrifer egit;
 Nam ferro secui mox caput eius,
 Perfodique noeens stipite corpus.

p. 246

(92)

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis?
 Obsolescit nempe uiuus omnis inter mortuos.

Iamque Frotho in Halogie fines emouerat classem,
 ubi ad cognoscendam multitudinis sue speciem, que numeri
 mensuram capacitatemque transcendere uidebatur, colle
 a militibus congeri iubet, uiritim lapide in aceruum misso.
 Eundem quoque hostis numerandi agminis modum secutus
 est. Conspicui adhuc colles fidem uisentibus prebent. Hic
 Frotho, conserta cum Noruagiensibus pugna, grauem cedi-

bus diem egit. Noctu utrinque receptui consultum est. Appetente diluculo terrestria permensus superuenit Ericus. Hic regi certamen suggesterit iterandum. Quo bello tanta de Danis strages accepta est, ut e ternis nauium milibus 5 sole centum septuaginta superstites fuisse credantur. Normanni uero tam uasta clade deleti sunt, ut fama sit, ne quinte quidem uicorum parti remansisse cultorem.

Victor Frotho, pacem per omnes gentes reficere cupiens, ut unius cuiusque rem familiarem a furum incursu 10 tutam prestaret, oculumque regnis post arma *adsereret*, armillam unam in rupe, quam Frothonis petram nominant, alteram apud Wig prouinciam, habita cum Noruagiensibus concione, defixit, edicte a se innocencie experimentum daturas, subductis iisdem, in omnes regioⁿis presides 15 animaduertendum minatus. Itaque summo cum prefectorum periculo aurum absque custodia mediis affixum triuiss magnum auaricie irritamentum exstabat, opportuna rapine preda plena cupiditatis ingenia prouocante. Statuit idem, ut nauigantes repertis ubicunque remis liceat fruerentur. 20 Amnem uero transituris usum equi, quem uado proximum reperissent, liberum esse concessit. Eodem descendendum fore constituit, cum priores eius pedes solum attingerent, postremos adhuc unda sublueret. Talium siquidem commodorum beneficia pocius humanitatis quam iniurie nomine 25 censenda credebat. Ceterum reum capitis fieri, qui superato amne equi usum longius expetere presumpsisset, instituit. Iussit eciam, ne quis edem uel arcum seris obfirmatam haberet, aut rem ullam claustrorum custodia contineret, triplicem amissorum restitucionem promittens. Pre- 30 terea tantum alieni cibi in commeatus assumi fas esse, quantum uni cene sufficeret, promulgabat. Quam siquis in capiendo mensuram excederet, furto obnoxius haberetur. Furi uero trajectis ferro nernis in suspendium acto, lupum collateralem affigi precepit, ut maliciam hominis acerbitatim 35 belue similitudo exequaret pene. Eandem quoque in furorum consciros mulctam extendi curauit. Ibidem septennio iocundissimum ocii tempus emensus, filium Aluonem filiamque Ofuram nomine procreauit.

Iisdem forte diebus Arngrimus, pugil Sueicus, Frotho- 40 nem accesserat, qui Scalc Scanicum, quod ab eo olim nauigio

p. 247

L.

p. 248

spoliatus fuerat, ex prouocatione lacescitum occidit. Quo facinore supra modum elatus, aggressus est Frothonis filiam postulare. Obseratas regis aures expertus, Erici Suetiam regentis subsidium flagitat. Quem Ericus hortari cepit, ut aliquo preclarri operis merito Frothonis sibi fauorem ascisceret, pugnaretque aduersum Egtherum, regem Biarmie, et Thengillum, regem Finnimarchie, quod ii soli, ceteris obsequentibus, Danicum detrectare uiderentur imperium. Nec mora, eo exercitum egit. Sunt autem Finni ultimi Septentrionis populi, uix quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac mansione complexi. Acer iisdem telorum est usus. Non alia gens promptiore iaculandi pericia fruitur. Grandibus et latis sagittis dimicant. Incantacionum studiis incubunt; uenacionibus callent. Incerta illis habitacio est, uagaque domus, ubiunque feram occupauerint, locantibus sedes. Pandis trabibus uecti, conferta niuibus iuga percurrunt. Hos | Arngimus conciliande sibi claritatis causa adortus obtruit. Qui cum infeliciter dimicando fuga dilaberentur, tribus lapillis post tergumi coniectis, totidem moncium instar hostibus apparere fecerunt. Igitur Arngimus, ludificati uisus errore perstrictus, ab insectando hoste exercitum reuocauit, magnarum se rupium interiectu choercitum putans. Idem postera die congressi uictique coniecte in terram niui ingentis fluuii speciem indiderunt. Itaque Suetis, per summum uisus errorum falsa rerum opinione delusis, inusitata aquarum moles obstrepere uidebatur. Ita, uictore uanam aquarum imaginem formidante, fugam impetravere Finni. Tercio identidem die reparauere bellum; nec iam amplius ullum fuge efficax remedium fuit. Videntes enim, suas inclinari acies, potestati se permisere uictoris. Quibus Arngimus hanc tributi legem instituit, ut, recensito Finnorum numero, rheda ferinis pellibus conferta ab unaquaque decade, loco census, exacto triennio, penderetur. Deinde Egtherum, Biarmie ducem, duello prouocatum deuicit, indiditque condicionem Biarmis uiritim pellem pro capite persoluendi. Post hec spoliis tropheisque auctus, ad Ericum reuertitur. Quem Ericus in Daniam consecutus, multam iuuensis laudem Frothonis auribus instillabat, dignum regis filia affirmans, qui imperio ipsius ultimos humanarum rerum terminos adiecerisset. Cuius

(93)

p. 249

egregia Frotho merita contemplatus, haud incongruum duxit, eius se sacerum exhibere, qui sibi tantis operum titulis patentem late claritatem struxisset.

Sustulit *autem Arngrimus XII. ex Ofura filios, quorum 5 hec nomina subnotauit: Brander, Biarbi, Brodder, Hiarrandi, Tander, Tiruingar, duo Haddingi, Hiorthuar, Hiarthuuar, Rani, Angantir. Hi ab adolescencia piratico muneri incumbentes, uno omnes forte nauigio Sampso insulam aduecti, duas in maritimis naues Hialmeri atque Aruaroddi pirata- 10 rum reperiunt; quas pugna adorti, remigibus uacuefecere, atque, an gubernatores oppressissent, incerti, interfectorum corpora suis queque transtris aptantes, quesitos abesse cognoscunt. Qua de re mesti, partam floccipendere ui- 15 citoriam, scientes, sibi consequentis pugne discrimen maiore salutis impendio subeundum. Quippe Hialmerus atque Aruaroddus, quorum iampridem, abrupto gubernaculo, 20 tempestas nauiglia lacerauerat, alterius excidendi gracia nemus ingressi, ligni rudem extenuauere materiam, eo usque truncum dolabris ambientes, donec naualis instru- 25 menti formam uastum robur indueret. Quod cum humeris impositum socie cladis ignari deferrent, ab Ofure filiis, recenti oppressorum cruento madentibus, laccessiti, duo cum pluribus ferro decernere coacti sunt. Nec par quidem congressus exstabat, cum geminam bissena manus exciperet. 30 Ceterum uictoria numero non respondit. Interfectis enim omnibus Ofure filiis, oppressoque ab hisdem Hialmero, uictorie Aruaroddum titulus non fefellit, quem solum ex tanto sociorum agmine fortuna residuum fecit. Qui informem adhuc gubernaculi truncum incredibili libratum nisu tanta ui hostium adegit corporibus, ut duodecim unico eius impulsu contusos elideret. Ita, cuncta ad modum bellicarum rerum tempestate depulsa, Oceanum manus adhuc piratica non reliquit.

Que res maxime Frothonem ad Occidentem armis 35 incessendum adduxit, cuius unicum in propaganda pace studium uersabatur. Accersito ergo Erico, cunctaque famulancium sibi regnorum classe concita, Britanniam || innumera aduehitur puppi. Cuius insule rex, manu se im- parem noscens (quippe fretum nauigiis uidebatur ocludi) 40 Frothone per dedicionis simulacionem petito, non solum

p. 25
Lb

p. 25

(94)

magnitudinem eius adulacionis officio prosequi cepit, sed eciam domitoribus gencium Danis suam patriaque subiec-
cionem promittit; pensiones, censum, uectigalia, siue quic-
quid expeterent, offerebat. Ad ultimum hospitaliter in-
5 uitandos curat. Grata Frothoni Britanni humanitas fuit,
quanquam doli suspicionem aleret tam facilis omnium
absque coaecione promissio, tam prompta hostium ante
bella dedicio, que raro syncera fide amministrari solet.
Lacessebat quoque conuiuii metus, ueritos, ne elandestinis
10 insidiis appeteretur subeuntis erapule laqueis implicata
sobrietas. Ceterum rarior inuitatorum numerus uidebatur,
quam ut tuto inuitanti parere possent. Ineptum quoque
existimatum, inexperte hostium fidei credere salutem suam.
Qua rex mencium fluctuacione comperta, denuo Frothonem
15 accedit, cum duobus milibus ac quadringentis uiris epu-
laturum accersens, quem ante cum mille ducentis proceri-
bus conuiuium inire poposcerat. Frotho, nondum suspicione
deposita, quanquam adacto inuitatorum numero fretus,
petendi conuiuii fiduciam mente presumere posset, subornat,
20 qui regionis abdita percurrentes, siquid insidiarum specu-
lando deprehenderent, ocius intimandum curarent. Cuius
rei causa nemus ingressi, reperta castrorum acie, que
Britannorum copias attinebat, dubium pressere gressum.
At ubi res liquidius agnita est, pedem referre deproperant.
25 Furua siquidem tentoria fuere et quasi piceis quibusdam
obscurata tegminibus, quo minus obtutum propinquantis
offenderent. Quo cognito, Frotho ualidiore procerum
manu mutuas dispensat insidias, ne, conuiuio incaucius
adito, opportunis fraudaretur auxiliis. Quibus latebram
30 nactis, ferende opis signum ad litui sonitum prenotauit.
Deinde cum statuta manu, leui armorum genere culta,
conuiuium petit. Aula erat cultu magnificencie regalis
instructa, auleis ostro tinctis undique secus obducta, in
quibus mirifici luxus operam annotares. Cortina murice
35 picta compactos ligno parietes adornabat. Constrata pallis
nitidioribus pauimenta,* quas pede premere perhorreret.
Superne cerneres erebras micare lucernas, adultas oleo
lampades choruscare. Ex acerris quoque fragrancia funde-
batur, quam suauissimus uapor exquisitis eumulabat odo-
40 ribus. Ambitum omnem frequentibus epulis mense con-

p. 252

Lla

sepserant. Intextis auro puluinaribus ornabantur accubitus. Ceruicalibus sedilia replebantur. Reuerendam aule faciem uisentibus arridere putares, nec quicquam in tanto | paratu aut uisu inconcinnum aut olfactu triste deprendi poterat.

5 Media dolium ede perstabat explendis aptum poculis et liquoris immodi capax, unde haurire esset, quod ingentis ora conuiuui saciaret. Ministri purpura culti aureos gestantes cyathos propinandique munus comiter exequentes, compositis gradiebantur ordinibus. Nec bubalinorum cornuum,

10 quibus pocio promeretur, usus aberat. Aureis cena pateris refulgebat, nitidioribus onusta poculis, que plerunque fulgentes interstinxerant gemme. Ingens omnia luxus repleuerat. Mense dapibus luxuriabant, crateris uario pocionis genere redundantibus. Nec meri simplex usus

15 exstabat, cum petiti late succi uario nectar sapore conficerent. Sapidioribus lances epulis renidebant, quas maxime uenatica referserat preda. Sed ne domesticce quidem carnis obsonia deerant. Parcius domesticis quam conuenis bibendi studium erat. Hos enim securitas incitabat ad

20 crapulam, illis insidiarum commentum ebrietatis illecebram dempserat. Dani igitur (ut patrie pace loquar) siccandis certatim calicibus assueti, ingenti se onerauere uino. Quos Britanni potos ad modum conspicati, conuiuio furtim elabi ceperunt, relicisque intra aulam conuiuis, summis

25 conniti uiribus ualunas regie admotis ob*cibus* uariisque impedimentorum generibus obserare, deinde tectis ignem inferre orsi. At Dani, qui intra edem clausi continebantur, incendio pullulante, pulsatis nequicquam foribus, ab egressu prohibiti, ipsum mox adorti parietem, eruptionis facultatem petebant. Quem Angli ualidiore Danorum impulsu labefactari cernentes, mutuis obniti uiribus molibusque extrinsecus applicatis nutabundam fulcire congeriem institerunt, quo minus conuulsus paries clausis exitum aperiret. Qui tandem robustiori Danorum manui

30 cedens, quorum, quo periculum maius, hoc ualidior conatus exstabat, facilem pres|sis erupcionem contribuit. Tum Frotho classicum succinere iubet, quo manum in insidiis constitutam accersiret. Que litui sono clangentis excita, dolum in auctores retorsit, Britannorum rege extreme cladi

35 40 cum innumeris suorum copiis tradito. Quo facto geminum

p. 253

(95)

p. 254

Frothoni beneficium prebuit, cum et saluti sociis et hostibus exicio fuerit.

Interea Hiberni, crebrecente Danice fortitudinis fama, perculsi, quo difficiliorem parcum suarum irruptionem 5 prestarent, ferreos terre murices instrauerunt, quibus littorum uetaretur accessus. Vtitur autem Hibernorum gens leui et parabili armatura. Nouaculis comam extenuat; totum occipicium crinem abradit, ne fugiens capillio teneatur. Ceterum telorum cuspides obuerit instantibus, mueronum 10 que acumina insequentibus de industria opponere assolet, ac plerunque post tergum lanceas iaculari, doccior fuga superare, quam bello. Quo fit, ut, cum uictoriam tibi cessisse putes, discrimen immineat. Tam insidiosam hostium fugam Frotho consideracius quam cupidius insectatus, 15 ducem gentis Keruillum acie fudit. Cuius superstes frater, deposita rebellandi fiducia, patriam dedidit regi. Captiuam rex predam militi dispergiuit, uti se, tocius auaricie expertem et a nimia rerum cupiditate auersum, solius glorie lucrum appetere testaretur.

Itaque post Britannicos triumphos Hibernasque manus in Daniam redditum est, annisque tricens ab omni bellorum negocio temperatum est. Quo tempore cunctis pene terris eximia fortitudinis laude Danicum nomen inclaruit.* Volens itaque Frotho fulgorem imperii sui perpetuo firmitatis habitu prorogare, primum aduersum furta ac latrociniua tanquam familiaria mala ac | domesticas pestes seueritatem suam distingere cure habuit, quibus uacuefacte gentes tranquilliorem uite usum apprehenderent, ne propagate pacis incessus ullo malignitatis obstaculo ledetur. Prouidit quoque, ne, cessante hoste, ciuilis patriam lues exederet, aut post exteram pacem domestica grassaretur improbitas. Denique in Iutia, tanquam in capite regni sui, magni ponderis auream armillam triuiss affigi curauit, edicte a se innocencie experimentum tam insignis prede 35 documento daturus. Cuius irritamentum quanquam improbas lacesseret mentes ac sinistra sollicitaret ingenia, superabat tamen indubitatus periculi metus. Tanta siquidem Frothoniane maiestatis auctoritas erat, ut eciam aurum rapine expositum perinde ac firmioribus claustris obsitum 40 tueretur. Cuius rei nouitas ingentem auctori claritatem

LIB

p. 255

conciuit. Qui cum patratis late cedibus insignes ubique uictorias edidisset, ocium omnibus erogare constituit, ut pacis iocunditas bellorum atrocitati succederet, et cladis finis salutis inicium foret. Sed et omnium opes ob hoc 5 maxime edicti munimento uallandas curauit, ne domi raptorem inuenirent, que foris hostibus caruissent.

Per idem tempus publice salutis auctor mundum potendo seruandorum mortalium gracia mortalitatis habitatum amplecti sustinuit, cum iam terre, sotiris bellorum 10 incendiis, serenissimo tranquillitatis ocio fruerentur. Creditum est, tam profuse pacis amplitudinem ubique equalem nec ullis orbis partibus interruptam non adeo terreno principatui, quam diuino ortui famulatam fuisse, celitusque gestum, ut inusitatum temporis beneficium presentem tem- 15 porum testaretur auctorem.

Inter hec matrona quedam magice rei perita, plus spei in arte sua, || quam metus in regis seuicia reponens, filium petende furtim prede cupiditate sollicitat, impunitatem promittens, quod Frotho fato prope modum con- 20 finis exstaret, occiduo corpore egras senilis anime reliquias trahens. Quo materno hortatui periculi magnitudinem opponente, melius eum sperare iubet, aut maritimam bouem fetum edituram aut alium quempiam casum ulcioni repugnaturum affirmans. Qua uoce solutum metu filium 25 hortamento obsequi coegit. Quo facto Frotho perinde ac contumelia lacesitus, ad diripiendos matrone penates maximo impetu studioque contendit, premissis, qui eam cum liberis comprehensam adducerent. Quod presciens femina, ludificatis prestigio hostibus, femineam speciem 30 equina permutandam curauit. Accidente uero Frothone, maritime bouis figuram complexa, pastum in littore uagabunda petere uidebatur; filios quoque tanquam minores corpore uitulos adumbrabat. Cuius monstri rex ammiracione captus, circuiri ipsos redditumque eis ad undas negari 35 iubet. Denique uehiculo, quo ob annosi corporis inualitudinem utebatur, excedens, humi mirabundus consedit. At mater, que maioris belue speciem sumpserat, pretento cornu regem adorta, alterum eius latus confudit. Quo uulnere exanimatus, indebitum tante maiestati exitum 40 habuit. Cuius mortem milites ulcione prosequi gestientes,

petita iaculis portenta configunt. Quibus interemptis, animaduertunt humana cadauera ferinis capitibus predita. Ea res maxime prestigium detexit. Hic Frothonis, toto orbe clarissimi regis, excessus fuit. Huius, egestis uisceribus,
 5 sal[!]itum corpus triennio proceres asseruandum curabant, prouinciarum defeccionem uulgato regis exitu formidantes, mortemque eius ob hoc maxime clam exteris esse cupientes, ut uite simulacione propagati iam pridem imperii terminos tuerentur, pristinaque ducis auctoritate subnixi, consuetam
 10 a subiectis pensionem elicerent. Deportabatur itaque ab eis exanimum corpus, ut iam non funebri lecto, sed regali uehiculo gestari uide|retur, tanquam inualido seni nec satis uirium compoti id muneris a milite deberetur. Tantum magnificencie eciam extincto ab amicis tributum est. At
 15 ubi putidos artus extrema corripuit sanies,* nec tabes reprimi poterat, secus Weram, Sialandie pontem, regio fuere tumulauere corpus, affirmantes, Frothonem eo loci mortis ac busti copiam exoptasse, ubi regni cius prestantissima haberetur prouincia.

p. 257

LII^a

EXPLICITVS EST LIBER QVINTVS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIE DANICE
LIBER SEXTVS.

Defuncto Frothone, Dani Fridleuum, qui apud
5 Rusciam educabatur, falso extinctum rati, cum iam regnum
heredis inopia claudicare nec in regia gente continuari
posse uideretur, hunc sceptro dignissimum arbitrati sunt,
qui illustrandi Frothonis gracia recenti eius tumulo plen-
num laudis carmen affigeret, famamque extincti regis
10 specioso posteris titulo commendaret. Tunc quidam Hiar-
nus, Danice ad modum poesis peritus, ut claritatem uiri
insigni dictorum monumento prosequeretur, premii magni-
tudine concitatus, more suo barbarum condidit metrum.
Cuius intellectum quatuor uersiculis editum in hec uerba
15 transcripsi:

Frothonem Dani, quem longum uiuere uellent,
Per sua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus
Ethere sub liquido nuda recondit humus.

20 Quo carmine edito, auctorem Dani diademate mune-
rati sunt. Ita ab eis epitaphium regno repensum imperii-
que pondus paucarum literarum contextui donatum est.
Adeo exili impendio ingens premium stetit. Eximium
exigui poematis precium famam quoque Cesariane retribu-
25 cionis excessit. Diuus siquidem Iulius uictoriarum suarum
toto orbe editorum scriptorem illustratoremque municipio
donare contentus extitit. Nunc uero rusticano regnum
prodiga plebis humanitas erogauit. Sed ne Africanus

quidem in rependendis operum suorum monumentis munificencia Danos equauit. Illic enim elucubrati uoluminis merces auro simplici stetit, hic agresti sceptrum incondita uersuum paucitas ministravit.

- 5 Eodem tempore Ericus, qui Suethie prefecturam gerebat, morbo examinatus est. Cuius filius Haldanus, paterna procuracione functus, cum XII. fratribus Noruagie oriundorum crebris congressibus terreretur, nec oppressioni uindicta suppeteret, spe capessende opis Fridleui, tunc
 10 Ruscie consistentis, copiam profugio petiuit. Quem supplici uultu aggressus, seque ab externo hoste confractum ac contusum deplorans, tristem iniuriarum querimoniam afferebat. Per quem Fridleuuus accepto paterne mortis nuncio, supplicem auxiliis prosecutus, Noruagiam armis in-
 15 structus accedit. Quo tempore predicti fratres, deficien-
 tibus a se sociis, intra insulam rapidissimo ambitam fluio prealtum moliti uallum, terrestrem in plano munitionem extenderant; cuius receptaculo freti, crebra uicinos irrup-
 cione lasscerant. Excedentes enim insula, continentem
 20 extracto ponte petere consueuerant, quem porte munitionis annexum ita quodam funicularum regimine moderari solebant, ut, quasi uolubili aliquo cardine circumiectus, modo trans flumen iter sterneret, modo occulto restium ductu superne retractus ianue de*seruiret. Fuere autem
 25 iuuenes hi acres animis, robusti iuuenta, prestabiles habitu corporis, giganteis clari triumphis, tropheis gencium cele-
 bres, spoliis locupletes. Quorundam uero ex ipsis nomina (nam cetera uetustas abstulit) subnotauit: Gerbiorn, Guuiborn, Armbiorn, Stenbiorn, Esbiorn, Thorbiorn, et Biorn.
 30 Hic equum habuisse traditur prestantem corpore, prepetem uelocitate, adeo ut, ceteris amnem traicere nequeuntibus, hic solus obstrepentem indefessus uorticem superaret. Cuius aque lapsus tam incito ac precipiti uolumine defer-
 35 tur, ut animalia nandi uigore defecta plerunque pessunda-
 re soleat. Ex summis enim moncium cacuminibus manans, dum per cliuorum prerupta saxis exceptus eliditur, in profunda uallum multiplicato aquarum strepitu cadit; uerum continuo saxorum obstaculo répercussus, celeritatem impetus eadem sémpre equabilitate conseruat. Itaque toto
 40 aluei tractu, undis uniformiter turbidatis, spumeus ubique

p. 260

LII^b

candor exuberat. At ubi scopulorum angustiis euolutus laxius stagnando diffunditur, ex obiecta rupe insulam fingit. Preruptum hinc inde iugum eminet, uariis arborum generibus frequens, quarum obiectus amnem eminus peruerteri non sinat. Preterea Biornoni inusitate ferocitatis canis exstabat, horrende quidem acerbatis belua atque humano conuictui formidolosa, que sepius bissenos sola viros oppresserit. Sed quoniam tradita magis quam cognita referuntur, fidem arbiter penset. Hec siquidem, ut accepi, deliciarum quondam 10 loco habita, Offoti gigantis inter pascua tuebatur armentum.

At iuuenes latrocino uiciniam incessere soliti, magnas sepe strages edebant. Populari penates, armenta sternere, diripere omnia, ingentem agere predam, spoliatas rebus edes exurere, mares passim cum feminis obtruncare, probitatis loco curatum est. Quorum improvidam Fridleuuus^{p.} irruptionem excipiens, omnes ad munimentum refugos egit, occupato eximiarum uirium equo, quem preceps metu sessor, maturande fuge gracia, citra amnem relictum pontem secum traiicere non audebat. Deinde si quis fratum 20 illorum quempiam interemisset, interfecti corpus auro se repensurum edixit. Qua spe quidam regiorum pugilum incitati, nec tam auaricie, quam uirtutis ardore correpti, conuento tacite Fridleuo, operam se facinori datus promittunt, salutem ad modum deuouentes, ni trunca pre-25 donum capita retulissent. Quorum Fridleuuus uirtute et promissione laudata, arbitris expectare iussis, solo contentus comite noctu fluum petit. Ne enim alienis quam propriis uiribus instruccior uideretur, auxilium uirtute precurrere statuit. Post hec comitem crebro contusum silice 30 exanimauit, iniecitque exangue undis corpus; cui eciam detractum sibi cultum applicuit, eiusdem exuuias mutuatus, ut intuito cadauere periclitacionis regie species daretur. Iumentum quoque, quod eum uexerat, elicto de industria cruce conspersit, eodem castra repetente necis sue fidem 35 facturus. Deinde calcaribus subditis mediis equum uorticibus adegit, eoque, superato amne, delapsus, pretentum munimento uallum per subiectas aggeri scalas transcendere conabatur. At ubi superne euectus propugnacula manu complecti poterat, illato tacite pede, edem, quam commessa bundi predones insederant, ignaris uigilibus, leui |

suspensaque uestigio petit. Cuius conlaue nactus, sub
 imminentे foribns testudine consistebat. Iuuenes siquidem
 a munimenti firmitate profecta securitas ad crapulam pro-
 uocabat, arbitrantes, incitatissimi lapsus fluuium inacces-
 sum fecisse presidium, qui nec nando traiici nec ratibus
 superari posse uideretur. Neque enim ulla amnis pars
 peruiam uadi copiam dabat. Tum Biorno, coniuiali hil-
 laritate suffusus, egressam undis beluam per quietem sibi
 conspectam affirmat, que tristes ore flamas egerens, con-
 tinenti cuncta incendio daret. Quamobrem indagandam in-
 sule latebram esse, *<ne>* adeo [*nec*]* locorum habitui confiden-
 dum, ut nimia securitatis presumpcione extrema incautis
 pernicies afferatur. Nihil enim ita situ munitum esse,
 cui, si humana desit opera, simplex nature tutela sufficiat.
 15 Preterea summopere cauendum, ne somni sui denuncia-
 cionem tristior cladis euentus excipiat. Igitur omnes
 munimentis egressi tociusque insule ambitum curiosius
 speculati, reperto caballo, Fridleuum fluualibus aquis ob-
 rutum coniectabant. Equum uero, precipitato sessore
 20 transasse rati, perinde ac regie mortis nuncium portis gra-
 tulanter excipiunt. At Biorno, nocturnarum adhuc imaginum
 memoria territus, excubiis utendum hortatur, quod periculi su-
 spicionem nondum tuto deposituri uiderentur. Ipse deinde
 capiente quietis gracia cubiculum petit, uisionem mente alcius
 25 repositam habens. Inter hec equus, quem Fridleuuus ob-
 uulgandam interitus sui fidem intercutis tantum cruxis
 effusione resperserat, militum eius castra maculosus irrupit.
 Qui illico amnem petentes, repertum serui cadauer regium
 existimauere corpus, quod nitida ueste cultum stridulus
 30 ripe uortex adegerat. Quorum maxime errorem conuer-
 berati corporis turgor adiuuit, cum lacerata contusaque
 silicibus cutis informes oris notas exangui pallore confun-
 deret. Hujus rei indignacione permoti pugiles, qui Fridleuo
 nuper delendorum predonum curam spoenderant, prerup-
 35 tum aque periculum accedebant, ne promissionis gloriam
 timidiore uoti negligencia respurgere uiderentur. Quorum
 ceteri fiduciam imitati, pari cupidine fluuium petunt, ni
 regem ulciscerentur, extrema passuri. Quibus uisis, Frid-
 leuuus pontem continentis committere properauit, receptisque
 40 pugilibus, prima uigiles irrupcione prosternit. Residuos

p. 262

LXXXI

p. 263

quoque consequenter adortus, Biornone excepto, ferro consumpsit. Quem impensioni curacione e uulneribus recreatum, sub sacre obtestacionis pignore, collegam adciuit, operaque eius uti, quam exicio gloriari sacius duxit. In 5 dignum quoque asserebat, tante fortitudinis florem prima pubertate decerptum intempestiuia nimis clade consumi.

Dani uero, Fridleuum aduentantem experti, cuius iampridem obitum falso didicerant nuncio, missis, qui eum accerserent, Hiarnonem regno cedere iubent, quod ipsum 10 precario ac perfuntorie gerere uideretur. Qui tanto honore defungi non passus, spiritum pro gloria erogare, quam in obscuram uulgi sortem concedere preoptauit. Quamobrem, ne regiis honoribus exutus pristinum fortune habitum recipere cogeretur, presentem armis tueri constituit. Itaque 15 diuidua regio preruptis consternacionis motibus agebatur. Alii siquidem ab Hiarnonis partibus stabant, alii Fridleui titulis ob egregia Frothonis merita astipulati sunt, herebatque uulgi discors suffragium, his presencium habitum, illis preteritorum memoriam uenerantibus. Preponderauit tamen 20 Frothoniane recordacionis intuitus, eiusque suauitas maiores Fridleuo fauoris partem conciliauit. Plerique enim, quibus alior sensus exstabat, rustice condicionis hominem, quamquam ad insperatum rerum culmen preter generis ius solo fortune beneficio peruenisset, regno submouendum censebant, ne uerum honoris heredem adulterinus possessor elideret. Fridleus uero Danorum legatos redire iubet, Hiarnonem aut regnum deponere aut acie secum configere rogaturos. At Hiarno lucis auditatem honori anteferre salutemque glorie dispendio querere morte tristius ratus, 25 dum bello Fridleuum excipit, in Iutiam obtritus au fugit; uictoremque denuo reparata manu aggressus, haustis ferro sociis, fugam absque comite habuit, quam insula, uocabulum ex eius nuncupacione sortita, testatur. Igitur humiliorem animo fortunam expertus, cum se gemina strage omnibus 30 prope modum copiis exutum uideret, traecto in dolum studio, obscurato oris habitu Fridleuum accedit, ipsum quesitis per familiaritatem insidiis necaturus. A quo *susceptus, aliquandiu seruicij simulacione propositum occultabat. Siquidem decoquendi salis opificem professus, inter 35 sordidioris ministerii famulos ignobilia exequebatur officia.

Cibi quoque capiendi tempore discubitu ultimus existere solebat. Preterea balneis abstinebat, ne nudato corpore crebris uulnerum uestigiis proderetur. Quo rex absoluende suspicionis gracia lauari compulso, ut hostem ex cicatricibus cognouit, Ago, inquit, improbissime latro; qualiter in me consulturus fores, si interficiendi tui cupidum liquido comperisses? Ad hec stupefactus Hiarno, Ex prouocacione p. 265 te, ait, deprehensum aggrederer, quo maiore demende criminacionis copia potireris. Quem | mox Fridleus sententie sue exemplo prouocatum oppressit, tumulo cadauer obruens interfeci uocabulum referente.

Qui post modum a suis, propagande sobolis gracia, coniugio sibi consulere monitus, celibem prestare uitam paterno contendebat exemplo, quod Frothoni coniugis petulancia graue probrum affixerit. Ad ultimum, perseuerantissimis omnium precibus uictus, per legatos aggressus est Noruagie regis Amundi filiam postulare. Quorum unus, Frœco nomine, fluctibus inter nauigandum absumptus, inusitatum moriens prodigium dedit. Quippe ubi illum confluus undarum estus implicuit, sanguis medio enatus gurgite ita totam ponti faciem peregrino quodam rubore perfudit, ut spumeum paulo ante pelagus procellisque albidum mox puniceis fluctibus intumescens alienum a natura sua colorem induere uideretur. Amundus uero, regie petitionis inexorabiliter uota frustratus, legatis indecencius habitis, tyrannidem Frothonis olim Noruagie grauius imminentem causam spernende legacionis asseruit. Frogertha uero (filia hec Amundi erat) non modo Fridleui genus intuita, sed eciam factorum claritudinem uenerata, conuicio patrem insequi cepit, quod generum habere spreuisset, cuius consummata nobilitas nec uirtute deficeret nec sanguine claudicaret. || Adiecit quoque, prodigiale illam maris faciem, undis repente in sanguinem uersis, quid aliud quam Noruagice eladis interpretet, Danice uero uictorie liquidum extitisse portentum? Quam cum Fridleus iterate legacionis officio postularet, perseuerancia repulsam uincere cupiens, indignatus Amundus, rem a se semel negatam pertinacius flagitari, raptis ad necem legatis, improbi petitoris studio crudelius obuiandum curauit. Cuius iniurie Fridleus famam expertus, Haldano ac Biornone

(100)

ad citis, Noruagiam nauigacione complectitur. | Contra p. 266
 Amundus, patrio instructus presidio, obuiam exerit classem.
 Frœcasund appellant sinum, in quem classis utraque coierat.
 Vbi Fridleus, noctu speculandi gracia castris egressus,
 5 cum inusitatum quendam icti aeris sonum comminus perce-
 pisset, fixo gradu suspiciens, trium olorum superne clan-
 gencium hoc aure carmen exceptit:

Dum mare uertit Hythin rabidosque intersecat estus,
 Auro uerna bibt et lactea pocla ligurit.
 10 Optima condicio serui, cui rege creatus
 Obsequitur, temere mutatis sortibus, heres.

Denique post ipsas alitum uoces lapsum ab alto
 cingulum literas carminis interpretes preferebat. Regis
 quippe Thialamarchie *(Hythin nomine)* filium, pueriliter
 15 obliduentem, gigas *[Hythin nomine]*, usitatum | mortalium
 habitum mutuatus, abduxerat, eoque usus remige, cimba in
 proximum littus traiecta, Fridleum, tunc forte speculacionis
 officio fungentem, nauigio preteribat. Quem rex captiui
 adolescentis opera uti non passus, preda raptorem exuere
 20 gestiebat. Aduersum quem adolescens primum acriori
 inuectionis genere utendum esse premonuit, facilius oppu-
 gnandum promittens, dum ante cynico fuisse carmine
 laccessitus. Tunc Fridleus sic orsus:

Cum sis gigas tricorpor inuictissimus, LXXXI
 25 Tuoque celum pene exeques uertice,
 Cur hoc ridendus ensis femen obligat?
 Latusque grande curta cingit framea?
 Quid forte pectus ense munis debili,
 Habitusque corporalis instar negligis,
 30 Sice breuis paruo fretus gestamine?
 Iam iam tuum frustrabor audax impetum,
 Ferro retuso molientem prelia.
 Meticulosa cum sis ipse belua,
 Molesque digno destituta robore,
 35 Vmbre fugacis more preceps tolleris,
 Spectabili clareoque nactus corpore
 Imbelli pectus et pauore lubricum,

p. 267

LXXXII

p. 268

Membrisque summe dissidentem spiritum.
 Ex hoc tue compago nutat fabrice,
 Cum forma felix strage mentis claudicet,
 Suisque sit natura discor(s) partibus.
 5 Te laudis ex hoc munus omne deseret,
 Nec forcium clarus loco censeberis,
 Obscura computandus inter agmina.

Quo dicto, gigantem pede manuque curtatum, liberato
 captiuo, coegit in fugam. Cuius consequenter promontorium
 10 petens, egestam antro pecuniam asportauit. Quibus spoliis
 ouans eruptique adolescentis in traiicioendo mari nauigacione
 usus, hoc alaci carmen uoce subtexuit:

Sanguine suffusos enses ferrumque cruore
 Puniceum rapidi uersauimus in nece monstri,
 15 Dum te, Noruagice cladis moderator Amunde,
 Excipit alta quies; quem cum sine lumine mentis (101)
 Nox ignara premat, uirtus dilapsa fefellit.
 At nos defunctum membris opibusque gigantem
 Contudimus, uastique chaos penetrauimus antri.
 20 Illic congestum raptu uiolauimus aurum.
 Et iam fluctuagum tonsis cueriuinus equor,
 Confertamque ratem spoliis ad littus ouantes
 Remigio reduces agimus; percurrimus undas
 Permensore maris carabo; sulcemus alacres
 25 Hoc pelagus, ne nos hosti lux obuia prodat.
 Ergo leues totoque manus conamine nisi
 Rimemur mare, castra prius classeisque petentes,
 Quam roseum liquidis Titan caput exerat undis,
 Vt, cum rem rumor uulgauerit, atque Frogertha
 30 Nouerit egregio partam conamine predam,
 Blandior in nostrum moueat precordia uotum.

Die postera Fridleuo aduersus Amundum magno
 copiarum concursu cruentum incidit bellum, quod partim
 terrestri, partim maritimo certamine gerebatur. Nam et
 35 in* campis acies explicabantur et classi nihilominus bellator LIII^b
 incesserat. Cumque res plurimo sanguinis impendio gere-
 retur, Biorno denum, inclinata suorum acie, solutum nexibus

molossum concitauit in hostem, quam ferro obtinere non poterat, canino morsu uictoram adepturus. Que res aduersariis probrosam peperit stragem, cum forcium phalanx mordicus lacessita profugeret. Quorum fuga tristior an 5 turpior fuerit, nescias. Erubescendus siquidem Normannorum exercitus erat, quem hostis opem a belua mutuatus obtruit. Nec fraudi Fridleuo fuit labentem militum uirtutem canino reparare presidio. Occidit hoc bello Amundus. Cuius assecla Ano, cognomento sagittarius, Fridleuum ad 10 secum dimicandum hortatus, a Biornone, sequioris ordinis uiro, regeni cum plebeio congregati prohibente, lacessitur. Cumque Biorno, sinuato arcu, neruo sagittam aptaret, subito emissum ab Anone spiculum corde summa transfixit. Cuius altera mox sagitta comes mediis digitorum 15 condulis impacta successit. His tercia superueniens in applicatam neruo sagittam incidit. Ano quippe, promptissima sagittandi opera eminus utens, de industria gestamentum hostis offenderat, ut, idem in ipsum sibi licere demonstrans, pugilem a proposito reuocaret. Biorno uero, 20 nihil ob hoc animi minuens, spreto corporis periculo, constanti mente et uultu discriminem iniit, ita ut nec Anonis quicquam ingenio deferre neque ex consueta aliquid fortitudine deponere uideretur. Itaque nulla ex parte proposito disturbatus, intrepidus duello se credidit. Quo cun 25 eterque saucius excessisset, aliud item apud Agdarnes mutua laudis emulacione gesserunt.

Interfecto Amundo, Fridleuuus, acerrimo hoste liberatus summumque et securum ocium nactus, ferocissimum ingenuum suum uoluptati cedere coegit, trajectoque in Venerem 30 studio, classem instaurat, negatas olim nupecias petiturus. Denique nauigacionem ingressus, cum, defecta uentis classe, uicos alimenta petiturus irrumperet, a Grubbo quodam hospitaliter habitus, tandemque filie eius connubio potitus, Olauum uocabulo filium procreauit. Interiecto quoque 35 tempore Frøgertham adeptus, dum patriam parum prospera nauigacione repeteret, ignote insule littoribus appulsus, thesaurum humi conclusum effodere custodemque eius draconem, uitandi ueneni gracia, bouino tergore tectus appetere cuiusdam per quietem conspecti monitu[m] perdonatur, intentumque scuto corium uenenatis dencium morsi-

p. 270

p. 271

bus obiectare precipitur. Igitur experiende uisionis causa
 anguem undis emergentem adortus, diu in squameum latus
 irrita tela coniecit; quippe || spiculorum impulsum crust[r]ata
 corporis duricies frustrabatur. Ipse uero coluber, crebras
 5 ad modum spiras agitans, orbiculato caude flexu tactas
 obiter arbores stirpitus euertebat. Ceterum, crebro corporis
 tractu cauata ad solidum humo, preruptum hinc inde latus
 effecerat, ut quibusdam in locis aduersos colles media ualle
 sequestrari conspicimus. Igitur Fridle|uus, inuicta belue
 10 suprema considerans, ima gladio tentat, perfossaque inguinis
 parte saniem palpitantis elicuit. Qua extincta, pecuniam
 hypogeo erutam nauigiis deportandam curauit.
p. 272

Euoluto anno, Biornonem atque Anonem, sepius ex
 prouocacione congressos, maxima cura in graciam reduxit
 15 amiciciisque odia mutare compulit; quibus eciam filium
 Olauum, tres annos natum, nutricandum concessit. Pellicem
 uero Iuritham, eandemque Olaui matrem, recepto in
 commilicium Anoni matrimonio copulauit, equiori animo
 repudium laturam existimans, si tanto pugile maritata, pro
 20 regio strenuum sortiretur amplexum.

Mos erat antiquis super futuris liberorum euentibus
 Parcarum oracula consultare. Quo ritu Fridleuns Olaui
 filii fortunam exploraturus, nuncupatis solenniter uotis,
 deorum edes precabundus accedit, ubi, introspecto sacello,
 25 ternas sedes totidem nymphis occupari cognoscit. Quarum
 prima, indulgencioris animi, liberalem puero formam
 uberemque humani fauoris copiam erogabat. Eidem secunda
 beneficij loco liberalitatis excellenciam condonauit. Tercia
 uero, proteruioris ingenii *inuidenciorisque studii femina,
 30 sororum indulgenciem aspernata consensum ideoque
 earum donis officere cupiens, futuris pueri moribus pars-
 monie crimen affixit. Ita aliarum beneficiis tristioris for-
 tune ueneno corruptis, accidit, ut Olauo pro gemina
 munerum ratione permixta liberalitati parcitas tribueret
 35 cognomentum. Quo euenit, ut prioris indulgence suauitatem
 inserta beneficio nota confunderet.

Cumque regressus Noruagia Fridleus iter per Sue-
 tiam haberet, ultro legati partibus assumptis, celibi adhuc
 Haldano Hythini filiam, quam monstro quondam exemerat,
 40 impetravit. Interea coniunx eius Frogertha Frothonem

enixa est, ab eximia | mutuantem largitate cognomen. p. 273
 Itaque Frotho ob auite felicitatis memoriam, quam suo
 nomine referebat, ab incunabulis primisque infancie rudi-
 mentis adeo cunctis carus euasit, ut ne humi quidem in-
 5 cedere aut consistere toleratus, sinu ingiter atque osculis
 foueretur. Ita non uni modo pedagogo addictus, sed quasi
 communis omnium alumnus exstabat. Defuncto uero patre,
 cum duodecimum etatis annum ageret, Saxonie regulos,
 Suertingum et Haneum, imperium detectantes ac palam
 10 rebellare connisos, acie superauit, deuictisque gentibus
 seruitutis nomine pendendi pro capite nummi mulctam
 infixit. Adeo namque liberalis extitit, ut recenti largitatis
 consuetudine prisca milicie stipendia duplicaret. Neque
 15 enim se tyrannorum more communibus uiciorum illecebris
 obiiciebat, sed quicquid honestati proximum peruidebat,
 ardenter appetere, opes in propatulo habere, ceteros lar-
 giendo precurrere, omnes humanitatis officiis anteuenire et,
 quod difficillimum est, uirtute inuidiam uincere contendebat.
 Cuius rei gracia breui tantam apud omnes claritatem con-
 20 traxit, ut adolescentulus non modo fama maiorum titulos
 exequaret, sed eciam uetustissima regum monumenta trans-
 scenderet.

Iisdem temporibus Starcatherus quidam, Storuerki
 filius, periclitatis naufragio sociis, solus ui aut fortuna de-
 25 lapsus, ob incredibilem corporis animique prestanciam ho-
 spes a Frothone colligitur. Cuius cum aliquandiu contu-
 bernalem egisset, in dies culcius ac decencius habitus,
 tandem specioso donatus nauigio, maritimas excubias pro-
 curando piraticum munus agitare precipitur. Siquidem ex-
 30 cellencius humano habitu corpus a natura sortitus, ita id
 animi magnitudine equabat, ut nulli mortalium uirtute
 cedere putaretur. Cuius tam late patens claritas fuit, ut
 adhuc quoque celeberrima factorum || eius ac nominis opinio
 perseueret. Neque enim solum apud nostros egregiis ope-
 35 rum titulis choruscabat, uerum eciam apud omnes Sueonum
 Saxonumque prouincias speciosissima sibi monumenta pe-
 pererat. Hunc in ea regione, que Sueciam ab oriente
 complectitur, quamque nunc Estonum aliarumque gencium
 numerosa barbaries latis sedibus tenet, originem duxisse,
 40 memorie proditum constat. Fabulosa autem et uulgaris

opinio quedam super ipsius ortu rationi inconsentanea atque a ueri fide penitus aliena confinxit. Tradunt enim quidam, quod a gigantibus editus monstrosi generis habitum inusitata manuum numerositate prodiderit, asserunt-
5 que, Thor deum quatuor ex his, affluentis nature uicio procreat, elisis neruorum compagibus auulsisse, atque ab integritate corporis prodigiales digitorum eruisse complexus, ita ut, duabus tantum relictis, corpus, quod ante in gigantee granditatis statum effluxerat eiusque formam
10 informi membrorum multitudine representabat, post modum meliore castigatum simulacro breuitatis humane mōdulo caperetur.

Olim enim quidam magice artis imbuti, Thor uidelicet et Othinus aliique complures miranda prestigiorum ma-
15 chinacione callentes, obtentis simplicium animis, diuinitatis sibi fastigium arrogare ceperunt. Quippe Noruagiam, Suetiam ac Daniam, uanissime credulitatis laqueis circum- uentas, ad cultus sibi pendendi studium concitantes, pre-
cipuo ludificationis sue contagio resperserunt. Adeo namque
20 fallacie eorum effectus percrebuit, ut in ipsis ceteri quandam numinum potentiam uenerantes, eosque deos uel deorum complices autumantes,* ueneficiorum auctoribus solennia nota dependerent, et errori sacrilego respectum sacris debitum exhiberent. Quo euenit, ut legitima feriarum
25 series | apud nos eorundem nominibus censeatur, cum ipsis Latinorum ueteres siue a deorum suorum uocabulis siue a septeno planetarum numero nuncupacionem singulatim adaptasse noscantur. Eos tamen, qui a nostris colebantur,
non esse, quos Romanorum uetustissimi Iouem Mercurium-
30 que dixere, uel quibus Grecia Latiumque plenum superstitionis obsequium exsulerunt, ex ipsa liquido feriarum appellacionē colligitur. Ea enim, que apud nostros Thor uel Othini dies dicitur, apud illos Icuis uel Mercurii feria nuncupatur. Si ergo Thor Iouem, Othinum Mercurium,
35 iuxta designate interpretationis distincionem accipimus, manente nostrorum assercione, Iouem Mercurii filium extitisse conuincitur, apud quos Thor Othino genitus uulgari sentencia perhibetur. Cum ergo Latini contrario opinionis tenore Mercurium Ioue editum asseuerent, restat, ut, con-
40 stante eorum affirmacione, Thor alium quam Iouem, Othi-

IVb

p. 275

num quoque Mercurio senciamus extitisse diuersum. Sunt qui dicant, deos, quos nostri coluere, cum iis, quos Grecia uel Latium celebrabat, solum participasse uocabulum, sed istos tanquam maiestate suppares ab illis cultum cum nomine mutuatos fuisse. Et hec super Danice uetustatis numinibus disseruisse sufficiat. Que ideo paulisper a me in commune deducta sunt, ut legentibus liquidum fiat, quibus patria nostra ritibus pagana superstitione paruerit. Nunc propositi diuertieulum repetam.

10 Tradunt ueteres, Starcatherum, cuius supra memini, p. 276
in Wicari, Noruagiensium regis, iugulo deorum fauori facinorum suorum principia dedicasse; cuius rei tenor tali quorundam assereione contexitur. Volens quondam Othinus Wicarum funesto interire suppicio, cum id aperte
15 exequi nollet, Starcatherum, inusitata prius granditate conspicuum, non solum animi fortitudine, sed eciā condendorum earminum pericia illustrauit, quo prouinciore eius opera ad peragendum regis excium uteretur. Hanc quippe eum dignacioni sue graciam relaturum sperabat.
20 Quem eciā ob hoc ternis etatis humane curriculis donauit, ut in his totidem execrabilium operum auctor euaderet. Adeo illi consequente flagicio uite || tempora proroganda constituit. Qui mox Wicarum adiens inque eius aliquandiu contubernio diuersatus, insidias obsequio texit. Tandem
25 piraticum cum eo opus ingreditur. Cumque quodam in loco diutina tempestatum seuicia uexarentur, ita uentis nauigacionem frustrantibus, ut maiorem anni partem quieti tribuerent, deos humano sanguine propiciando duxerunt. Itaque coniectis in urnam sortibus, regie necis uictimam
30 deposci contigit. Tunc Starcatherus facto ex uiminibus laqueo regem implicuit, pene speciem duntaxat exiguo temporis momento daturum. Sed nodi rigor, suum ius
35 exequens, supremum pendentis halitum rapuit. Cui Starcatherus adhuc palpitanti ferro spiritus reliquias euulsit, cumque remedium afferre deberet, perfidiam detexit. Neque enim illa michi recensenda uidetur opinio, que uiminum molliciem, subitis solidatam complexibus, ferrei morem laquei peregisse commemorat. Deinde, capto Wi-
40 cari nauigio, Bemonum quendam, cunctis Danie piratis uirtute prestantem, maritimum predonem gesturus

(104)

p. 277

Have a great day!

For renewals call 416-978-8450

Please retain this receipt

Due Date: 17/11/2005, 23:59

Item: *Saxoni Grammatici Gestorum Danorum*

Due Date: 17/11/2005, 23:59

History of Saxon Grammaticus

Item: The first nine books of the Danish

02:49 pm

20/10/05

CheckOut Receipt

University of Toronto Robarts

nomine, piratici
terposita pecunie
Starcatherus ac
cebant, ut num-
ur, ne precipuum
uiribus elideretur.
e quoque tyranni-
menibus armis
nusitati acuminis
rimere nequirent
e plantas humus
ridasset. Sed ne
hostibus efficax
Rutenorum ope-
ligneum pedi*bus
aculeos innocui
e quatuor dispers-
t, in qua me unque
unetanter pedum
te nemorum den-
principem Floe-
is eiecere. Quo
unus quidem ex-
classem repeteret.
rus ab athletis
lurima apud eos
fines ingre-
tus, ab his tan-
titulit, quod apud
tus, effeminatos
lausus ac mollia
et, | quam remo-

LVI*

p. 278

p. 279

tum a lasciuia animum habuerit, qui ne eius quidem
spectator esse sustinuit. Adeo uirtus luxui resistit. Ita-
que cum Hacone classem in Hiberniam extulit, ne uel
ultima rerum humanarum imperia Danicis armis intacta
consisterent. Ea tempestate rex insule Hugletus exstabat.
Qui cum frequens opibus erarium haberet, adeo tamen
auaricie obnoxius extitit, ut, datis aliquando calceis, quos
studiosi manus commendasset opificis, ligamenta detraheret,

submotisque loco suo corrigiis, donum ad iniuriam transferret. Cuius rei deformitate tantum muneri criminis afferebat, ut odium pro gracia percipere uideretur. Itaque neminem ex honestis liberalitate prosequi solitus, circa 5 mimos ac ioculatores munificencie studiis uti consuevit. Oportebat namque, ut turpis turpibus commercia familiaritatis impenderet, et uiciorum tabo obsitus culpe socios blandimentorum lenocinio demulceret. Fuere tamen ei spectate uirtutis proceres, Gegathus et Suibdauus, qui 10 inter effeminatorum consorcia, ueluti gemme stercoribus insite, conspicuo militarium operum fulgore pollebant. Itaque soli regiarum opum defensores exstabant. Igitur prelio inter Hugletum et Haconem cepto, mimorum grecos, quibus instabilitatem corporum leuitas peperit 15 animorum, trepidis aciem soluere decursibus, tantaque regis beneficia sola fuge deformitate pensarunt. Tunc Gegathus et Suibdauus, soli tot hostium milibus obiecti, incredibili bellum uirtute gesserunt, ut non duorum modo militum, sed uniuersi agminis partes agere uiderentur. 20 Sed et Gegathus Haconem sibi pertinacius imminentem tanto pectoris uulnere affecit, ut iocinoris suprema deterget. Illic Starcatherus, dum ferro Gegathum petit, acerbissimum capite uulnus exceptit; unde post modum in quodam carmine, non alias tristiorum sibi plagam inci- 25 disse, perhibuit, quod, licet discussi capitum partes exteriore pellis ambitu necterentur, latens tamen in uulnere liuor clausum putredinis contagium occultabat. Victor occiso- que Hugleto, sed et Hiberniensibus in fugam actis, Star- catherus, quoscunque ex histrionibus capcioni casus 30 obtulit, cedendos *(uirgis)* | curauit, sacius ratus in seurrarum agmen cuticule damno ridiculum dictare supplicium, quam pena capitum funestum impetrare discrimin. Ita iocularis ministerii sordideque condicionis cateruam probroso ani- maduersionis genere insecurus, obsceno uerberum ludibrio 35 mulctare contentus extitit. Tum Dani apud urbem Dufflinam regias opes erario egestas publico raptu conueli iusserunt. Tante siquidem magnitudinis pecunia reperta fuerat, ut minor particionis cura cunctis existeret.

Post hec Starcatherus ad inhibendam Orientalium 40 defecionem una cum Wino, Scelauorum principe, delegatur.

Qui simul aduersum Curetum, Semborum, Sangalorum
 omniu[m]que postremo Orientalium exercitus preliati, claras
 late uictorias edidere. Eximie opinionis gladiator, nomine
 Wisinnus, apud Rusciam rupem, que Anafial dicitur, sede
 et mansione complexus, uicinas longinquasque prouincias
 omni iniurie genere uexauit. Hic omnem telorum aciem
 ad hebetudinis habitum solo conspectu redigere solebat.*
 Quamobrem tantam uiribus eius audaciam peperit exclusus
 uulnerum metus, ut eciam illustrium uirorum coniuges
 10 maritis spectantibus raptas ad stuprum pertraheret. Cuius
 sceleris Starcatherus rumore excitus, tollendi auctoris
 gracia Rusciam petit. Qui quoniam nihil expugnatu[m]
 difficile habuit, petitum ex prouocacione Wisinnum eciam artis
 sue beneficio spoliatum opprescit. Ferrum quippe, ne prestigia-
 15 tori conspicuum foret, tenui ad modum pelle contexit; neque
 Wisinno aut prestigii uirtus aut uirium magnitudo,
 quo minus Starcathero cederet, auxilio fuit. Deinde apud
 Bizantium inuicta opinionis gigantem, Tannam nomine,
 corporis uiribus fretus collectando deuicit, ignotasque terra-
 20 rum partes proscripti titulo petere coegit. Igitur cum
 nulla fortune seuicia uires eius uictoria fraudare potuisset,
 Polonie partes aggressus, athletam, quem nostri Wasce,
 Teutones uero diuerso literarum schemate Wilzce nominant,
 duelli certamine superauit.
 25 Interea Saxones defecionem moliri idque maxime
 in animo habere ceperunt, qualiter inuictum bello Frothonem
 preter publici conflictus morem opprimerent. Quod
 optime duello gerendum rati, mittunt, qui regem ex pro-
 uocacione lacesserent, scientes, eum discrimen omne prompta-
 30 semper mente complecti, animique eius magnitudinem nulli
 prorsus exhortacioni cessuram. Quem tunc temporis ma-
 xime adoriendum putabant, cum Starcatherum, cuius
 plerisque formidolosa uirtus exstabat, negociosum abesse
 cognoscerent. Cunctante uero Frothone seque cum amicis
 35 super dando responso collocuturum dicente, superuenit
 Starcatherus, piratica iam regressus; qui ex hoc maxime
 prouocationis habitum reprehendit, quod diceret, regibus
 non nisi in compares arma congruere, eademque aduersum
 populares capienda non esse; per se uero, tanquam ob-
 40 seuriore loco natum, pugnam reccius amministrandam

LVI_b

p. 281

existere. Igitur Sal^xxones Hamam, qui apud eos gymnicis palmis clarissimus habebatur, multis aggressi pollicitacionibus, si duello operam commodaret, molem corporis eius auro se repensuros esse promittunt, illectumque pecunia p²⁸
 5 pu|gilem ad campum conflictui deputatum militaris pompe tripudio prosequuntur. Hinc Dani Starcatherum, regis sui partes exequaturum, ad certaminis locum milicie insignibus ornati perducunt. Quem Hama, etate marcidum, iucente fiducia despiciatus, defunctum uiribus senem lucta quam
 10 armis excipere preoptauit. Eundem adortus terre nutabundum adegerat, ni fortuna, que uinci uetulum non sinebat, iniurie restitisset. Ita enim impellentis Hame pugno obrutus memoratur, ut genibus nixus humum mento contingret. Quam corporis nutacionem egregia ulcione pen-
 15 sauit. Nam ubi resuscitato poplite manum expedire ferrumque distingere licuit, medium Hame corpus dissecut. Complures agri sexagenaque mancipia uictorie premium extitere. In Saxones uero post Hame cedem adeo Danorum iusoleuit imperium, ut pro cubitalium membrorum
 20 quolibet indicem seruitutis stipem quotannis pendere cogerentur. Quod egre ferens Hanef, bellum demende pensionis cupidine cum animo uolutabat. Cumque pertinax amor patrie mentem in dies oppressorum miseracione perfunderet, spiritum pro libertate ciuium erogare cupiens,
 25 rebellionis studium patefecit. Quem Frotho, traiectis per Albiam copiis, apud uicum Hanofra, taliter ab eo nuncupatum, occidit. Snertingus uero, quanquam non minus ciuium afflictione moueretur, dissimulato patrie malo, peruicaciori quam Hanef ingenio libertatis propositum agi-
 tabat. Quod quidem studium, dubitari solet, uirtuti an uicio proprius fuerit. Ego uero plane id sceleris arguo, quod insidiosa defecctionis cupiditas edidit. Nam etsi patrie libertatem querere perutile uidebatur, ad hanc tamen dolo ac prodicione contendere non licobat. Cum ergo
 35 Suertingi facinus plane ab honesto de(s)ciuerit, ne utile id quidem extitisse constabit. Nam* speciosius est aperte, quem uelis, incessere odiumque in propatulo exercere, quam adulterina familiaritate ueram nocendi cupidinem obscurare. Sed quicquid scelere paritur, gloria uacuum
 40 est, breuesque et occiduos fructus habet. Nam sicut lubri-

(106)
LV
p. 2

cus animus est, qui fallendi supercilium clandestinis artibus tegit, ita, quicquid dolo affine est, fluxum ac fragile esse conuenit. Plerunque enim crimen in auctorem recidere cognitum est; quod et Suertingo euenisce, fama comper-
 5 tum habetur. Qui cum conuiuui simulacione exceptum regem incendio consumere statuisset, ab eodem occupatus, tametsi ipsum mutuo peremisset, occiditur. Quo euenit, ut alterius seelus amborum interitus foret. Itaque etsi dolus in hostem efficax fuerit, auctorem tamen impunitatis
 10 presidio non donauit.

Frothoni filius Ingellus succedit. Cuius transuersus ab honesto animus, relictis maiorum exemplis, totum se petulantissimi luxus illecebris mancipauit. Igitur a bouo rectoque discolor, uiciaque pro uirtute complexus, discisis continencie neruis intermissisque regie maiestatis officiis, sordidum luxurie mancipium euasit. Sane, quicquid compositis moribus obuium aut inconcinnum erat, excoluit. Paterna auitaque decora fedissimarum libidinum assuetudine polluebat; clarissimos maiorum titulos improbissimis
 20 obscurobat operibus. Adeo namque libidini uentris obnoxius erat, ut nec patris ultorem agere nec hostium iniurias propulsare gestiret, nihilque, dum gule pareret, modeste ac continenter habendum putaret. Egregium stemma ocio inerciaque corrupit, fluxamque ac uoluptariam
 25 uitam degens, degenerem spiritum atque a parentum uestigiis obliquo longe calle distortum in obscenissimas feditatum uoragine precipitare gaudebat. Fartores, lixas, frigoria, gule multiplices officinas, uariosque torrende aut condiente dapis artifices legere claritatis loco duebat.
 30 Arma uero, miliciam, bella, nec ipse quidem usu disere nec alios exercicio celebrare sustinuit. Ita abiecto niri studio, femineum emulatus est, quem in omnem culine nidorem irrestrictus pallati pruritus accenderat. Semper
 35 crapulam proflans, cunctisque sobrietatis partibus exutus, indigestam uentris saniem fetido oris anhelitu ructabatur. Nec minus luxuria fedus quam Frotho milicia clarus ex-
 stabat. Adeo deliciis *(a)nim[i]um* intempestiuia gule corruptela molliuerat. Cuius intemperancie fastidio Starcathe-
 40 rus ad deserendam Ingelli familiaritatem adductus, petitio
P: 234
(107)

tulit. Adeo ne nimie quidem luxurie assensor esse sustinuit. Filii uero Suertingi, ueriti, ne Ingello penas paterni facinoris darent, sororem ei in matrimonium contulerunt, uelacionem beneficio precursuri. Ex qua filios susceptos 5 Frothonem, Fridleum, Ingellum atque Olauum (quem quidam ipsius sorore editum asseuerant[er]) *an(t)iquitas* perhibet.

Cuius sororem Helgam quidam auri opifex obscure stirpis, blandiciis compositus ac uariis instructus munusculis, 10 quibus | muliebris maxime cupiditas capit, in mutuas faces amatoria comitate pertraxerat. Quippe post obitum regis, non existentibus, qui paterna in prole merita colerent, custodie inops tutoribusque defecta fuerat. Quod cum Starcatherus ex assidua uiatorum relacione cognosceret, 15 impunitum fabri luxum preterire non sustinens, (quippe ut memorem beneficiorum cultorem, ita promptum insolencie uindicem agere consueuerat) tam inusitate presumptionis audaciam ultum ire deproperat, orphane alumne uetusta Frothonis merita repensurus. Denique, peragrata Suetia, 20 fabri penates ingressus, uicinum limini locum occupat, pilleolo *(caput)*, ne proderetur, obscurante. Quem* faber, non satis doctus, uili interdum amiculo ualidas subesse manus, obiurgatum ede ocius excedere iubet, inter egenum gregem ultimis escarum reliquiis potitum. At 25 senex, ab inolita sibi moderacione pacientiam mutuatus, nihilominus ibidem acquiescere paulatimque petulanciam hospitis experiri studebat. Procursum namque furoris superior impetu racio refrenabat. Tum faber, aperta puellam procacitate aggressus, in eius forte sinum iactauerat corpus, capitis comam uirgineis manibus offerens depectendam. Exerto quoque lumbari, operam eius demen- 30 dis pulicibus expetebat, extorsitque, ut splendidissime familie femina pollentes amenitate digitos sordidissimis femoralibus inserere non erubesceret. Deinde credita uoluptatis licen- 35 cia interiori ipsius toge prurientes inferre palmas instabilesque manus pectori proprius admouere sustinuit. At illa, noti quandam senis intuitu curiosiore presenciam capiens, concepto pudore, libidinose contrectacionis petulanciam spreuit, | manusque reppulit impudicas; quin eciam 40 armis opus habendum edocens, lasciuiori lusu desistendum

hortatur. Quo uiso Starcatherus, qui propter fores pilleo
 caput obscurante consederat, iam tantum hauserat ire, ut
 ulterius cohibende manus inpaciens, deposito uelamine
 dextram distringendo iniiceret ferro. Tum faber, qui nil
⁵ nisi lascium nouerat, improviso fluctuans metu, ubi rem
 ad manus peruenisse cognouit, abiecta defensionis spe, in
 fuga unicum necessitatis presidium circunspexit. Itaque
 tam foribus, quarum hostis aditum tuebatur, erumpere
¹⁰ arduum erat, quam intra penates percussorem opperiri
 graue. Tandem obstrictus necessitate animus finem cun-
 ctacioni posuit, censuitque, certo atque euidenti periculo
 appetibilius esse diserimen, cui uel modica salutis spes
 subesse poterat. Fugam quoque, quanquam periculi affi-
¹⁵ nitate prearduam, tamen, quia ministra opis salutique
 propior uidebatur, appeciit, moram, que tanquam expers
 subsidii malum ineuitabilisque iacture capax uidebatur,
 abiiciens. Sed dum limen occupat, a presidente foribus
 sene medias cesus nates, lapso seminecis uestigio concidit.
²⁰ Quippe percussor magnopere cauendum duxerat, ne claris-
 simas manus turpissimi einiflonis exicio commodaret, im-
 improbi amoris faces grauius ignominia quam morte muleta-
 tas existimans. Ita a quibusdam calamitosus extincto
 punicior existimatur. Quo effectum est, ut puella parentum
²⁵ officiis defecta eruditissimam moribus feminam ageret, in-
 que semet ipsam quasi seduli tutoris officium exerceceret. Cumque Starcatherus circumspectam undique familiam re-
 centi hospitis iactura indoluisse cognosceret, ignominiam
 saucii inueccius exaggerandam curauit, insultandoque sic
 cepit:

³⁰ Vnde stupet taciturna domus? Que causa dolorem
 Integrat, aut ubi nunc uxorius ille quiescit,
 Nuper ob indignum ferro mulctatus amorem?
 Numquid adhuc fastum luxumque reseruat inertem,
 Aut tenet inceptum primaque libidine feruet?
³⁵ Extrahat alternis mecum sermonibus horam,
 Hesternumque odium uerbis componat amicis.
 Lecior emergat facies, nec plangor in ede
 Personet, aut mestos sinat obtorpescere uultus.
 Scire uolens, quis uirgineo flagraret amore,

(108)

p. 287

- Dilecteque michi facibus premeretur alumne,
 Pilleolum sumpsi, ne noto proderer ore;
 Cum faber ille procax lasciuis gressibus intrat,
 Hac illaque agitans instructo femina gestu,
 Nec minus ad uarios intendens lumina nutus;
 Castorio cui tegmen erat chlamys obsita limbo,
 Instrate gemmis crepide, toga culcior auro.
 Splendida nexuerant tortum redimicula crinem,
 Et uaricata uagum stringebat uitte capillum.
- Hinc adoleuit iners aniini tumor ingeniumque,
 Diuicias genus esse putans, aut era parentes,
 Fortunamque magis opibus quam sanguine pensans;
 Hinc subiit fastus, habitumque superbia traxit.
 Nam miser ob cultum magni⟨s⟩ se credere cepit
 Ingenuisque parem ciniflo, qui pellibus auras
 Venatur, crebroque ciet spiramina tractu;
 Qui digitis cineres uerrit, qui sepe reductis
 Aera folliculis captat, tenuique flabello
 Spiramenta creat torpentesque excitat ignes.
- Inde puellare gremium petit, appositusque,
 Virgo, inquit, michi pecte comam, tactu[s]que salaces
 Comprensa pulices, et, quo cutis uritur, aufer.
 Hinc residens auro sudancia brachia pandit,
 Puluino annixus tereti cubitoque reclinis,
- Ornatum iactare uolens, ceu belua latrans
 Explicat obtorte contracta uolumina caude.
 Illa mei noscens compescere cepit amantem,
 Lasciuasque fugare manus, meque esse professa,
 Parce, precor, digitis, inquit, stimulumque chooreens,
 Contiguum ualuis uetulum placare memento.
- In luctum recidet lusus. Starcherus adesse
 Creditur, et lento, quid agas, disquirit ocello.
 Cui faber: Imbellem noli pallescere coruum,
 Pannosumque senem; numquam ualidissimus ille,
 Quem metuīs, tam uulgato uilesccere cultu
 Sustinuit. Gaudet nitido uir fortis amictu,
 Et uestem pro mente petit. Tunc tegmine dempto,
 Eripui ferrum, fabrique pudenda fugacis
 Persecui; patuere nates et ab osse resecte
 Viscera nudabant. Surgo mox; atque puelle

LVIII

p. 28.

p. 2

- Ora premens pugno, contusa nare cruem
 Elicio; tunc labra malis assueta cachinnis
 Sanguine permixto lachrymis maduere, luitque
 Stultus amor, quicquid blandis commisit ocellis.
 5 Luserit infelix, que ceca libidine fertur
 More furentis eque, sepelitque cupidine formam.
 Gentibus externisrecio uenire mereris,
 Digna mola, ni te falso probet insimulatam
 Elicitus mammis cruer, expurgetque reatum
 10 Vber inops lactis. At ego te criminis huius
 Arbitror immunem, sed noli suspicionis
 Ferre notas, aut te falsis permittere linguis,
 Et male carpendum populo prestare loquaci.
 Rumor obest multis, nocuitque infamia mendax.
 15 Fallitur exiguo uulgaris opinio dicto.
 Defer auis, uenerare patres, memor esto parentum,
 Et proauos metire tuos; stet gloria carni.
 Quis furor incessit? quod te, faber improbe, fatum
 Impulit ingenuam tentare cupidine stirpem?
 20 Aut quis te, uirgo, claris dignissima fulcris,
 Egit in obscuram Venerem. Dic, quo potes ausu
 Os cinerem redolens roseis gustare labellis,
 Vel fedas carbone manus in pectore ferre,
 Ac lateri sociare tuo uersancia prunas
 25 Brachia, et assidua duratas forcipe palmas
 Sinceris adhibere genis, sparsumque fauilla
 Complecti caput, et nitidis mandare lacertis?
 Quanta sit in cunctis, memini, distancia fabris,
 Ictus ab his quondam. Nomen quippe omnibus unum
 30 Officii commune manet, sed pectora subsunt
 Ingeniis discreta suis. Me iudice prestant,
 Qui gladios et tela uiris ad prelia eundunt,
 Ingenioque animos produnt, et corda rigore
 Officii signant, ausumque labore fatentur.
 35 Sunt et nonnulli quibus es caua testula promit,
 Diuersas fuso species imitantibus auro,
 Qui torrent uenas recoquuntque metalla; sed ipsis
 Mollius ingenium finxit natura, manusque,
 Eximia quas arte dedit, formidine pressit.
 40 Tales sepe dolo, dum flatilis eliquat ardor

(109)

LVIII^b

p. 200

Es teste immissum, subdueunt aurea massis
Crustula, furtuum concha siciente metallum.

His dictis Starcatherus non minorem ex uoce, quam
opere uoluptatem sortitus, Haldanum repetit, eiusque mili-
5 ciam proxima familiaritate complexus, numquam bellorum
exercicio abstitit, ita ut abstractum deliciis animum con-
tinua armorum intencione torqueret.

Fuere autem Ingello sorores Helga et Asa, ex quibus
Helga thoris ad modum matura, Asa uero annis minor
10 connubioque inhabilis erat. Tunc Helgo Noruagiensis,
postulande Helge cupidine concitatus, nauem conscendit.
Ceterum nauigacionem tanto instruxerat luxu, ut exculto-
rum auro uelorum apparatu uteretur, que eciam inauratis
malis subnixa, purpureis restibus tenebantur. Venienti
15 Ingellus uotum impetrandum promittit, si modo oblatis
pugiles ad testandam opinionis sue experientiam pugna
sustinere presumeret. Nec condicione permotus Helgo,
quam libentissime se pacto operam daturum, respondit.
Itaque solenni sponsaliūm titulo future || copule paccio
20 consecratur. Per idem tempus apud insulam Sialandiam*
nouem ducis cuiusdam filios inoleuisse memorie proditum
est, apprime uiribus et audacia preditos, quorum maximus
Angaterus exstabat. Qui cum eiusdem puelle competitorem
ageret, negatasque sibi nupcias Helgoni promissas uideret,
25 palestrica illum prouocacione sollicitat, ferro molestiam
propulsurus. Approbat Helgo propositas pugne partes, et
nupciarum die dimicandi tempus amborum uotis condicitur.
Confundebatur enim apud omnes, quisquis certamen ad
dimicandum prouocatus abnueret. Quamobrem Helgonem
30 hinc detrectande pugne rubor, inde gerende metus angebat.
Siquidem preter commune prouocationis ius impari manu
se laccessitum credebat, quod solus aduersum nouem pu-
gnam spoondisse uideretur. Hec uoluentem sponsa auxilio
opus habiturum docet, hortaturque, pugna abstineat, qua
35 nihil preter mortem aut ignominiam petiturus uideatur,
presertim cum eorum, aduersum quos dimicaturus esset,
numerum nulla diffinicionis certitudine clausisset; quam-
obrem periculo parcat, Starcatherumque apud Sueones
agentem saluti consulturus exposcat, qui indigentibus ad-

p. 291

(110)

LIX^a

esse et tristes plerunque casus felici interuentu redimere soleat. Gratuiⁿ Helgoni consilium fuit. Qui cum, paruulo comitatu sumpto, Suetiam ingressus, ad nobilissimam eius | urbem Vpsalam peruenisset, ingressu abstiens premit^t,
 5 qui Starcatherum salutacionis officio pretentatum ad Frothonis filie nupcias inuitaret. Qua comitate Starcatherus perinde ac iniuria lacessitus, acrius inspectum iuuenem tam inepite legacionis penas daturum respondit, nisi carissimi sui Frothonis mencionem mandatis insertam haberet, quod
 10 se scurre uel parasiti more laucioris alimonie gracia ad alienae culine nidorem decurrere solitum existimauerit. Quod postquam Helgo ex satellite cognouit, regiam ingressus, Frothonis filie titulo consalutatum senem condicte ex prouocacione pugne socium depositⁱ, cui ob hoc se
 15 minus sufficere dixit, quod conflicture secum partis numerum condiccionis modus incertum reliquerit. Quem Starcatherus, loco certaminis ac tempore cognito, non solum supplicem recepit, uerum eciam auxiliⁱ promissione firmatum Daniam cum comitibus repetere iussit, affirmans, se eius aditum
 20 occulto callis compendio quesitum. Quo discedente, interiectis diebus profeccionem orsus, si fame credi fas est, uelocitate gressus tantum locorum diali itinero emensus proditur, quantum precedentes diebus duodecim per agrasse dicuntur, ita *(ut)* utrique fortuito uestigiorum con-
 25 cursu uno eodemque tempore destinatos Ingelli penates attingerent. Vbi cum Starcatherus ministrorum more mensas conuiui*[i]*s obsitas preteriret, prememorati .IX. plenis deformitatis gestibus toruos ore fremitus dantes ac more scenico decursantes, in pugnam se mutua adhortacione
 30 firmabant. Sunt qui eos uenienti athlete seu ienitum canum exemplo oblatrasse perhibeant. Quibus Starcatherus increpatis, quod adulterino oris habitu ridiculam sibi formam con*(s)c*icerent, patulisque buccarum rictibus la*(s)c*einirent,
 taliter effeminatorum dissolutam molliciem intemperancie
 35 sue luxum deducere predicabat. Interrogatus igitur, an ei dimicandi uirtus suppeteret, non unum tantum, uerum quotlibet admissos excipendi certissimas sibi uires exstare respondit. Quod audientes nouem, animaduertunt hunc esse, quem in subsidium Helgonis e longinqu^o uenturum
 40 acceperant. Idem, ut sponse thalamum attencioribus ual-

p. 292

p. 293

laret excubiis, uoluntariam uigiliarum curam amplexus,
 reductas cubiculi fores obicis loco gladio obserat, stacionis
 sue beneficio securam nupciis quietem daturus. Exper-
 rectus Helgo, cum, somni stupore discusso, promissum
 5 memorie subiecisset, armis corpus induendum curauit.
 Animaduertens autem, paruulam noctis adhuc superesse
 caligi*nem, cum prestolari uellet diluculi tempus, dum
 animo || propinqui discriminis negocium uoluntaret, obrepentis
 furtim somni suauitate preuentus, grauatum stupore corpus
 10 lecto restituit. Quem ut Starcatherus prima luce super-
 ueniens dormientem uxoris amplexibus inherere cognouit,
 importune concussionis molestia a quietis ocio reuocari
 passus non est, ne per ignauiam excitandi officium presu-
 mere et tam recentis copule dulcedinem interpellare uide-
 15 retur. Solus itaque periculum petere, quam aliena uolup-
 tatis offensione comitem querere speciosius duxit. Tacitus
 igitur uestigium retulit, campumque, qui lingua nostra
 Roliung dicitur, cum contemptu aduersariorum ingressus,
 sub montis cuiusdam clivo sessione quesita, aduersum uentis
 20 ac niuibus corpus prebuit. Tunc, ac si uerna celi tempe-
 ries aspiraret, deposita ueste, demendis operam pulicibus
 dabat. Purpureum quoque, quo nuper ab Helga donatus
 fuerat, sentibus amiculum iniecit, ne contra seuiencia gran-
 dinis tela indumentorum umbracula mutuatus uideretur.
 25 Tunc uenientes athlete montem ex opposito subeunt, auer-
 sumque uentis sedendi locum petentes, accenso frigus igne
 depellunt. Denique, non uiso Starcathero, quendam montis
 fastigio immittunt, qui tanquam e specula liquidius eius
 contemplaretur aduentum. Is postquam montane celsitu-
 30 dinis uerticem concendit, in deuexa eius parte senem
 prospicit, scapulis tenuis | niuali desuper respersione conte-
 ctum. Percontatur itaque, an is sit, qui promissas pugne
 partes agere debeat. Cumque se hunc esse Starcatherus
 astrueret, superuenientes ceteri, pariterne omnes an singil-
 35 latim excipere statuisset, interrogant. At ille, Quocies
 michi, inquit, triste canum agmen oblrat, simul, non ui-
 cissim, eos abigere soleo. Ita se cum uniuersis, quam
 singulis, configere malle significans, aduersarios prius dictis
 quam armis contemnendos putabat. Inito conflictu, sex
 40 eorum absque mutuo uulnerum receptu prostrauit; tres

uero residuos, quanquam decem ac septem uulneribus ita ab eis affectus esset, ut maior uiscerum pars uentre elaberetur, nihilominus fratrum exemplo consumpsit. Cumque extis uacuus, labefactis uiribus, graui sitis angustia preme-
 5 retur, petende pocionis cupiditate pergenuans, labentis comminus riui lympham exposcit. Quem ut cruento tabidum animaduertit, a polluto eius haustu, fastidita aque specie, temperauit. Anganturus siquidem inter amnis fluenta prostratus, ita alueum ciuis sanguinis sui rubore consper-
 10 serat, ut iam non aquis, sed roseo quodam liquore manare uideretur. Ita Starcatherus corporis uiribus defici, quam eas a tam feda pocione mutuari speciosius duxit. Igitur consumpto pene robore, saxo, quod in uicino forte situm erat, genibus aduolutus, paulisper eidem acciliis incubuit;
 15 cuius caua adhuc superficies cernitur, ac si illam decubantis moles conspicua corporis impressione signasset. Ego autem hauc imaginem humana arte elaboratam reor, cum ueri fidem excedere uideatur, insecabilem petre duriciam ita cere molliciem imitari potuisse, ut solo iunitentis contactu
 20 humane sessionis speciem representaret, habitumque perpetue concavitatis indueret.

Cumque Starcatherum quidam forte curru preteriens, toto pene corpore sauciatus uidisset, horrore rei pariter atque ammiracione permotus, proprius lora deflectit, querens,
 25 quid sibi premii foret, si plagas eius medendi officio prosequeretur. Sed Starcatherus, uulnerum acerbitate cruciari, quam sordide condicionis hominum ministerio uti preoptans, officium eius ac genus cognoscere institit. Quom cum preconis partibus fungi didicisset, spernere non contentus,
 30 eciam conuicio proculcauit, quod, cunctis honestatis partibus neglectis, scurrilitatis officia sectaretur, omnemque uite cursum nefanda semper opinione resperserit, et questus loco pauperum duxerit detrimenta, nemini innocenciam tribuere, cunctis accusacionis iniuriam irrogare pa-
 35 ra*tus, tunc precipue letus, cum quid alienis luctuosum rebus incideret, dum in hoc maxime sua desudet intentione, ut omnium actus insidiose exploracionis arte cognoscat, et innocuos || mores quesite fraudis occasione perstrin-
 gat. Abeunte eo, superuenit aliis opis medeleque promis-
 40 sor, qui prioris exemplum condicionem fateri iussus, an-

p. 295

LX*

(112)

cillam se cuiusdam in matrimonio habere eiusque domino
 emancipande coniugis gracia rusticum opus dependere
 testabatur. Cuius opera Starcatherus idecirco se uti nolle
 perhibuit, quod erubescendo connubii genere seruiles sibi
⁵ con(s)ciusset amplexus. Cui siquid uirtutis suppeteret,
 fastidita alieni saltem familiaritate mancipii, libera thori
 participe frueretur. Quantam porro huius uiri magnitu-
 dinem existimemus, qui summis uite periculis implicatus,
 tantum se in repellendis auxiliis gessit, quantum in ex-
¹⁰ cipiendis uulneribus gesserat. Itaque, discedente co-
 subiens femina fortuito senem preteribat incessu. Que
 cum pertergendorum eius uulnerum gracia propius acces-
 sisset, in primis, quo genere aut officio esset, exponere
¹⁵ iussa, ancillam se molendi officio assuetam perhibuit.
 Quam rursum Starcatherus, an prolem haberet, percon-
 tatus, postquam feminine ei sobolem | esse cognouit, do-
 dum abire et uagienti filie mammas prebere iussit, per-
 quam deforme existimans, ab extreme sortis muliercula
²⁰ subsidium mutuari. Quin eciam melius eam proprium
 sanguinem lactis nutrimentis, quam aliena uulnera remediis
 prosecuturam sciebat. Hanc quoque discedentem iuuenis
 curru delatus insequitur. Qui cum conspecti senis uulneri-
 bus opem latus accederet, quisnam esset, rogatus, agri-
²⁵ col a se patre uatum rusticique laboris operibus assuefactum
 subiunxit. Cuius Starcatherus natalibus collaudatis, offi-
 cium quoque ueneracione dignissimum iudicauit, quod tali-
 bus uite subsidia iusto laboris commercio peterentur, qui
 nimirum questum non nossent, nisi quem fusi sudoris
³⁰ impendio peperissent. Nec immerito ruralis uite habitum
 eciam excellentissimis opibus preferendum putauit, cuius
 integerrimi fructus inter splendidam abiectamque fortunam
 mediocritatis gremio orti educatique uiderentur. Ne autem
 indonatam iuuenis humanitatem relinquaret, chlamydem a
³⁵ sc uepribus interiectam oblate dignacionis premium effecit.
 Accedens itaque ruricole filius euulsas stomachi partes
 pristino loco restituit, elapsamque extorum congeriem nexili
 uiminum complexione perstrinxit. Deinde exceptum uehi-
 culo senem ad regios usque penates pleno ueneracionis
 studio deportandum curauit.

⁴⁰ Interea Helga uerbis magnam pre se cautelam

ferentibus, uirum instruere aggressa, scire se, inquit, Starcatherum, mox ut uictis pugilibus remearet, absencie penas ab eo sumpturum, a quo plus ignauie et libidini quam condicti certaminis fidei indultum existimet. Cui
 5 idco acrius resistendum fore, quod fortibus parcere, ignauos odisse soleat. Cuius prediccionem Helgo eque ac consilium ueneratus, corpus animumque capessende uirtutis ardore firmauit. Cumque Starcatherus ad regias esset edes delatus, uulnerum dolore neglecto, ociosus curru desiliit,
 10 ac, ueluti toto integer corpore, nupcialem irrumens thalamum, pugno ualunas perfregit. Tunc lecto exiliens Helgo, ut coniugis erat consilio doctus, aduerse eius fronti ferrum immersit. Cumque secundi uulneris meditacione denuo ferrum adacturus uideretur, Helga thoro ocissime euolans, senem
 15 ab imminenti exicio correpti um|bonis interiectu defendit, p. 297
 quod tamen ab Helgone ualidiore ferri impulsu medio tenus umbone dissectum est. Ita laudabilis femina ingenii amicum auxilio prosecuta, quem consilio leserat, manu seruauit, utque monitis maritum, ita factis senem protexit.
 20 Que res Starcatherum ad incolumitatem Helgoni tribuendam adduxit, prefatum, parci oportere, cui certum uirtutis indicium presens fortitudinis fides exhibeat. Morte siquidem indignissimum predicabat, quem tanta resistendi fiducia* plenum probitatis ingenium exornasset.
 25 Idem, plagis nondum medicamine procuratis nec ulla adhuc cicatrice respersis, occiso ab emulis Haldano, Suetiam repetens, filium eius Syuardum, deuicta quorundam rebellione, paterne dominacionis heredem constituit. Apud quem diutule conuersatus, cum Frothonis fraudulenter
 30 oppressi filium Ingellum, transuerso animo actum, patris interfectoribus animaduersionis (loco) humanitatem atque amiciciam erogasse, fama rei crebescente, cognosset, ob tam horridum facinus indignacionis aculeis lacessitus, dolorenterque ferens, tante indolis iuuenem tam inclyti patris
 35 filium exuisse, eximium carbonum fascem tanquam opinam sarcinam humeris suis Daniam petiturus impedit. Rogatus ab obuiis, quid tam insolitum onus deferret, Ingelli regis hebetudinem ad acuminis habitum carbonibus se perducturum astruxit. Itaque expedita et compendiaria
 40 semita uelut uno spiru rapidum | ac preceps iter explicuit, p. 298

LX^b

(113)

p. 298

tandemque Ingelli hospicio usus, sedem maioribus destinata
 tam suo more concendit. Quippe apud prioris seculi
 reges amplissimum dignitatis gradum obtinere consueuerat.
 Quenamcum regina squalore obsitum sordidisque et agresti-
 bus pannis utentem ingressa conspiceret, ob deformitatem
 cultus parum curiosa hospitis estimatrix effecta, simulque
 uirum ex ueste meciens, stoliditatis increpitum, quod maiores
 discubitu precurrisset ac sedem rusticu cultu indignam
 occupasset, loco excedere iussit, ne puluinaria tetroire,
 10 quam par esset, habitu contractaret. Quod enim ille ex
 fiducia agebat, stoliditati atque impudencie deputabat,
 ignara, aliquanto splendidius menteu quam uestem in
 sublimi lucere concessu. Paruit animosus senex, tametsi
 repulsa eger, indebitamque fortitudini sue contumeliam
 15 egregio animi temperamento suppressit, acceptum ruborem
 nec uoce nec gemitu prosecutus: Nec tamen tacitam do-
 loris acerbitatem prorsus occultare sustinuit. Exurgens enim
 atque in ultimam edis partem socedens, adeo ipsa parietum
 robora dimissi corporis impulsu contudit, ut tectum ruina
 20 pene eximia tignorum trepidacione submitteret. Quo eueuit,
 ut non solum repulsa, sed eciam exprobrate sibi paupertatis
 ignominia lacessitus, iram suam aduersum contumeliosam
 regine uocem irreuocabili seueritate destringeret.

Quem cum Ingellus, a uenacione regressus, curio-
 25 sioribus oculis collistratum, nec os usquam hilariter cir-
 cunferentem nec se assurgendi officio uenerantem animad-
 uerteret, Stareatherum esse parum blande frontis annota-
 cione cognouit. Nam cum manus eius bellico opere
 duratas, cicatrices aduerso corpore exceptas, acerrimumque
 30 oculorum uigorem attenderet, animaduertit, nequaquam
 enerui animo esse, cuius corpus tanta uulnerum uestigia
 confodissent. Obiurgatam igitur uxorem impensis monuit,
 ut abiecto irarum supercilie, quem conuicio insecura fuerat,
 blandimentis permulsum liberalitatis officiis deleniret, cibo-
 35 que et pocione firmatum benigno recrearet alloquio, pre-
 fatus, hunc sibi olim a patre tutorem datum, infancie sue
 indulgentissimum extitisse custodem. Tum sera senilis
 animi cognitrix, rigore in mansuetudinem uerso, quem
 repulsa affecerat, conuicii amaritudine lacerauerat, mini-
 40 strandi studio uenerata est, atque ex hospita indignantem

obsequentissimam adulatricem agere cepit, curiositatem suam ire eius opponere cupiens, eo quidem minus errore culpabilis, quo illum celerius obiurgata deseruit. Nec tamen leues eius penas pependit, cum loca, in quibus for-

5 tissimum senem discubitus repulsa sugillauerat, post modum fratrum suorum cladibus cruentata conspiceret.

Nocte uero, Ingello cibum cum Suertingi filiis capiente, apparatissimis dapibus insistens luxurioso mensas epulo cumulauit, senemque, ne maturius se conuiuio sub-

10 traheret, familiari inuitacione retinuit, tanquam operosioris esce oblectamenta solidum uirtutis rigorem excuare potuissent. Quibus cum Starcatherus *oculos inseruisset, eorum usu lasciuiore contempto, nequid externo ritui indulgeret, temperancia, qua plurimum pollebat, appetitum

15 suum aduersus deliciarum irritamenta firmauit, ne bellicam claritatem conuiualibus illecebris absumendam permitteret. Erat enim fortitudo eius frugalitatis amatrix, aliena nimie ciborum abundancie et ab immoderato || dapum usu auersa,

20 utpote que aliquo in momento ponendo luxuriam num- quam uacauit, semperque, uoluptate omissa, uirtutis respectum egit. Cum ergo uetustos continencie mores omnemque pristine consuetudinis habitum nouo luxu ac lauticia corrumpi animaduerteret, rusticioris esce paratum appetens,

25 cene sumptuosioris impendium fastidiuit. Igitur profusam dapum indulgenciam aspernatus, fumidoque ac rancidulo cibo usus, famem eo sapidius, quo simplicius, pepulit, ne uere uirtutis nerois externarum deliciarum contagione,

30 tanquam adulterino quodam dulcore remitteret, aut prisca frugalitatis normam inusitatis gule superstitionibus abro-

35 garet. Ceterum indignanter ferebat, assam dapem eandemque clixam unius cene sumptibus erogari, edulium pro monstro accipiens. quod culine nidoribus delibutum, fartoris industria multiplicis temperamenti uarietate perfricuit. E contrario Ingellus, projectis maiorum exemplis, innouando

40 mensarum ritu licencius sibi, quam mos patrius permittebat, indulxit. Postquam se enim Teutonie moribus permisit, effeminate eius lasciuie succumbere non erubuit. Ex cuius sentina in patrie nostre fauces haud parua luxurie nutrimenta fluxerunt. Inde enim splendidiores mense, lauiores culine, sordida cocorum ministeria uarieque

LXII.

(114)

p. 300

farcimium sordes manauere; inde licencioris cultus usurpacio a ritu patrio peregrinata est. Itaque regio nostra, que continenciam in se tanquam naturalem aluit, luxum a finitimis depoposcit. Cuius Ingellus illecebra captus, in 5 iurias beneficiis rependere erubescendum non duxit; neque illi misera parentis clades cum aliquo amaritudinis suspirio obuersata est.

At regina, ne propositi irrita abiret, iram senis donis optime propulsandam existimans, mirifici operis uittam 10 proprio capiti detractam gremio cenitantis apposuit, beniuolenciam eius, quia uirtutem hebetare nequiuerat, mercari cupiens. Quam Starcatherus, needum offense acerbitate deposita, in os ferentis reiiciens, plus contemptus quam ueneracionis in eo munere repositum arbitrabatur; prudenter 15 animo egit, ne cicatricibus consito galeisque assueto capite, insolitum effeminati cultus ornamentum exciperet, sciens, uirilibus comis muliebre rediniculum iniici non oportere. Itaque repulsam repulsa ultus, contemptum suum mutua aspernacione pensauit, tantum se pene in uindicando rubore gerens, quantum gesserat in sustinendo. Veterani namque bellatoris animus, Frothonis cultum inextricabilibus amicicie hamis complexus, totque ac tantis 20 munificencie eius meritis inuitatus, ad abiiciendum ulcionis propositum nullo indulgencie blandimento seduci poterat, quo minus debitam beneficiis eius graciā eciam post fata referre satageret, extinctoque uicissitudinem humanitatis 25 rependere curaret, cuius adhuc extantis amantissimum animum liberalissimamque amiciciam expertus fuerat. Adeo quippe miserrimam Frothoniane cladis imaginem alte pectori insertam gerebat, ut ab intimo precordiorum eius secessu clarissimi ducis respectus conuelli nequiret, atque ob hoc presenti beneficio pristine familiaritatis titulum 30 anteponere non dubitaret. Ceterum superioris contumelie memoria nihil gracie sequenti obsequio reddidit, lacesitti pudoris ignominiam deponere nequiens. (Tenacius enim iniuriarum uel beneficiorum imagines forcium quam mollium animis inherere consueuerunt.) Neque enim illorum insueuit moribus, qui amicorum prosperum uite cursum 35 comitantur, aduersum deserunt, quique fortune magis quam caritati cultum tribuunt, propriis commodis quam alienē

LXIB

beniuolencie propiores. Animaduer^tens autem pertinax propositi femina, ne sic quidem conuiualem a sene hilariatem elici posse, ut blandiciarum ceptum liberaliori comitate prosequeretur, cumulacioremque hospiti honorem redideret, tibicine de industria modulari iusso, musam, qua indignacionis eius perseverancia flecteretur, instituit, artificialis soni ministerio naturales inclemencie neruos elidere cupiens. Sed fistule aut chordarum lenocinium in hebetanda uiri pertinacia parum efficax mansit. Auditor enim exhibitum sibi cultum pigmentum magis quam caritatem redolere cognouit. Quo enenit, ut elusus opinione sua minus statue magis quam homini canere putaretur, disseretque, ponderosissime seueritatis statum frustra seurrarum lusibus attentari, inanique oris spiraculo maxime rei molem labefactari non posse. Adeo enim Starcatherus oris habitum indignacionis pertinacia firmauerat, ut nulla ex parte consueto infraccior uideretur. Quippe debitus uotis rigor, nec tibie cantu nec gule lenimento permulsus, plus strennuo uirilique proposito, quam aurium aut epuli blandimentis tribuendum putauit. Osse itaque, quod uescendo carne spoliauerat, in uultum gesticulantis projecto, plenas aurarum buccas violenta fatus excussione laxauit. Quo facto, quantum seueritas scenicos plausus fastidiret, edocuit. Ira siquidem obserate aures nulli uoluptatis effectui patuerunt. Dignum histrione munus turpi premio deforme muletauit obsequium. Siquidem optimus meritorum estimator, muneris loco tibicini tibiam erogauit, ac durum mercedis genus molli officio retulit. Itaque minus, nescias, sonorius cecinerit an fleuerit, quam parum in luxuriosis pectoribus fortitudo possideat, effusa lachrymarum acerbitate testatus. Neque enim, qui totum se uoluptati substrauerat, quandoque calamitatis incursum tolerare didicerat. Cuius lesio futuras cene clades ominata est. Et bene quidem cultor seueritatis animus uindictae constanciam pertinaci grauitate complexus, qui, quantum alii suauitatis, tantum ex fidibus fastidii traxit, probroso ossis iactu ingratum pensauit officium, plus se ualentis amici speciosis cineribus, quam improbis turpissimi alumni moribus debuisse confessus. Deinde in ampliorem histrionis suggillationem huiusmodi carmen subtexit. Regina uero vir-

(115)

p. 302

tutem, quam debilitare nequiuerat, stupens, eius, quem frustra beneficiis coluit, aminiratrix euasit.

Videns autem Starcatherus, eos, qui Frothonem op-
presserant, in summa regis dignacione uersari, concepti
5 furoris magnitudinem acerrimo oculorum habitu prodidit,
internosque motus externo oris indicio patefecit, occultam
animi procellam aperta lumen seuicia testatus. Denique
Ingello se regiis dapibus delenire cupiente, edulium rep-
pulit, quod vulgaris cibi uilitate contentus peregrina ad
10 modum obsonia fastidiret, communibusque epulis assuctus,
nullius gulam saporis oblectacione palparet. Interrogatus,
cur fronte tam nubila regie liberalitatis obsequio uti no-
luisset, reperiendi Frothonis filii gracia, Daniam sibi peti-
tam asseruit, nec eius, qui petulantis stomachi ingluuiem
15 operosa dapum ubertate farciret. Hoc enim familiaris regi
Teutonum luxus egerat, ut excoctas aquis epulas deliciose
societatis studio rursum igni torrendas preberet. Post hec
Ingelli mores intactos preterire non passus, in eius caput
omnem reprehensionis amaritudinem transtulit, impietatis
20 daminatum, quod nimie saturitatis usu oscitans, partam
edendo crapulam feda ructacione exhalareret, Saxoniamque
imitatus illecebram amplissimis a sobrietate excessibus
aberrasset, adeo uirtute uacuus, ut ne minimam quidem
eius umbram consecaretur. Maxime autem illi turpitudinis
25 cumulum accedere memorabat, quod in ipso milicie tyro-
cinio ulciscendi parentis immemor, neglecta nature lege,
paterni sanguinis carnifices beniuolencia atque officio am-
pleteceretur, iniquissime meritos amantissima caritate com-
plexus, eosque, in quos quam acerrime animaduertere de-
30 buerat, non modo impunitate donasset, uerum etiam con-
uictu ac mense honore dignos iudicasset, a quibus pocius
capitale supplicium sumendum fuisset. *Preterea hic hoc
carmine usus asseritur.

35 Cedat imbellis uetulo iuuentus
Et senis crebros ueneretur annos;
In uiro forti numerosa nemo
Tempora culpet.

Albicet quanquam senio capillus,

Permanet uirtus eadem uetustis;
Nec fluens etas poterit uirile
Carpere pectus.

Me grauis sessor cubito repellit,
Qui boni formam uicio prophanat,
Dum gule parens nihilum diurnis
Prerogat escis.

p. 304

Quando Frothonis comes annotabar,
Militum semper medius resedi
Ede sublimis, procerumque primus
Prandia duxi;

Sorte nunc uersa melioris eui,
Angulo claudor, simuloque piscem,
Qui uago captat latebram recursu
Abditus undis.

Seculo certe solitus priore
Culcias strato recubare fulero,
Inter extremos premor et referta
Pellor ab aula.

Pellerer forsan foribus supinus,
Ni latus pulsum paries referret,
Et fugam truso facilem negaret
Obuius asser.

Aulici risu populi lacessor,
Aduene digno uacuus receptu;
Aspero carpor sale, dum loquaci
Mordeor ausu.

p. 305

Quid noui rumor celeber uolutat,
Quis tenor rerum, patrie quis ordo,
Gliscerem uestre regionis actus
Aduena nosse.

Vt quid, Ingelle, uicio sepultus
Vindicem patris remoraris ausum?
Num pii cladem genitoris equo
Pectore duces?

35

Quid dapem deses colis, ocioque,
 Mollior scortis, stomachum reclinas?
 An tibi paruo patris interempti
 Vlcio constat?

5 Proxime quando, Frotho, te reliqui,
 Mente presaga didici, quod armis
 Hostium certe periturus essem,
 Maxime regum;

10 Cumque rus longum tererem uiator,
 Prescius mentem gemitus subibat,
 Qui, quod hinc essem michi non uidendus,
 Omine finxit.

15 Pro dolor! quod tune aberam remotus,
 Extimos orbis populos lacescens,
 Cum dolo regis iugulum petebat
 Perfidus hospes.

20 Aut enim uindex domini probarer,
 Aut comes pene, sociusque fati,
 Et pari gaudens sequerer beatum
 Funere regem.

Non gulam ueni dapibus beare,
 Cuius enitar uicium ferire;
 Nec cutis curam sequar aut obesi
 Gaudia uentris.

p. 306

25 Nemo me regum prius inclytorum,
 Exteros iuxta, medium locauit,
 Cui frui primis licuit cathedris
 Inter amicos.

30 Suetia ueni, spaciose mensus
 Rura, mercedem ratus affuturam,
 Si modo cari fruerer reperta
 Prole Frothonis.

Sed probum querens, adii gulosum,
 Deditum uentri uicioque regem,

Cuius in luxum studium refudit
Feda uoluptas.

Claret Haldani ratus esse sermo,
Qui breui nobis cecinit futurum,
Quod patri gnaro generandus esset
Filius excors.

Degener quanquam reputetur heres,
Non opes magni paciar Frothonis
Aduenis luero fore, uel rapine
More patere.

Ad hanc uoce tremefacta regina, detractum capiti
suo redimiculum, quo forte capillium muliebriter adorna-
bat, efferato seni, tanquam beneficio bilem auersura, por-
rexit. Quo *Starcatherus quam turpissime in os offerentis LXII^b
15 cum indignacione reiecto, clara rursum uoce recinuit:

Amoue, queso, muliebre donum,
Et tuo mitram capiti repone;
Infulas nemo Venerem decentes
Fortis adoptat.

p. 307

20 Absonum namque est, ut in arma promptis
Nexili crinis religetur auro;
Mollibus cultus tenerisque turbis
Competit iste.

25 At tuo munus refer hoc marito,
Cui placet luxus, digitusque prurit,
Dum nates uersans uolueris rubelle
Viscera tractat.

30 Vxor Ingelli leuis ac petulca
Teutonum ritus celebrare gestit;
Instruit luxus et adulterinas
Preparat escas.

Nam nouis palpat dapibus palatum,
Captat ignoti libitum saporis,

(117)

Estuans ferclis onerare mensas
Laucius omnes.

Hec uiro uinum pateris propinat,
Cuncta propenso meditans paratu;
5 Coeta torrii iubet et secundo
Destinat igni.

Pascit, ut porcum, petulans maritum,
Impudens seortum natibusque fidens
Gratis admissum tolerare penem
10 Crimine stupri.

Assat elixum recoquitque tosta,
Prodigo cenam meditata luxu,
Negligens morum uiciique cultrix,
Femina turpis.

15 Hec procax fastu Venerisque miles,
Appetens esce, bene temperatos
Abdicat ritus, simul et gulosas
Instruit artes.

20 Rapulum leui patina liquatum,
Preditas succo tenui placentas
Pruriens aluo petit ordinesque
Conchiliorum.

25 Non ego magnum memini Frothonem
Dexteram fibris uolucrum dedisse,
Podicem coeti lacerasse galli
Police curto.

Quis prior regum potuit gulosus
Viscerum putres agitare sordes,
Aut manu carptim fodieare fedum
30 Alitis anum?

Forcium crudus eibus est uirorum,
Nec reor lautis opus esse mensis,
Mens quibus belli meditatur usum
Pectore forti.

Apcius barbam poteras rigentem
Mordieus presso lacerare dente,
Quam uorax lactis uacuare sinum
Ore capaci.

5 Fugimus laute uicium popine,
Rancidis uentrem dapibus fouentes;
Coctiles paueis placuere succi
Tempore prisco.

10 Discus herbosi uacuus saporis
Arietum earnes dabat et suillas;
Temperans usus nihil immodesto
Polluit ausu.

15 Lacteum qui nunc adipem ligurris,
Induas mentem, petimus, uirilem;
Esto Frothonis memor et paterni
Funeris ultor.

20 Occidet nequam pauidumque peetus,
Nec fugax fati stimulum refellet,
Valle condatur lieet, aut opaeis
Ineubet antris.

25 Vndeclim quondam proceres eramus
Regis Haconis studium secuti;
Hic prior Helgo Gegathus resedit
Ordine cene.

p. 310

Hic famis prime stimulum licebat
Aridis perne natibus lenare;
Ventrism ardorem rigidi domabat
Copia crusti.

30 Offulam nemo uapidam petebat;
Quisque communes celebrabat escas;
Simplici tantum stetit apparatu
Cena potentum.

Vulgus externum fugiebat esum,
Nec fuit summis epuli libido;
Ipse rex paruo meminit modestam
Ducere uitam.

LXIII.

5 Mellei temnens speciem saporis
Combibit tostum Cereris liquorem,
Nec parum coctis dubitabat uti,
Assa perosus.

p. 311

10 Mensa perstabat modico paratu,
Exhibens sumptum tenui salino,
Nequid externo uariaret usu
Docta uetustas.

15 Amphoras nemo paterasue quondam
Intulit mensis; dolio profudit
Poculum promus, nec erat catillis
Copia pietis.

20 Nemo transacti uenerator eui
Cantharis iunxit teretes diotas,
Nec eibis lancei eumulauit olim
Comptus agaso.

p. 31

Non breui concha ciathoue leui
Prandum uanus decorabat hospes;
Nunc recens morum facies pudenter
Omnia pressit.

25 Ere quis sumpto toleraret umquam
Funus amissi redimi parentis,
Aut loco patris peteret necati
Munus ab hoste?

30 Qui ualens heres sobolesque fausta
Talibus iunctum latus applicaret,
Vt uiri neruos uacuaret omnes
Paccio turpis?

Vnde, cum regum tituli canuntur
Et ducum uates memorant triumphos,

Pallio uultum pudibundus abdo
Pectore tristi.

Cum tuis nil eniteat tropheis,
Quod stilo digne queat annotari,
Nemo Frothonis recitatur heres
Inter honestos.

Improbis quid me laceras ocellis,
Qui, reumi patris ueneratus hostem,
Panibus tantum tepidoque iuri
Credereis ulti?

(118)

Vindices quando scelerum probantur,
Quo minus mentem pudeat prophanam,
Aurium prompto uacuatus usu
Esse peropta.

Sepe nam uirtus aliena sueuit
Conscium culpe lacerare pectus,
Et boni fama premitur malignus
Pectore sensus.

Appetas Ortum licet, aut remotus
Occidentali regione degas,
Seu situm mundi medium sequareis,
Concitus istine,

Seu plagam celi gelidam reuisas,
Qua poli uertex patet, impetuque
Versili spheram rapit, et propinquam
Despicit Vrsam,

p. 313

Te pudor late comes insequetur
Et graui uultum feriet rubore,
Quando magnorum sociata ludit
Concio regum.

Dedecus quem cum maneat perenne,
Inter illustres medius uenire
Non potes turmas, reprobusque in omni
Climate deges.

14*

Fata Frothoni sobolem dedere
 Editam mundo superis sinistris,
 Cuius affectum scelus et libido
 Sordida cepit.

5 Sicut in naui fit, ut obsoletum
 Feda sentine gremium requirant,
 Sic in Ingellum uiciosa rerum
 Copia fluxit.

10 Ergo uulgatum ueritus ruborem
 Angulis pressus patrie iacebis
 Torpidus fedo lare nec uidendus
 Agmine claro.

15 Sorte tum barbam quacies sinistra,
 Concubinarum stimulis repressus,
 Cum tibi pellex querulis perurat
 Vocibus aurem.

20 Cum pauor mentem gelidus repigret,
 Et patris uindex fieri timescas,
 Degener plane, parilisque serui
 Ritibus exstas.

p. 31

Obrui paruo poteras paratu,
 Vt quis arreptum iugularet hedum
 Aut ouem cultro teneram trucidet
 Guttore secto.

25 Ecce Suertingo genitus tyranno
 Dania post te pocietur heres,
 Cuins ignauam retines sororem
 Federe turpi.

LXII

30 Dum grauem gemmis nitidamque cultu
 Aureo gaudes celebrare nuptam,
 Nos dolor probro sociatus urit,
 Turpia questos.

Quando te preceps agitat uoluptas,
 Anxius nobis animus prioris

Temporis formam reuocat, monetque
Multa dolere.

Nam secus quam tu scelus estimamus
Hostium, quos nunc ueneraris; unde
5 Prisca noscenti facies molesta est
Temporis huius.

Re magis nulla cuperem beari,
Si tui, Frotho, iuguli nocentes
Debitas tanti sceleris uiderem
10 Pendere penas.

Tantum autem monitus sui incitamento profecit. ut p. 315
 ab enerui et frigescenti animo ueluti quadam reprehensionis
 silice flagrantissimum fortitudinis ignem extunderet. Primum
 enim rex vacuas carmini aures prebuit, deinde impensiori
 15 educatoris sui hortamine concitatus, serum uleionis calorem
 animo traxit, oblitusque conuine, hostem induit. Ad ultim
 um discubitu euolans, omnem ire sue procursum in con
 sessores effudit, ita ut ferrum aduersus Suertingi filios
 eruenta seneritate nudaret et, quorum gulam mense deliciis
 20 fouerat, desticto muerone iugulum peteret. His namque
 continuo trucidatis, sacra mense sanguine innoluit. infirmum
 societatis uineulum diremit, erubescendumque conuiuium
 egregia crudelitate mutauit, atque ex hospite hostis, ex
 abiectissimo luxurie mancipio truculentissimus uleionis
 25 minister euasit. Siquidem industria hortatoris oracio molli
 ac tenere iuuente animositatis spiritum ingenerauit, late
 brisque suis extractam recreauit andaciam, extuditque, ut
 grauissime cladis auctoribus pena factis debita rependeretur.
 Exulauerat siquidem probitas iuuensis, non expirauerat; que
 30 in lucei senili suffragacione producta, opus eo maius, quo
 tardius, edidit. aliquanto speciosius cruore quam || mero
 calices imbuens. Quam porro industrium existimemus senem,
 qui disertissima ammonicione immensum regalis animi uicium
 expugnauit, eiusque loco, perruptis nequicie claustris, effi
 35 caciissimam uirtutis sementem inseruit? Ipse quoque, manum
 regis pari facinore prosecutus, fortitudinem non solum in
 se plenissimam exhibuit, sed eciam ex alieno pectore
 erutam reuocauit. Quo peracto sic cepit:

Rex Ingelle, uale, cuius *⟨iam⟩* prodiit ausum
 Plenum animi pectus. Tibi mens in corpore regnat
 Auspicio patefacta suo, nec defuit altum
 Pectore consilium, quanquam taciturnus ad horam
 5 Extiteris; nam damna more probitate rependis,
 Torporemque animi redimis uirtute potenti.
 Fac age, fundamus reliquos, nullusque periculum
 Effugiat, quod quisque pari racione meretur.
 Cedat in auctorem facinus, premat artificemque
 10 Culpa relata suum. Cesorum corpora curru
 Excipient famuli, promptusque cadauera lictor
 Efferat, officiis merito caritura supremis,
 Et bustis indigna tegi; non funebris illis
 Pompa rogusue pium tumuli condonet honorem;
 15 Putida spargantur campis, auiumque terenda
 Morsibus; infesto maculent rus undique tabo.
 Tu quoque, rex, seuam, siquid sapis, effuge nuptam,
 Ne lupa consimilem sibi fetum gignat, et ex te
 Belua consurgat proprio nocitura parenti.
 20 Dic, Retho, perpetue timidorum irrisor, an ultos
 Frothonem satis esse putas, qui funera septem
 Vindicte unius impendimus? Ecce feruntur
 Exanimes, qui non rebus, sed imagine tantum
 Imperium coluere tuum, fraudemque parabant
 25 Obsequio. Sed me semper spes illa subibat,
 Quod solet ingenuis sua respondere propago,
 More secutura sortem, quam sanguine traxit.
 Nunc ergo, Ingelle, melius quam tempore lapsu
 Letharum dici dominus Danieque mereris.
 30 Imberbis quando ductum auspiciumque sequebar
 Milicie, rex Hako, tue, lasciuia perosus
 Ingenia et luxum, nil preter bella colebam;
 Exercens animum cum corpore, mente prophanum
 Omne relegavi, stomachoque placencia fugi,
 35 Forcia complexus animo; namque arma professis
 Aspera uestis erat cultusque parabilis olim,
 Rara quies, somnique breues; labor ocia longe
 Propulit, et parco fluxerunt tempora sumptu;
 Non ut nunc quidam, quibus insaciata cupido
 40 Ingluui ceca uisum racionis inumbrat,

Horum aliquis uestis operose tegmine cultus
Molliter alipedem flectit, sparsamque renodat
Cesariem, et laxos patitur fluitare capillos.
Dicere sepe foro turpique inhiare lucello
5 Gaudet, et hoc studio uitam solatur inertem,
Venali celebrans commissa negocia lingua.
Vi uiolat leges, et ferro iura laccessit,
Obterit innocuos, alieno pascitur ere,
Stupra gulamque colit, risu conuiuia mordax
15 Insequitur, sic scorta petens, ut sareculus herbam.
Occidit ignauus, dum prelia pace quiescunt.
In media si ualle cubet, testudine nulla
Tutus erit; qui fata timet. Sors ultima uiuum
Quenque rapit; latebra letum depellere non est.
20 Ast ego, qui totum concussi cladibus orbem,
Leni morte fruar, placidoque sub astra leuandus
Funere, ui morbi defungar uulneris expers?

(120)

p. 318

FINIS SEXTI.

*

HISTORIE DANICE

LIBER SEPTIMVS.

Ingello quatuor filios fuisse, ex iisdemque, tribus
5 bello consumptis, Olanum solum post patrem regnasse,
perita rerum prodit antiquitas: quem quidam Ingelli sorore
editum incerto opinionis arbitrio perhibent. Huius actus
uetustatis squalore conspersos parum iusta noticia poste-
ritas apprehendit; extremum duntaxat prudencie eius mo-
nitum memoria nendieauit. Quippe cum supremis fati
uiribus arctaretur, Frothoni et Haraldo filiis consulturus,
alterum terris, alterum aquis regia dicione preesse, eamque
potestatis differenciam non diutina usurpacione, sed annua
uicissitudine sortiri iubet. Ita regnandi inter eos condi-
15 cione equata, prior Frotho maritimarum rerum regimine
potitus, crebris piraticee damnis deformis euasit. Infortunii
causa recencia nautarum coniugia fuere, domesticas thori
uoluptates externis milicie laboribus preferencium. Inter-
iecto tempore natu minor Haraldus maris dominacionem
20 sortitus, uacuum coniugio militem legit, fraterne frustra-
cionis euentum metuens. Fortuna delectui respondit.
Quippe tam gloriosum piratam egit, quam frater inglorium
gesserat. Que res fraternali ei inuidiam peperit. Quin
eciam corum coniuges, Sygne et Vlilda, quarum altera
25 Suetie rege Syuardo, altera Karolo, Gothie prefecto, orta
fuerat, crebra nobilitatis contencione rixantes, alternos
maritorum soluere conuictus. Quo euenit, ut Haraldus et
Frotho, rei familiaris societate connulsa, communem par-

cientes suppellectilem, plus muliebris rixe iurgiis, quam fraterne caritatis officiis indulgerent.

Sed et Frotho, fratris claritate deformem se fieri contemptumque sibi strui iudicans, a quodam familiarium 5 occulte eum interfici iubet, quod, quem etate uinceret, ab eo se uirtute superari uideret. Quo peracto, ne scelus a conscientia proderetur, insidiarum ministrum tacite trucidandum curauit. Post hec, ut innocencie sibi fidem pareret, notamque sceleris euitaret, quisnam rerum casus inopina ger- 10 manum clade sustulerit, laciūs inuestigari precepit. Sed neque tot artibus perficere potuit, quo minus eum tacita uulgi notaret opinio. A quo post modum Karolus, quis Haraldum occidisset, rogatus, dissimulanter ab eo note rei questionem agi respondit. Quo dicto mortis causam adciuit, 15 Frothone exprobratum sibi latenter parricidium iudicante.

Post hec Haraldus et Haldanus, Haraldi filii, ex Sygne, Karoli | filia, suscepti, cum ad necem a patruo quererentur, ab eorum tutoribus callidior seruandorum || pupillorum racio excogitata est. Nam truncos luporum 20 ungues subtellibus annexentes, contiguum penatibus suis lutum obfuscumque niuibus humum crebris decursibus exarare ceperunt, ferini incessus speciem prebituri. Post hec, trucidatis ancillarum liberis, eorumque corporibus frustatim disceptis, lacera passim membra disiiciunt. Itaque, requi- 25 sitis adolescentibus nec inuentis, fusi reperiuntur artus, ferarum uestigia demonstrantur, tellus cruento delibuta conspicitur. Creditum est, pueros lupina ingluwie consumptos, nec cuiquam fere de tam manifesto laceracionis argumento dubitare concessum. Cuius spectaculi fides pupillis presi- 30 dio fuit. Qui mox a tutoribus caua conclusi ilice, ne ullum uite eorum indicium ederetur, diu sub canum specie nutriebantur; latrantum quoque eis uocabula indita, quo minus latencium opinio vulgaretur. Solus Frotho, mortis eorum fide repudiata, latebre locum ex perita augurii femina 35 cognoscere instituit. Cuius *carminum tanta uis erat, ut rem, quantalibet nodorum consercone perplexam e longinquo soli sibi conspicuam ad contactum euocare posse uideatur. Hec Regnonem quendam occulte circa illos educationis officium peregisse eosque tegende rei gracia caninis 40 censuisse nominibus astruebat. Qui cum se inusitata car-

p. 321
(121)

LXV^a

minum uiolencia latibulis egestos incantantis obtutibus ad-
 moueri consiperent, ne tam horrende coaccionis imperio
 proderentur, gremium eius accepti a tutoribus auri incus-
 sione perfundunt. Que, recepto munere, repentina morbi
 5 simulacione par exanimi concidit. Perquiritibus ministris
 causam tam subiti lapsus, inscrutabilem filiorum Haraldi
 fugam existere memorabat, quorum eximia uis eciam atro-
 cissimos carminum temperaret effectus. Ita paruulo con-
 tenta beneficio, maius a rege prestolari premium passa
 10 non est. Post hec Regno, suam ac pupillorum opinionem
 populari sermone crebrescere expertus, in Fyoniam utros-
 que deuexit. Vbi a Frothone captus, adolescentes se
 custodia prosecutum fatetur, precaturque regem, pupillis,
 quos patre priuauerat, parcat, nec se duplici parricidio ob-
 15 iectare felicitatis loco ducat. Quo dicto seuiciam eius in
 ruborem conuertit, pollicitusque est, siquid ab eis in patria
 nouaretur, se regi indicia delaturum. Ita pupillis incolu-
 mitate parta, metu liber, multos annos confecit.

Qui cum adulti Sialandiam petuiissent, ulcionem pa-
 20 tris ab amicis exequi iussi, non se ac patrum annua luce
 potituros uouerunt. Quo comperto Regno, pacti memoria
 concitatus, noctu regiam petit, seque promisse rei indicem
 uenire tacite asserit. Dormientem tamen ad uigilias euo-
 care passus non est, eo quod Frotho excitacionis sue pe-
 25 nas ferro exigere solitus fuerat. Tanti quandam regium
 somnum importuna frustracione perrumpere existimatum
 est. Id Frotho mane ex uigilibus expertus, ut animad-
 uerit, Regnonem insidiarum nuncium attulisse, contracto
 milite seuicia fraudem precurrere statuit. Nec aliud Haraldi
 30 filiis auxilio, quam furoris simulacio fuit. Nam cum se ex
 improviso occupari consiperent, perinde ac furiis acti
 lymphancium more[m] <se> gerere cuperunt. Quos cum
 Frotho mente captos putaret, propositum remisit, deforme
 existimans ferro petere, qui ferrum in se conuertere uide-
 35 rentur. A quibus proxima nocte incendio consumptus,
 dignas parricidii penas pependit. Quippe regiam adorti,
 reginam in primis lapideo obruere congestu; igne deinde
 penatibus applicato, Frothonem in excisi dudum specus an-
 gustias et opacos cuniculorum recessus obrepere coegerunt.
 40 Vbi dum clausus delitescit, uapore et fumo strangulatus interiit.

p. 322

p. 323

Perempto Frothone, cum Haldanus ternos circiter annos patrie prefuisset, Haraldo fratri regnandi iure perfunctorie tradito, Ölandiam eique finitimas insulas, quas a Suetie complexu sinosus aquarum diuellit anfractus, 5 piraticis populatur iniuriis. Ibidem, subductis hieme nauigiis ac uallo cinctis, expedicioni triennium dedit. Post hec Suetie manus iniecit, eiusque regem bello consumpsit. Cuius nepotem Ericum, patrui uero sui Frothonis filium, pulgna post modum excepturus, postquam pugilem eius (122)

10 Haquinum hebetandi carminibus ferri peritum didicisset, eximie magnitudinis clauam ferreis consertam nodis, tensionis usibus adaptauit, perinde ac prestigii uires ligneo robore debellaturus. Denique, cum ceteris conspicuo uirtutis habitu premineret, inter acerrimos hostium pro-

15 cursus, obnupto galea capite, scuti inops, libratum clave robur in obiecta clypearum munimina gemine manus ope torquebat. Nec erat ullum tante soliditatis obstaculum, quod non frust[r]atim adacte molis impulsus obtereret. Quo euenit, ut occursantem sibi in acie pugilem acriori

20 gestaminis impaccione subrueret. Victus tamen et in Helsingiam fuga delapsus, Vitolfum quendam, olim Haraldo militarem; saucii corporis *curam petiturus accessit. Hic, in castris maiore etatis parte consumpta, tandem in huius prouincie solitudinem post tristia ducis fata concesserat,

25 ibique rustice uite cultu consueta milicie studia relaxabat. Qui quod hostilibus sepe telis petitus fuerat, non infimani medendi periciam assidua uulnerum suorum curacione contraxerat. Si quis uero operam eius blandimentis exposceret, hunc medele loco occulte lesionis noxa afficere solitus

30 erat, aliquanto speciosius beneficia minis quam adulacione exposci iudicans. Idem Erici milites, penatibus suis occupandi Haldani cupidine imminentes, ita uidendi officio spoliauit, ut propinquas edes nec prospectu capere nec certis possent uestigiis indagare. Adeo luminum usum

35 nubilus quidam error obtuderat.

Cuius opera Haldanus uirium integritatem adeptus, adcito Thorone, conspeccioris ingenii pugile, Erico bellum denunciat. Quem cum productis e diuerso copiis, militum numero prestare conspiceret, occultatam agminis partem

40 inter propinquos uie frutices delitere precepit, hostem per

LXVb

p 321

angustiora semite compendia gradientem insidiis consumpturus. Quod preuidens Ericus, explorata progrediendi facultate, secessu utendum putauit, ne proposito incedens tramite, hostium dolis inter preruptos moncium urgeretur
 5 anfractus. Igitur apud conuallem arduis moncium iugis utrinque conceptam mutuis viribus pugna conseritur. In qua Haldanus, inclinatam suorum aciem conspicatus, frequentem saxis rupem cum Thorone condescendit, indeque erutas moles in subiectum hostem deuoluit, quatunque pondere
 10 et ruina aciem in occiduo constitutam oppressit. Quo evenit, ut uictoriam, quam armis amiserat, cautibus recuperaret. Ob eius facti virtutem Biargrammi cognomen accepit, quod vocabulum ex moncium efferitatis nuncupatione compactum uidetur. Igitur apud Sueones tantus
 15 haberi cepit, ut magni Thor filius existimatus, diuinis a populo honoribus donaretur, ac publico dignus libamine censeretur.

Sed quoniam egre deuictorum ingenia quiescere solitum est, et in uetitum semper subactorum obliuetatur improbitas,
 20 accidit, ut Ericus, dum fuge damnis consulere studet, subiectas Haldano prouincias attentaret. Sed ne Daniam quidem ab hoc seuicie genero immunem reliquit, perquam dignum existimans eius lacessere patriam, per quem sua abactus fuerat. Ita dum iniuriam inferre quam repellere
 25 maluit, Suetiam armis hostilibus liberauit. Quippe cum Haldanus Haraldum fratrem ab eo tribus deuictum preliis, quarto occisum cognosset, amittendi imperii metu, relictis Sueonum agris, patriam repetere coactus est. Ita Ericus,
 30 quo facilius Suetie regnum deseruit, hoc celerius recepit.
 Quem si fortuna eque in retinendo regno ac recuperando instruere uoluisse, nequaquam Haldano prendendum dedisset. Cuius capcionis modus hic erat. Reuersus in Suetiam Haldanus, occultata per insidias classe, binis obuiam Erico nauigiis proficiscitur. A quo denis petitus.
 35 uariis nauigacionis reflexibus ad occultum suorum agmen relabitur. Quem longius inseguente Erico, Danica ponto classis emergit. Circumuentus itaque Ericus oblatum sibi sub seruendi condicione spiritum repudiauit, lucemque libertati preferre non passus, mori quam obsequi preoptauit,
 40 ne uite cupiditate ex libero seruus euadere uideretur aut,

p. 325

(123)

quem nuper fortuna equasset, nouo famulatus officio coleret. Adeo salutem dedecore mercari uirtus ignorat. Compeditus igitur et ad loca feris peruvia relegatus, indignum tanta animi maiestate exitum habuit.

- 5 Haldanus, gemini regni imperio potitus, opinionis sue titulum tribus honestatis gradibus decorabat. Erat enim condendorum patrio more poematum pericia disertus nec athletica minus uirtute quam regia potestate conspicuus. Audiens autem, uegectoris ingenii piratas Tokonem et
 10 Anundum circumpositis imminere prouinceis, maritima pugna tentatos oppressit. Nihil | enim ueteres claritate magis expetendum ducebant, quam non opum fulgor, sed armorum industria peperisset. Itaque sediciones amplecti, in-
 staurare lites, ocia fastidire, paci miliciam anteferre, uir-
 15 tutum, non rerum, estimacione censerri, plurimum uoluptatis in preliis, minimum in conuiuiis reponere clarissimis* quon-
 dam uiris cure extitit. LXVIa

Sed neque diu Haldano emulus defuit. Nam Syualdus quidam, claro ad modum loco natus, apud Sueonum con-
 20 cionem Frothonis ac coniugis eius exicio flebiliter memorato, tantum Haldani odium pene omnibus ingenerauit, ut pluri-
 morum suffragiis nouarum rerum licenciam assequeretur. Nec solo uocum fauore contentus, adeo plebis animum am-
 bicionis artibus occupauit, ut omnium fere manus ad
 25 regium insigne capiti suo imprimendum adduceret. Hic septem filios habebat, tanto ueneficiorum usu callentes, ut sepe subitis furoris uiribus instincti solerent ore toruum infremere, scuta morsibus attractare, torridas fance prunas absumere, extracta queuis incendia penetrare, nec posset
 30 conceptus demencie motus alio remedii genere quam aut uinculorum iniuriis aut cedis humane piaculo temperari. Tantam iltis rabiem siue seuicia ingenii siue furiarum ferocitas inspirabat. Quibus auditis Haldanus, ut erat
 35 circa piraticam occupatus, expedire militibus dixit, ut, qui in exteros hactenus deseuerint, nunc ciuium uisceribus ferrum adigant, ereptique regni iniuriam propulsent, qui dilatandi curam gerere consueuerunt. Quo imminente Syualdus, missis ad eum legatis, iubet, si famam factis equaret et tantus re esset, quantus opinione censeretur,
 40 se suamque sobolem pugna solus excipiat, priuatoque peri-

culo publicum redimat. Eo deinde respondentे, legitime
 dimicacionis formam duorum numerum exceedere non
 debere, nil mirandum, inquit Syualdus, hominem celibem
 proleque uacuum oblatos detrectare congressus, cui inops
⁵ caloris natura deformis corporis animique frigus incusserit.
 Nec liberos ab eo diuersos existere, quem sue generacionis
 auctorem habuerint, quod ab ipso commune nascendi prin-
 cipium traxerint. Ita se ac filios unius hominis loco |
¹⁰ censendos esse, quibus ueluti unum corpus a natura tri-
 butum uideatur. Cuius conuicii rubore permotus Haldanus,
 prouocacioni parere cepit, tam contumeliosam celibatus
 exprobracionem egregiis uirtutis operibus pensaturus.
 Cumque per opacam forte nemoris indaginem graderetur,
¹⁵ herentem obiter querum humo radicitus eruit, solisque
 spoliatam ramis in solidam clauem speciem transformauit.
 Quo gestamine fretus, tali carmen breuitate compegit:

En rude, quod gerimus obnixo uertice, pondus
 Vulnera uerticibus exciumque feret.
 Sedneque frondosi gestamen roboris ullum
²⁰ Omine Götenses horridiore premet.
 Ardua comminuet nodosi robora colli,
 Et caua siluestri tempora mole teret.
 Claua quidem seuum patrie domitura furorem
 Nulla magis Suetis excialis erit;
²⁵ Ossa domans, lacerosque nirum libranda per artus
 Impia prerupto stipite terga premet,
 Cognatos pressura lares, fusura cruentem
 Ciuis, et in patriam perniciosa lues.

His dictis Syualdum cum septem filiis attentatum, acerrimas
³⁰ eorum uires eximia clauē mole frustratus, excio tradidit.
 Ea tempestate Harthbenus quidam, ab Helsyngia
 ueniens, raptas regum filias stupro fedare glorie loco
 ducebatur, illum perimere solitus, a quo peragende Veneris
³⁵ usu prohiberetur, illustres nupcias humilibus preferens,
 tantoque se clariorem existimans, quanto splendidiores
 concubitus per uim assequi potuisset. Nec ulcionem
 effugit, qui se ei comparacione uirtutis equare presumeret.
 Tanta uero corporis magnitudine erat, ut .IX. cubitis pro-

ceritatis eius dimensio tenderetur. Huic duodecim athlete contubernales fuere, quibus officio erat, quocies illi presaga | pugne rabies incessisset, uinculorum remedio oborti furoris impetum propulsare. Ab his Haldanus Harthbenum 5 eiusque pugiles uiritim impetere* iussus, non solum certamen spopondit, sed etiam uictoram sibi ingenti uerborum fiducia promisit. Quo auditio Harthbenus, repentinu*m* furiarum afflatu correptus, summas clypei partes morsus acerbitate consumpsit, igneos uentri carbones mandare non 10 destitit, raptas ore prunas in uiscerum ima transfudit, crepitancia flammarum pericula percurrit, ad postremum, omni seuicie genere debacchatus, in sex athletarum suorum precordia furente manu ferrum conuertit. Quam insaniam illi pugnandi auditas an nature ferocitas attulit, incertum 15 est. Haldanum deinde residua pugilum manu petiuit. A quo mire granditatis malleo contusus, uita ac uictoria caruit, deditque penas et Haldano, quem prouocauerat, et regibus, quorum sanguine per uim potitus fuerat.

At quoniam Haldano fors inopinas pugne causas porri-
20 gere censueuit, quasi numquam uirium eius experimentis contenta, accidit, ut Egtherus Fynnensis piratico Sueones molestaret incursu. Quem Haldanus ternis adortus nauigiis, (nam et ei totidem esse compererat) cum, nocte prelium finiente, debellare non posset, postera die ex prouocacione 25 secum decernentem oppressit. Deinde cum Hatheri reguli filiam Thorildam a Grimmone, eximiarum uirium athleta, sub duelli comminacione expeti comperisset, edictumque a patre esset, potitum ea, qui pugilem amouisset, quamquam ad senectutem celebs peruererat, non minus reguli 30 promissione quam athlete petulancia concitatus, Noruagiam petit. Qua inita cunetas agnicionis sue notas adulterina oris illuuie respergens, ut pugne locum accessit, prior ensem destringit. Quem ad hostilem sciens obriguisse conspectum, humi deiecit, alioque | uagina submoto Grim-
35 monem appetens, extremos lorice nexus cum occidua clypei parte persecuit. Quod factum Grimmio admiracione persecutus, Vetulum, inquit, acrius dimicantem non memini; statimque ferrum exerens obiectam gladio parmam penetrabili seccione conuulsit. Cuius immorantem ictui dextram 40 Haldanus nihil hesitans obuia ferri celeritate corripuit.

p. 323

LXVI^b

p. 329

Ille, nihilominus leua gladium stringens, ferientis femur transegit, mutilati corporis ulcionem exiguo uulnere prosecutus. Victor Haldanus uicto residuum uite pecunia redimendi potestateim fecit, ne imbelli et manco miseras anime reliquias deformiter adimere uideretur. Quo facto tantum se pene in seruando hoste egit, quantum gesserat in uincendo. Cuius uictorie premium Thorilde nupciis assecutus, filium ex ea Asmundum sustulit, a quo se Noruagie reges originem duxisse magni estimant, ab 10 Haldano solennem generacionis sue seriem retexentes.

Post hec cum Ebbo, pirata plebeii generis, ad splendida coniugia capessenda uirtutis fiducia concitatus, Sygrutham, Gothensium regis Vnguini filiam, postularet, ac preterea Gothicis regni dimidium in dotem expeteret, super 15 matrimonii admissione consultus, consensum falso spondendum monuit, || seque nupcias frustraturum promisit. Quin eciam sedendi locum sibi inter conuiuarum discubitus assignari precepit. Probante consilium Vnguino, omnem regie dignitatis speciem peregrina corporis deformatitate 20 corrumpens, noctuque nupciis superueniens, occurrentibus formidini fuit, maiorem humano habitu uirum aduenisse mirantibus. Qui mox, ut regiam intrauit, circunspectis omnibus, querit, quis proximum regi discubitum occupuerit? Ebbone deinde, futurum Vnguini generum eius lateri 25 coniunctum, dicente, per summam uerborum iracundiam percontatur, qua uesania quibusue furiis eo petulancie ad ductus sit, ut despicabiles generis sui sordes eximie nobilitatis splendori miscere presumat, rusticisque manus regie genti inserere audeat, nec id quidem expetere contentus, 30 eciam alieni regni consorciuム captare uideatur. Deinde eum ferro secum decernere iubet, non prius uoto quam uictoria potiturum. Quo, nocturnum monstris certamen, diurnum hominibus congruere, respondentē, ne temporis excusacione pugna abnui posset, lune splendore diem 35 equari perhibuit. Taliter adactum pugne Ebbonem, con uiuio in spectaculum nerso, prostrauit, nupciasque exequiis mutauit. Qui interiectis annis in patriam decedens, cum sine liberis esset, regias opes Vnguino testamento legauit eumque regem constituit.* Hic post modum ab emulo, cui Re- 40 gnaldo nomen erat, bello oppressus, filium Syualdum reliquit.

(125)

p. 330

LXVII.

Huius filia Syritha adeo spectate pudicicie erat, ut, cum ob forme pulcritudinem ingenti procorum frequencia peteretur, ad neminem ex eis inspectandum adduci posse uideretur. Cuius continencie fiducia a patre coniugem 5 depoposcit, qui delenimentorum dulcedine mutuum eius conspectum impetrare quisiſſet. Olim siquidem apud nos puellarum continencia magnoperc uisus petulanciam edomare solebat, ne mentis integritas oculorum libertate corrumperetur, affectabaturque, ut cordis castimoniam | oris p. 331
 10 modestia fateretur. Tunc Otharus quidam, Ebonis filius, siue gestarum rerum magnitudine siue comitatis et facundie fiducia accensus, pertinacius postulande uirginis ignibus estuabat. Cuius obtutum omnibus ingenii neruis emollire connisus, cum demissum oculorum eius habitum
 15 nulla penitus arte flexisset, inuicte seueritatis perseueranciam miratus abscedit. Eiusdem rei cupidus gigas, cum eque se effectu uacuum animaduerteret, feminam subornat, que cum, obtenta uirginis familiaritate, eius aliquandiu pedissequam egisset, hanc tandem a paternis procul pena-
 20 tibus, quesita callidius digressione, seduxit; quam ipse mox irruens in arcciora montane crepidinis septa deuexit. Opinantur alii, quod femineam mentitus effigiem, cum insidiosa artis protraccione domesticis puellam edibus abduxisset, partes demum raptoris impleuerit. Quod ut comperit Otharus,
 25 indagande uirginis gracia montis penita perscrutatus, inuentam, oppresso gigante, secum abduxit. Adeo autem gigantea sedulitas puelle cesariem nexili comarum astrictione reuinixerat, ut pilorum perplexa congeries crispata quadam coherence teneretur, nec facile preter ferrum quis
 30 posset consertos crinum extricare complexus. Denuo igitur uariis rerum irritamentis aggressus puellarem in se prouocare conspectum, cum diu torpentes nequicquam oculos attentasset, proposito parum ex sentencia cedente, ceptum reliquit. Sed neque puellam stupro uiolare susti-
 35 nuit, ne splendido loco natam obscuro concubitus genere macularet. Que cum uarios solitudinum anfractus diuicius errabunda percurreret, contigit, ut ad siluestris cuiusdam immanisque femine tugurium perueniret. A qua pascendi caprarum gregis officio deputata, cum denuo per Otharum
 40 libertatis auxilium impetrasset, talibus eius tentatur alloquiis:

Num meis mauis monitis adesse
Et pares uotis sociare nexus,
Quam gregi presens olidisque curam
Ferre capellis?

5 Impie dextram domine refelle,
Et trucem preceps fugito magistrum,
Vt rates mecum socias reuisens
Libera degas.

10 Linque commisso studium bidentis,
Sperne caprinos agitare gressus,
Et thori consors refer apta nostris
 Premia uotis.

O michi tantis studiis petita,
Torpidos rursum radios reflecte;
Paululum motu facili pudicos
Erige uultus.

Ad lares hinc te statuam paternos,
Et pie letam sociabo matri,
Si semel blandis agitata uotis
Lumina pandas.

Quam tuli claustris tocies gigantum,
Confer antiquo meritum labori,
Et graues rerum miserata nisus
Parce rigori.

25 Quare etenim cerebrosa adeo dementire cepisti, ut
alie[n]um ductare pecus, et in monstrorum famulicio numerari preoptes, quam pari consensus aptitudine mutuum
thori promouere contractum? Illa nihilominus, ne pudice
mentis constancia ad externos titubaret aspectus, luminum
30 habitum immoto palpebrarum rigore continuit. Quante
porro pudicicie seculi illius feminas extitisse putemus, que
ne ad leuem quidem oculorum motum maximis amatorum
irritamentis adduci potuerunt? Cum ergo Otharus ne
gemini quidem beneficii meritis uirgineum in se uisum
35 concitare quiuisset, pudore et egritudine fatigatus classem

repeciit.* Cumque Syritha, more pristino decursis late scopolis, iu Ebonis forte sedes erronea peruenisset, nuditatis et inopie rubore egencium se filiam astruebat. Anmaduertens autem hanc Othari mater, quamuis marcore illitam inopique coniectam amiculo, a generosis pullulasse ramalibus, honorato sedendi loco susceptam reuerenda secum comitate detinuit. Nobilitatem quippe uirginis index forma prodebat, et uultu genus interprete resultabat. Quam uidens Otharus, cur uultum peplo obscuraret, inquirit.

10 Cuius animum cercius experturus, nupturam sibi feminam fingit, eiusque thorum concendens, lucernam Syrithe gestandam committit. Que cum, absumptis pene lychnis, admoto proprius igne premeretur, tantum pacientie specimen prebuit, ut manum absque motu continere uisa, nullam

15 ardoris molestiam sentire crederetur. Externum quippe estum cohibebat interior, et pruritantis animi feroe aduste cutis incendum temperabat. Que demum ab Otharo manui consulere iussa, placidos in eum obtutus uerecunda lumen ereccione conuertit, statimque, semo^{to}to nupeiarum p. 334 figmento, genialem thorum nuptura concendit. Cumque post modum Syualdus comprehensum Otharum ob illatum filie stuprum suspendio consumendum duxisset, continuo Syritha, raptus sui casibus explicatis, non solum eum in regis graciam reduxit, sed eciam patrem ad eius sororem

20 matrimonio sibi copulandam adduxit.

Post hec inter Syualdum Regnaldumque, exquisite probitatis militibus utrobique delectis, apud Sialandiam prelum agitur. In quo cum, triduo mutuis cedibus exacto, ob summam utriusque partis uirtutem incerti uictorie pro-
30 cursus existerent, Otharus, siue diutine pugne tedio siue glorie emulacione correptus, cum mortis contemptu confertissimos hostes irrumpit, Regnaldoque inter fortissimas militum acies obtruncato, subitam Danis uictoram peperit. Insigne hoc prelum maximorum procerum ignauia fuit.
35 Adeo siquidem rei summa perhorruit, ut fortissimi Sueonum .XL. terga fuge dedisse dicantur. Quorum precipiuus Starcatherus, nulla seuicia rerum aut periculorum magnitudine quati solitus, nescio qua nunc obrepente formidine sociorum fugam sequi quam spernere preoptauit. Credi-

40 derim hunc metum ei diuinis uiribus iniectum, ne supra

humanam fortitudinem uirtute sibi preditus uideretur. Adeo nihil perfecti mortalium felicitas habere consueuit. Tunc hi omnes maximi piratarum Hakonis, quasi quedam belli reliquie ad eum delapse, commilicium amplectuntur.

⁵ [De Sigaro rege, a quo villa Syersted nomen accepit.]

Post hec Syualdo filius Sygarus succedit, cui filii Syualdus, Alf et Algerus fuere, filiaque Sygne. E quibus Alf, ceteris animo formaque prestancior, || piraticis incumbebat officiis. Cuius | eciam insignem candore cesariem ⁽¹²⁷⁾ p. 335
10 tantus come decor asperserat, ut argenteo crine nitere putaretur. Eodem tempore Gothorum rex Syuardus filios habuisse fertur Wemundum et Ostenum, filiamque Aluillam, que tantam uerecundie fidem ab ipsis prope modum incunabulis preferebat, ut os peplo iugiter obnuptum 15 haberet, quo minus formam suam aliene libidinis irritamentum efficeret. Huic pater in arctam ad modum custodiam relegate uiperam anguemque educandos commisit, pudiciciam eius adulorum tandem reptilium custodia uallaturus. Neque enim facile thalamus inuestigari poterat, 20 quem tanti discriminis pessulum obserabat. Statuit eciam, ut si quis eius aditum frustra tentasset, protinus amputandum caput paloque refigendum preberet. Ita annexus petulancie metus concitata iuuenum ingenia castigabat. Tunc Alf, Sygari filius, rem hoc illustrius, quo periculosius, 25 tentandam existimans, proci titulum professus, animalia propter uirginis conclave excubancia debellare iubetur, quod edicti racione eorum uictori uirgineus deberetur amplexus. Quorum ut acrius aduersum se rabiem excitaret, cruenta corpus pelle contexit.* Qua succinctus, mox ut ^{LXVIII^a} 30 septi ualeras subiit, torridam calibem forcipe comprehensam hiantis uipere faucibus immersit, eamque exanimem prostrauit. Anguem deinde, sinuosa uolubilitate prolapsum, inter medios rictus telum iaculatus absumpsit. Cumque pacti condicione connexum uictorie pignus expeteret, refert 35 Siuardus, hunc sibi generum acceptari, in quem filia solidum opcionis arbitrium contulisset. Cumque sola puelle mater proci uotum difficulter exciperet, mentem filie secreto perlustrat alloquio. Qua procum impensius ob uirtutem laudante, conuiciis eam acrius lacerat, quod elisis 40 pudicitie neruis specierum illecebra caperetur, omissaque

uirtutis censura adulantibus forme blandiciis lascie mentis
intuitum exhiberet. Ita Aluilda ad Danici iuuenis con-
temptum adducta, uirili ueste feminineam permutauit, atque
ex pudica ad modum puella ferocem piratam agere cepit.
5 Compluribus quoque eiusdem uoti puellis in commilicium
adicitis, eo | forte loci peruenit, ubi piratarum agmen
amissi bello ducis interitum deplorabat. A quibus ob
forme puleritudinem piratice princeps creata, maiores
muliebri uirtute res edidit. Quam Alf crebris nauigacionis
10 laboribus insectari conatus, in Blacmannorum forte classem
hyeme incidit. Quo tempore densatis aquarum coactibus
tanta glaciei moles naues corripuit, ut eis nulla remigandi
uis processum struere potuisset. Cumque frigoris diutur-
nitas tuciorem conclusis sponderet incessum, iubet Alf
15 suos concretum pelagi sinum caligatis tentare uestigiis,
calceorum lubricitate deposita, glaciale planum firmius
percursuros. Quos Blacmanni succincta pedum agilitate
fuge consulere rati, inita cum eis pugna, uacillantibus
nimis[r]um cessere uestigiis, utpote quorum ancipites gradus
20 subiectum plantis lubricum impellebat. Dani uero, crusta-
tum algore pelagus passu tuciore permensi, infirmos hostium
elisere progressus. Quibus deuictis, nauigacionem in Fin-
niā uertunt. Vbi contracciorem forte sinum ingressi,
missis, qui rerum habitum explorarent, paucis nauibus
25 portum occupari cognoscunt. Aluilda quippe easdem fau-
cium angustias prior classe petiuerat. Que cum ignotas
eminus puppes adesse consiperet, prepeti remigio uelox
in eorum defertur occursum, irrumpere hostem quam
opperiri sacius iudicans. Tunc Alf, prohibentibus sociis,
30 plures naues paucioribus attentari, indignum respondit, ut
Aluilde quis perforat, paucarum puppium obiectu pro-
cursus sui studia deturbari, prefatus, parue rei momento
magnorum operum titulos respergendos non esse. Nec
parua Danis ammiracio fuit, unde hostium corporibus talis
35 forme decor, tantaque membrorum aptitudo suppeteret.
Vt ergo naualem committere pugnam ceperunt, *(Alf)*
iuuenis Aluilde proram insiliens in puppim usque, facta
resistencium strage, progreditur. Cuius comes Borcarus,
decussa Aluilde galea, mentique eius lenitate conspecta,
40 animaduertit, osculis, non armis agendum esse, telorumque

p. 336

p. 337

rigore deposito, blandioribus || hostem officiis attrectandam. (128)
 Igitur Alf, quam terra marique, tot obstantibus periculis,
 indefesso labore quesierat, supra spem offerri gauisus,
 cupidius apprehensam, uirilem cultum in muliebrem con-
 5 uertere coegit; ex qua post modum filiam Guritham pro-
 creauit. Sed et Borcarus Aluilde comitem, Gro nomine,
 matrimonio complexus, filium ex ea Haraldum suscepit,
 quem sequens etas Hyldetan cognominauit.

Et ne quis hunc bellis sexum insudasse miretur, que-
 10 dam de talium feminarum condicione et moribus compendio
 modice digressionis expediam. Fuere quondam apud Danos
 femine, que formam suam in uirilem habitum conuertentes
 omnia pene temporum momenta ad excelen-
 15 tam miliciam conferebant, ne uirtutis neruos luxurie con-
 tagione hebetari paterentur. Siquidem delicatum uiuendi
 genus perose corpus animumque pacientia ac labore durare
 solebant, totamque feminee leuitatis molliciem abdicantes
 20 mulicbre ingenium uirili uti seuicia cogebant. Sed | et p. 338
 tanta cura rei militaris noticiam captabant, ut feminas
 exuisse quiuis putaret. Precipue* uero, quibus aut ingenii LXVIII
 uigor aut decora corporum proceritas erat, id uite genus
 incedere consueuerant. He ergo, perinde ac natue con-
 25 dicionis immemores, rigoremque blandiciis anteferentes,
 bella pro basiis intentabant, sanguinemque, non oscula
 delibantes, armorum pocius quam amorum officia frequen-
 tabant, manusque, quas in telas aptare debuerant, telorum
 obsequiis exhibebant, ut iam non lecto, sed leto studentes
 30 spiculis appeterent, quos mulcere specie potuissent. Nunc
 a diuerticulo propositum repetam.

Veris inicio, cum Alf et Algerus, repetitis piratice
 operibus, uaria pelagus nauigacione tentarent, in Hamundi
 reguli filios Helwin, Hagbarthum et Hamundum centenis
 incidere nauigiis. Quibus illato prelio, cum fessas cede
 35 dextras sola crepusculi caligo dirimeret, noctu militi fedus
 imponitur. Quod postero die perpeti inuicem iure firma-
 tum est, tanto uulnere hesterna pugna utrobique suscepto,
 ut nulla renouandi certaminis facultas existeret. Ita, quos
 par uirtus exhausit, necessitas in pacem coegit. Per idem
 tempus Hildigisleus, claro Teutonum loco ortus, forme et
 40 nobilitatis fiducia Sygnem Sigari filiam postulabat. Apud

quam maximum ei contemptum obscuritas peperit, quod fortitudine vacuus aliena probitate fortunam instruere uideretur. Precipue eandem in amorem Hakonis magnalium eius spectata deflexit opinio. Quippe maiorem 5 forcium quam mollium respectum agebat, nec forme, sed operum insignia mirabatur, sciens, omne decoris blandimentum sola uirtutis estimacione sordescere, nec equa illi lance conferri. Sunt enim puelle, quo pocius amatorum claritate quam specie capiuntur, quasque, non oris, sed 10 mentis habitum estimantes, in alternum copule uotum solus animi respectus accendit. Hagbarthus uero, cum Sigari filiis Daniam petens, iisdemque ignaris sororis eorum alloquio potitus, tandem eam ad clandestini concubitus promissionem fide sibi obligandam adduxit. Que post 15 modum, forte pedissequis insignes procerum titulos conferentibus, Hildigisleo Hakonem pretulit, in illo nihil preter speciem laudabile reperiri, in isto oris lituram animi flore pensari testata. Nec eum simplici laudacionis genere extulisse contenta, tali concentu usa perhibetur:

20 Hic candoris inops prima probitate relucet,
Vultum uigore meciens.
Nam damnum rigide redimit mens ardua forme,
Mendamque uincit corporis.
25 Corde micat species, facies feritate iuuatur,
Ipso rigore precluis.
Nec candore beat mentem, sed mente colorem
Morum seuerus arbiter.
Huic precium non forma facit, sed forcior ausus
30 Armisque parca claritas;
Ast illum capitis decor approbat et nitor oris
Vertexque crine fulgidus.
Sordet inane decus forme, confunditur in se
Fallax decoris dignitas.
35 Disparibus studiis *species* uirtusque reguntur,
Hec perstat, illa deperit.
Importat uicium uacuus color; hunc leuis anni
Fluxus gradatim dissipat.
Ast probitas meliore loco sua pectora firmat,
36 Nec lapsa prorsus excidit.

Exteriore bono vulgaris fallitur aura,
 Rectique normam negligit;
 At michi censura uirtus pociore probatur,
 Spreta decoris gracia.

LXIX.

Que uox ita ad astancium aures delapsa, ut Hagbarthus Hakonis laudari uocabulo putaretur. A qua cum Hildegisleus Hagbarthum sibi prelatum dolenter tulisset, Bolwismum quendam luminibus captum muneribus illicit, qui Sygari et Hamundi filios ad amicicias odio permultimo adduceret. Rex quippe Sigarus senum duorum, quorum alter Bolwius erat, consilio cuncta fere gerere consueuerat. Horum tam discors ingenium fuit, ut alter inimiciciis dissidentes in graciam reducere solitus esset, | alteri eure foret amicicia iunctos odio sequestrare et simulatum pestes alternis uentilare dissidiis. Primum itaque Bolwius apud Sygari filios Hamundi sobolem pleno obtreacionis mendacio lacerabat, affirmans, eam numquani fida pace societatis iura seruare solitam, bello pocius quam federe continendam. Itaque iuuenum paccione perrupta, ^{p. 341} Helwin et Hamundus, Hagbartho procul agente, Sigari filiis Alf et Algero, prelium inferentibus, apud portum, qui Sinus Hamundi dicitur, opprimuntur. Quos Hagbarthus post modum integris uiribus superueniens in ulcionem fratrum bello consumpsit. Hildigis[i]leus ambas nates telo traiectus elabitur. Que res insectandorum risu Teutonum occasio extitit, quod opprobrii nota plage deformitas non careret.

Post hec Hagbarthus muliebri corpus cultu instruens, tanquam Sigari filiam fraterna clade non leserit, solitarius eam accepte promissionis fiducia repetit, plus securitatis ex ipsis fide, quam suo facinore formidinis contrahens. Adeo libido periculum contemnit. Et ne profecctioni causa deesse uideretur, pugnacem Haconis famulam profitendo, legacionem eius ad Sigarum perferre se dixit. Cumque noctu inter pedissequas cubitum reciperetur, pedesque ei ab ancillulis lauandi officio pertergerentur, interrogatus, quid hispidis adeo cruribus esset manusque parum blandi contactus haberet, hoc modo respondit;

Quid miri tenerum nobis durescere subtel,
 Et longos hirto crure manere pilos,
 Cui plantas tocies subiecta relisit harena,
 Et uepres medium corripuere gradum?
 5 Nunc saltu nemus experior, nunc equora cursu,
 Nunc mare, nunc tellus, nunc iter unda michi.
 Sed neque ferratis conclusum nexibus uber,
 Aut iaculis solitum missilibusque premi,
 Ad tactum uestro potuit mollescere ritu,
 10 Quas chlamydis tegmen aut toga leuis habet.
 Nec colus aut calathi, sed cede madencia tela
 Officium nostre composuere manus.

p. 342

Cuius affirmacionem Signe consentaneo dissimulacionis (130)
 genere prosequi non morata, par esso refert, manus uulnera
 15 sepius, quam uellera, pugnam quam pensa tractantes con-
 sentaneam officio preferre duriciem nec tractabili femina-
 rum mollitudine eneruem leuitatis speciem alienis contacti-
 bus exhibere. Quippe eas partim bellico labore, partim
 nauigandi consuetudine duratas esse. Neque enim bella-
 20 tricem Haconis uernulam muliebribus inseruire negociis,
 sed iaculandis hastis torquendisque missilibus oblitam
 cruore dexteram afferre consueuisse. Quamobrem miran-
 dum non esse, plan*tas ingenti itinerum emensione duratas,
 quasque decursa tocies littora scabris lapidum fragmentis
 25 obtruerint, calloso rigore lentescere nec parem earum
 teneritudini contactum pre se ferre, quarum uestigia digres-
 sus expercia aulicis iugiter liminibus includantur. Quam
 cum Hagbarthus, perinde ac honoraciorem cubandi locum
 30 habiturus, thori sociam recepisset, inter mutue uoluptatis
 colloquia talibus sensim orsis compellat:

LXIX^b

Si captum genitor tuus
 Me tristi dederit neci,
 Nunquid coniugii fidem,
 Tanti federis immemor,
 Post fatum repetes meum?
 35 Nam si sors ea cesserit,
 Haud spero uenie locum;
 Nec parcens miserebitur

Vlturus sobolem parens.
 Nam fratres necui tuos,
 Priuatos ope nautica,
 Et nunc te, patre nescio,
 5 Ac si nil prius egerim
 Votis illius obuiam,
 Communi teneo thoro.
 Dic ergo, Venus unica,
 10 Quam uoti speciem feres
 Complexu solito carens?

Ad hec Sygne:

Me crede tecum, care, uelle commori,
 Si sors exicci pretulerit uicem,
 Nec ulla uite prorogare tempora,
 15 Cum te mors tumulo tristis adegerit.
 Nam si supremam forte lucem clauiseris,
 Lictorum rabido subditus ausui,
 Quocunque leto prefocetur halitus,
 Morbo seu gladio, gurgite uel solo,
 20 Omnis petulce labis ignes abdico,
 Et me consimili deuoueo neci,
 Vt quo idem fedus thori reuinixerat,
 Idem supplicii contineat modus.
 Nec hunc, necis sensura penas, deseram,
 25 Quem dignum Venere constitui mea,
 Qui prima nostri carpsit oris oscula,
 Et floris teneri primicias tulit.
 Nullum puto uotum futurum cercius,
 Siquid feminea uox fidei gerit.

Que uox ita Hagbarthi animum uegetauit, ut plus
 uoluptatis in eius promisso, quam periculi in sua digres-
 sione reponeret. Qui cum, ab ancillulis proditus, a Sigari
 lictoribus oppugnaretur, diu se strenuua pugna defendit,
 compluresque ex eis in aditu trucidauit. Comprehensus
 30 tandem et ad concionem perductus, diuersa plebis suffragia
 expertus est. Siquidem complures supplicium ab eo tam
 grauis iniurie exigendum dicebant; sed Bilwicus, Bolwisi
 frater, aliique, sentencie pocioris auctores, pocius strenuua

ei⁹ opera utendum, quam crudelius in eum consulendum
monebant. Tunc subiens Bolwisis iniqua affirmabat consilia,
que regem, cum ulcione uti debeat, ignoscere iubeant,
et iustum iracundie motum indigna miseracione deleniant.
5 Quo enim pacto Sigarum circa hunc parcendi miserendue
studio moueri posse, a quo non solum gemino filiorum
solacio spoliatus, sed || eciam corrupte filie contumelia
respersus videatur? Quam sentenciam maiore concionis
parte suffragiis prosequente, damnatur Hagbarthus, stipes-
10 que eum excepturus erigitur. Quo euenit, ut, qui prius
nullum pene *triste suffragium habuerat, omnium seuicia
muletaretur. Quem regina mox, porrecto poculo sitim
lenire iussum, tali minarum infliccione sollicitat:

(131)
p. 344XLIX^a

Nunc insolens Hagbarthe,
Quem morte dignum concio
Adiudicauit omnis,
Sitis fugande gracia
Ori dabis bibendum
Cypho liquorem corneo.
Ob hoc, metum refutans,
Vite supremo tempore
Audacibus labellis
Letale liba poculum,
Quo potus inferorum
25 Mox applicere sedibus,
Iturus in reclusam
Ditis seueri regiam,
Patibuloque corpus,
Orco datus spiritum.

30 Tunc iuuenis, oblatum apprehendens poculum, tale
fertur intulisse responsum:

Hac gustum capiam manu supremum,
Extreme quoque pocionis haustum,
Qua natos tibi sustuli gemellos.
35 Iam non Elisios inultus axes,
Non impune truces adibo manes.
Nam nostro prius hos peracta nisu
Clades Tartareis reclusit antris.

Hec uestro maduit cruore dextra,
 Hec proli teneros ademit annos,
 Quam luci tua procreauit aluus,
 Cui tunc nec funebris pepercit ensis.
 Infamis mulier, furensque mente,
 Infelix genitrix et orba natis,
 Sublatum tibi nulla reddet etas,
 Nec tempus redimet, diesue queuis
 Demptum letifero rigore pignus.

10 Ita mortis comminacionem interfectorum a se iuuenum
 exprobracione ultus, reiecto in reginam poculo, os eius
 sparso meri liquore suffudit.

Interea Sygne deflentes famulas, an sibi ceptorum
 socie fieri paterentur, interrogat. Ille, quicquid domine
 15 uoti incederet, suis spondent effectibus exequendum. Pro-
 missioni fides adiecta est. Deinde lachrymis suffusa, quem
 unice thori consortem habuerit, fato insequi uelle se dicit,
 iubetque, mox ut signum e specula datum esset, faces
 20 thalamo subdi, deinde laqueos ex peplis fieri, hisdemque
 fauces, pulso pedum fulcimine, strangulandas preberi.
 Assencientibus, quo minorem mortis metum haberent, me-
 rum propinat. Post hec Hagbarthus ad montem, qui post
 modum ab ipso uocabulum traxit, suspendio consumendus
 adducitur. Tunc, experturus amasie fidem, amiculum suum
 25 a lictoribus suspendi precepit, uoluptati sibi esse prefatus,
 si propinque mortis instar alicuius spectaculi imagine perui-
 disset. Quo impetrato, specule custos, id circa Hagbarthum
 peragi ratus, conclusis intra aulam puellis conspecta denun-
 ciat. Que, mox datis || incendio tectis, subiecta pedibus
 30 robora depellentes, gulas laqueis obtorquendas dederunt.
 Igitur Hagbarthus, regiam igni implicatam conspiciens ac
 notum conflagrare cubiculum, plus leticie se ex amice fide,
 quam meroris ex propinqua morte sentire perhibuit. Quin
 eciam astantes ad necem sibi inferendam hortatus, in quam
 35 paruo momento fatum poneret, huiusmodi carmine prote-
 statur:

Ocius, o iuuenes, correptus in aera tollar.
 Dulce michi, nupta, est post tua fata mori.

Aspicio crepitus et tecta rubencia flammis,
 Pollicitusque diu pacta reuelat amor.
 En tua non dubiis completur paccio uotis,
 Cum uite michi sis interitusque comes.
 Vnus erit finis, unus post federa nexus,
 Nec passim poterit prima perire Venus.
 Felix, qui tanta merui consorte iuuari,
 Nec male Tartareos solus adire deos.
 Ergo premant medias subiecta tenacula fauces;
 Nil, nisi quod libeat, pena suprema feret,
 Cum restaurande Veneris spes certa supersit,
 Et mors delicias mox habitura suas.
 Axis uterque iuuat; gemino celebrabitur orbe
 Vna animi requies, par in amore fides

Ecce enim, oblatum libens discrimen accipio, cum ne
 apud manes quidem amor ipse participis sui complexum
 deperire patiatur. Et cum dicto lictorum opera laqueo
 profligatur. Et ne cuiquam antiquitatis uestigia prorsus
 exoleuisse credantur, predicte rei fides presentibus locorum
 indiciis exhibetur, cum et Hagbarthus pago uocabulum
 extinctus intulerit, nec longe a Sigari oppido locus pateat,
 ubi plano paululum agger elacior | ueteris fundi instar
 protuberantis humi specie[m] demonstrat. Sed et quidam
 Absaloni, trabem se eo loci repertam uidisse, narravit,
 quam agrestis uomere glebam rimatus offendit.

p. 347

His auditis Hako Hamundi filius, cum in ulcione(m)
 fratrum arma ab Hiberniensibus in Danos translaturus ui-
 deretur, ab Hakone Syelandico, Wigeri filio, Starchateroque
 deseritur, quorum post Regnaldi necem ad id usque tem-
 pus auxiliis utebatur. Alter siquidem familiaritatis, alter
 originis intuitu mouebatur, diuersaque racio par ambobus
 studium peperit. Hakonem namque ab inuasione patrie
 pietas deturbauit, quod, ceteris aduersum exteris bellum
 gerentibus, ipse cum ciuib[us] preliaturus uideretur. Starca-
 therus uero, quod Sygari senilis hospicio usus fuerat,
 hostem agere supersedebat, ne bene meritum iniuria affi-
 cere putaretur. Tantum enim quidam hospitalitatis gracie
 deferunt, ut ad molestiam eis inferendam adduci non possint,
 quorum se quandoque humanitatis officia expertos memi-

nerint. Sed et Hako, plus damni in fratrum nece quam
 pugilum defecione reponens, in portum, qui Danice Her-
 wig, Latine Exercituum sinus dicitur, classe collata, militem
 exponit, pedestremque aciem instruit, quo loci nunc oppi-
 dum ab Hesberno constructum, munimine suo presidium
 accolis facit aditumque barbare feritatis eliminat. Deinde
 sparsis trifariam copiis, geminam nauium partem, paucis
 remigio destinatis, ad Susam amnem premit, que per
 obliquos aluei flexus ancipiti nauigacione progrediens, pe-
 ditibus, si res posceret, subsidium ministraret. Ipse cum
 residuis pedestri itinere facto, siluestribus maxime locis,
 ne cerneretur, incessit. Que uia, crebris quondam oclusa
 nemoribus, nunc partim aratris apta tenui fruticum rari-
 tate preexitur. Et ne progressis in planum arboreum
 deesset umbraculum, raimalia ab eis incidi gestarieque pre-
 cepit. Preterea, nequid properantibus oneri foret, uestium
 partem ac uaginas abiici nudosque gladios deferri iussit.
 Ob cuius facti memoria eternum monti uadoque co-
 gnomen reliquit. Ita bi*nas uigilum staciones nocturna
 progressione frustratus, cum in terciam incidisset, mox
 speculator, insolitus facti contemplatus euentum, accesso
 Sygari cubiculo, stupende rei nuncium afferre se dixit,
 quod frondes ac frutices humano more gradientes aspiceret.
 Tunc percontatus rex, quantum nemoris distaret aduentus,
 ut propinquum esse cognouit, hoc monstro fatum sibi
 portendi subiunxit. Quo euenit, ut succisorum fruticum
 palus Letalis publico nuncuparetur eloquio. Igitur locorum
 angustias ueritus, relicto | oppido, conspeciorem soli plani-
 ciem prelio hostes excepturus petiuit. Idem apud locum,
 qui uulgo Walbrunna, Latine cadauerum uel stragis puteus
 appellatur, gesta infeliciter pugna, protritus extinguitur.
 Tunc Haco, uictoria in crudelitatem uersa, tanto facinore
 fortunam prosequi cepit, ut promiscue cedis auidus, nihil
 condicioni aut sexui deferendum putaret. Sed neque
 miseracionis aut uerecundie respectui indulxit, quo minus
 . femineo ferrum cruento respergeret matresque cum liberis
 communi stragis seuicia uiolaret.

His auditis Syualdus Sigari filius, cum paternis hac-
 tenus penatibus inhesisset, ultoris partes executurus exer-
 citum contrahit. Igitur Haco, multitudinis concursu con-

territus, cum tercia agminis parte in Herwig classem repetens, maritimo sibi discessu consuluit. Cuius collega Haco cognomine Fastuosus, plus fiducie in recenti uictoria, quam metus in Haconis absencia reponendum existimans, mortemque fuge preferens, residuum tutabatur exercitum. Itaque reductis paulisper castris, apud uillam Axelstadam naualem diutile prestolatus occursum, ueniencium tardius sociorum segniciem causabatur. Nondum enim ad destinatum portum immissa amni classis appulerat. Adeo autem Sigari clades Syualdique caritas promiscuos plebis animos incitabant, ut uterque se bello sexus impenderet, nec certamen crederes femineis caruisse presidiis. Postera luce Haco Syualdusque congressi, biduum extraxere pugna. In qua rebus atrocissime decertatis, utroque duce prostrato, Danorum reliquias uictoria decorauit. Nocte uero prelum insecura ad constituti portus receptaculum classis Susam rimata peruenit. Cuius alueum, quondam remigiis peruum, nunc solidioribus elementis concretum angustie limitant, ut uentante constrictio[n]is inercia rarus puppium admittatur ingressus. Diluculo naute, sociorum cadauera conspicati, funerandi ducis gracia, collem spectate magnitudinis extruunt, quem usque nunc opinione celebrem Haconis bustum fama cognominat. Quorum multitudinem Borcarus, cum Scanico repente equitatu adueniens, neci implicuit. Consumpto hoste, uacuas remigio rates instruens, Hamuudi filium anhela preceps celeritate persequitur. Cuius congressu habito, contigit Haconem, rebus infeliciter gestis, metu precipitem in Scotthorum patriam ternis euolare nauigiiis. Vbi decurso biennio defungitur.

Talia rerum bellorumque discrimina adeo regiam apud Danos gentem exhauserant, ut hanc ad solam Guritham, Alfi filiam, Sigari uero neptem, redactam esse constaret. Qui cum se consuete nobilitatis regimine defectos uiderent, regnum popularibus tradunt, creatisque ex plebe principibus, Ostmaro Scanie, Hundingo Sialandie procuracionem attribuunt; in Hanonem Fionie dominium conferunt; penes Roricum atque Haterum Iutie summam discreta potestate constituunt. Quare ne lateat, quo regum posteritas satore succreuerit, occurrunt quedam necessario paulisper perstringenda digressu. Ferunt fortissimum Suetonum Gun-

p. 350

p. 351

narum, olim ob grauissimas causas Noruagie infensum,
 lacessende eius licenciam precibus impetratam maximis
 exasperasse periculis, ac primum in Iather prouinciam
 propositos effudisse decursus; quam partim flammis, partim
 5 cedibus implicans, omissis rapinis, tantum obsitos cadaueri-
 bus calles ac fusas cruore semitas per*meare gaudebat.
 Nam cum ceteri iugulis abstinere predamque magis quam
 cedem affectare solerent, hic, spoliis seuiciam anteponens,
 funestum animi libitum humanis || potissimum cladibus
 10 exercebat. Cuius atrocitate permoti incole propinquum
 periculum publica dedicione preueniunt. Sed et rex Nor-
 manorum Regnaldus, ultime senectutis, auditio tyranni
 studio, filiam Drotam facto specu claudendam curauit,
 aptumque ei, prouisis in longum sumptibus, famulicum
 15 tribuit. Sed et gladios exquisita fabrorum opera decusatos
 cum regia supellectile pariter antro mandauit, ne ferri usum,
 quem sibi inhabilem uideret, hosti capiendum relinqueret.
 Et ne conspicua cauee pateret elacio, solidiori terre tumo-
 rem equabat. Ad bellum deinde profectus, cum senilibus
 20 membris in aciem descendere non posset, comitum innixus
 humeris alienis fulta gradibus uestigia proferebat. Igitur
 prelio cupidius quam felicius gesto consumptus, grauem
 ruboris causam patrie reliquit.

Vt enim Gunnarus deuicta gentis ignauiam inusitata
 25 condicionis deformitate multaret, rectoris loco canem eis
 preponi curauit. Quo facto quid aliud eum assequi uolu-
 isse putemus, quam ut plenus superbie populus insolenciam
 suam manifestius puniri cognosceret, dum obnoxios latrauti
 uertices inclinaret. Et nequid contumelie deesset, satrapas
 30 procurauit, qui sub eius titulo priuata ac publica negocia
 tuerentur. Cuius eciam iugi constantique custodie distin-
 ctos procerum ordines applicabat. Statuit insuper, ut si-
 quis aulicorum ducis sui despicabile duxisset obsequium,
 uariosque discurrentis incessus plenis ueneracionis obsequiis
 35 insequi supersedisset, membrorum clade supplicia lueret.
 Sed et geminum genti uectigal imposuit, unum autumnali-
 bus copiis, alterum vernali tempore persoluendum. Ita
 Noruagiensium tumore exploso obtentum est, ut liquidius
 fastus sui detrimenta cognoscerent, quem caninis adactum
 40 obsequiis uiderent.

LXX

(134)

p. 35

Audiens autem regis filiam longinquis occlusam latibulis, omnibus ingenii neruis ad eam inuestigandam contendit. Quo euenit, ut, dum ipse quoque lustrandi inter alios officio fungeretur, subterranei murmuris sonum dubia procul aure colligeret. Tunc sensim progressus cerciorem humane uocis habitum deprehendit. Cumque subiectam pedibus humum ad solidum fodi iussisset, subito patente cauea cuniculatos animaduertit anfractus. Trucidatis itaque famulis, dum detectos antri aditus tueri cupiunt, puella cum repositis inibi spoliis cauo extrahitur. Que rerum ad modum prouida patrios duntaxat enses secrecoris custodie tutamento tradiderat. Hec a Gunnaro stuprum pati coacta, filium procreat Hildigerum. Cui tanta paterne crudelitatis emulacio fuit; ut cedium semper appetens et humanis solum intentus excidiis, immensa fundendi cruoris cupidine suspiraret. Igitur ob intolerabiles seuicie mores a patre proscriptus, moxque ab Aluero ty|rannide donatus, finitimos bellis ac cedibus implicando omne etatis tempus armis exegit, nihilque exilio condicione ex consueto crudelitatis habitu remittens, animum cum loco mutare passus non est.

Interea Boecarus, Regnaldi filie Drote matrimonium per vim a Gunnaro occupatum expertus, coniuge eum uitaque priuat ac sibi Drotam connubio sociat. Que eciam egre nupcias assensa non est, quod parentis ultorem iure complexura uideretur. Neque enim lugentis patrem filie eius interactori uoluptuosus poterat obtemperare consensus. Huius Boecarique filius Haldanus fuit; cuius iuuente inicia stoliditatis opinione referta fuere, sequens uero etas fulgentissimis operum insignibus illustris euasit, maximisque uite ornamentis inclaruit. Adolescens pugilem ingenue fame, quod ab eo pueriliter ob ludens colapho percussus esset, gestamine, quod in manu habebat, petitum oppressit. Quo facto futuros operum titulos auspiciatu(s) preterite uite contemptum in amplissimum sequentis fulgorem conuertit. Ea quippe res bellicorum eius insignium magnitudinem* augurata est.

Ea tempestate Rotho, Rutenorum pirata, patriam nostram rapine et crudelitatis iniuriis profligabat. Cuius tam insignis atrocitatis erat, ut, ceteris extreme captorum nudis

p. 353

LXXII*

tati parcentibus, hic eciam secreciores corporum partes tegminibus spoliare deforme non duceret. Vnde graues adhuc immanesque || rapinas Røthoran cognominare solemus.

(135)
p. 354

Sed et torquendi interdum hunc | supplicii modum adhibere solebat, ut, dextris eorum pedibus terre tenacius affixis, leuos curuatis de industria ramis annecteret, quorum salacitas medii corporis distraccione recurreret. Quem Fionie rex Hano, dum speciosos sibi titulos con(s)ciscere cupit, maritimis uiribus oppugnare conatus, fugam uno comitatus

10 ingreditur. In cuius exprobacionem prouerbium manauit: In proprio plus lare Hanonem ualere. Tunc Borcarus, ulteriorem ciuium iacturam inspectare non passus, Rothoni se obiicit; quorum ut mutuum bellum, ita eciam exicium fuit. Eadem pugna Haldanum grauiter affectum fama est
 15 aliquandiu susceptis oblanguisse uulneribus; e quibus unum evidencius ori inflictum habebat, quod adeo eicatrice conspicuum erat, ut, ceteris medela recreatis, patenciori quadam lentigine teneretur. Oblisam quippe labelli partem ita uerruce uicium ulcerabat, ut eius rimosa tabes carnis
 20 excremento sarciri nequiret. Que res ei plenum contumelie cognomen impressit, cum pocius uulnera aduerso corpore excepti laudem quam dedecus afferre soleant. Adeo maligna uirtutum interpres nulgaris interdum existit opinio.

25 Interea Alfi filia Guritha, cum regiam stirpem ad se solam redactam animaduerteret, neminemque, cui nuberet, nobilitate parem haberet, nuncupatis uotis uoluntariam sibi castimoniam indixit, concubituque carere quam ex plebe maritum adsciscere saciis duxit. Quin eciam cauende
 30 iniurie gracia conclaue suum electo pugilum agmine tutabatur. Ad quam cum Haldanus semel forte uenisset, abessentque pugiles, quorum ipse fratrem impubis extinxerat, oportere eam inquit, soluto uirginitatis cingulo, castimonie rigorem rebus permutare uenereis, ne ita pudicie
 35 uotis indulgeat, ut lapsa regni gubernacula copule sue beneficio reparare contemnat. Se ergo nobilitatis splendore conspicuum nupcialibus ab ea uotis respici iubet, quod ob dictam causam uoluptati aditum datura uideatur. Ad hec Guritha, adduci se non posse, retulit, ut regie
 40 nobilitatis reliquias inferioris ordinis uiro copulare sustineat.

p. 355

Nec generis obscuritatem exprobrasse contenta, eciam oris deformitatem improperat. Haldanus geminum ab ea sibi uicum obiectari subiunxit, unum, quod sanguine parum niteret, alterum, quod rimosi oris iacturam inexpleta cicatrice preferret; ideoque non prius se postulande eius gracia redditurum, quam utranque notam parta armis claritate tersisset. Obsecrat quoque, necui thori conniuenciam preberet, antequam reditus interitusue sui certitudinem nuncio cognouisset. Quem athlete, fratre iampridem ab eo spoliati, 10 Gurithe locutum indigne ferentes, discedentem equis insectari conantur. Quo uiso, commilitibus latebram petere iussis, se solum pugiles excepturum dicebat. Morantes asseclas imperioque obsequi deforme ducentes minis abigit, prefatus non comperturam Guritham, pugnam a se formidine detrectari. Mox quereu succisa atque in clave habitum redacta, solus eum .XII. manum conseruit, eosque spiritu spoliauit. Quibus peremptis, tam preclarri operis titulis non contentus, maioris edendi gracia auitos a matre gladios recepit, quorum alter Lyusingus, alter Hwytingus ob collimati aeuminis nitorem uocabulum habuit. At ubi inter Aluerum Suetie regem Rutenosque bellum flagrare cognouit, e uestigio Rusciam petit, oblatoque incolis auxilio, summa cum omnium dignacione suscipitur. Sed nec procul Aluerus *agebat; breui locorum traiectu | paruulam inter- 25 nectente distanciam. Cuius miles Hildigerus, Gunnari filius, Rutenorum pugilibus ad secum dimicandum prouocatis, cum Haldanum offerri animaduerteret, eiusque se fratrem esse non ignoraret, pietatem fortitudini pretulit, seque, septuaginta pugilum oppressione conspicuum, cum 30 homine parum spectato manum conserturum negauit. Iubet itaque eum minorum se rerum experimentis metiri ac deinde equa uiribus studia consectari. Hec autem || noua uirtutis diffidencia, sed integritatis seruande gracia astruebat, eum non solum acerrimiū, uerum eciam hebetandi 35 carminibus ferri peritus existeret. Quippe cum ab eius patre suum oppressum meminisset, affectusque geminos, unum paterne uleionis, alterum fraterne caritatis, haberet, prouocacione cedere, quam maximo implicari scelere sacius duxit. Cuius loeo alium Haldanus athletam deposcens, 40 exhibitum iugulat, moxque ei eciam hostium suffragio uir-

LXXII^b
p. 356

(136)

tutis palma decernitur, omniumque fortissimus publica proclamatione censemur. Postera die duobus in pugnam petitis, ambos obtruncat. Tercia luce ternos expugnat. Quarta quatuor secum congressos exuperat. Quinta uero quinos 5 expostulat. Quibus oppressis, cum ad octauam similibus pugne et uictorie incrementis peruentum esset, undecim simul admissos prosternit. Cui Hildigerus, quod operum suorum titulos virtutum eius magnitudine equatos uideret, congressum ulterius negare non passus, cum ab eo, obducto 10 panniculis ferro, mortificum sibi uulnus inflictum animaduerteret, abiectis armis humi decumbens tali fratrem uoce compellat:

Collibet alternis deuolui fatibus horam,
 Et, ferro pausante, solo subsidere paulum,
 Alternare moram dictis animosque fouere.
 Restat proposito tempus; nam fata duorum
 Fors diuersa tenet; alium discrimine certo
 Sors feralis agit, alium pocioribus annis
 Pompa decusque manent et agendi temporis usus.
 Sic sibi diuiduum partes discriminat omen.
 Danica te tellus, me Sueticus edidit orbis.
 Drot tibi maternum quondam distenderat uber;
 Hac genitrice tibi pariter collactus exto.
 En pia progenies trucibus concurrere telis
 Ausa perit; sudo pronati sanguine fratres
 Illata sibi cede ruunt, dum culmen auentes
 Tempore deficiunt, sceptrique cupidine nacti
 Exiciale malum socio Styga funere uisent.
 Ad caput affixus clypeus michi Sueticus astat,
 Quem specular uernans uarii celaminis ornat,
 Et miris laqueata modis tabulata coronant.
 Illic confectos proceres pugilesque subactos,
 Bella quoque et nostre facinus spectabile dextre
 Multicolor pictura notat; medioxima nati
 Illita conspicuo species celamine constat,
 Cui manus hec cursum mete uitalis ademit.
 Vnicus hic nobis heres erat, una paterni
 Cura animi, superoque datus solamine matri.
 Sors mala, que letis infaustos aggerit annos,

p. 357

p. 358

LXXIII.

Et risum merore premit sortemque molestat.
 Lugubre enim ac miserum est deiectam ducere uitam
 Et tristes spirare dies omenque dolere.
 Sed quecunque ligat Parcarum prescius ordo,
⁵ Quecunque arcanum supere racionis adumbrat,
 Seu que fatorum serie preuisa tenentur,
 Nulla caducarum rerum conuersio tollet.

His dictis, cum ab Haldano ob tam seram fraterni
 uinculi confessionem inercie damnaretur, iccireo se silencio
¹⁰ usum esse | dicebat, ne aut pugnam detrectando ignauus,
 aut committendo scelestus existimari posset. Talibus ex-
 cusionis uerbis intentus extinguitur. Sed apud Danos
 Haldanum ab Hildigero prostratum rumor ediderat. Post
 hec Gyuritha, que regii sanguinis sola || apud Danos super-
¹⁵ erat, cum a Siuaro, Saxonice gentis nobilissimo, postulari
 cepisset, latenterque ei Haldanum preferret, condicionem
 proco intulit, ne suum prius connubium peteret, quam
 Danorum regnum membratim diuisuni in unum corpus
 redigeret, idque sibi per iniuriam ereptum armis restituisset.
²⁰ Quod frustra tentante Siuaro, omnibus arbitris pecunia ab
 ipso corruptis, tandem ei despondenda conceditur. Quod
 Haldanus apud Rusciam per negociatores expertus, tanto
 studio nauigacioni incubuit, ut nupciarum tempus aduentu
 precurreret. Quarum prima die regiam petiturus precepit,
²⁵ ne comites prius a constitutis sibi mouerentur excubiis,
 quam ferri stridorem eminus aure perciperent. Cumque
 conuiuis parum cognitus coram uirgine constitisset, ne uul-
 garis eloquii nuditate pluribus intellecta depromeret, in
 hunc modum abstrusa carmen ambage compegit:

³⁰ Patris sceptrta relinquens
 Nil figmenta uerebar
 Commenti muliebris
 Astus femineiue,
 Vnum quando duosque,
 Tres ac quatuor, et mox
³⁵ Quinos, indeque senos,
 Post septem, simul octo,
 Vndenos quoque solus

p. 359

(137)

Victor Marte subegi.
 Sed nec tunc fore rebar
 Proibri labe notandus,
 Promissi leuitate,
 5 Pactis illicibusque.

Ad hec Gyuritha:

Fragili moderamine rerum
 Animus michi pendulus hesit,
 Trepida leuitate pererrans;
 10 Tua fama uolatilis, anceps,
 Variisque relatibus acta,
 Dubium michi pectus inussit.
 Teneri tibi temporis annos
 Gladio periisse nerebar.
 15 Poteramne resistere sola
 Senioribus atque magistris,
 Prohibentibus ista negari,
 Thalamoque monentibus uti?
 Manet et Venus et calor idem,
 20 Socius tibi parque futurus,
 Nec ab ordine sponsio cessit,
 Aditus habitura fideles.

p. 360

LXXXIIIb

Neque enim ulla adhuc te fecellit promissio, quam
 sola multiplicis suadele consilia detrectare non possem,
 25 et in iugalis copule recepcione monitis obuiare censoriis.
 Needum responsum uirgo complebat, et iam sponsum
 Haldanus ferro transuerberat. Nec unum oppressisse con-
 tentus, maximam conuiuarum partem obtruncat. In quem
 cum Saxones cessim ebrietate labantes irruerent, a super-
 30 uenientibus eius uernaculis trucidantur. His gestis Gyu-
 ritha potitur. Quam cum sterilitatis nicio obnoxiam ani-
 maduerteret, maximamque prolis creande cupidinem haberet,
 conciliande ei fecunditatis gracia Vpsalam petit; responsoque
 monitus, suscitande sobolis causa fraternis primum mani-
 35 bus parentare, postquam oraculo paruit, optate rei solacium
 impetravit. Siquidem filium ex Gyuritha suscepit, cui
 Haraldo uocabulum aptauit. Cuius titulo Danorum regnum,
 principum iniuriis laceratum, ad pristinum dominacionis

p. 361

habitum reuocare conatus, dum, bello apud Sialandiam gesto, Wesetum, precipue opinionis athletam, in acie oppugnat, occiditur. Quo uiso Gyuritha, cum prelio ob filii caritatem sub uirili habitu interesset, eundem, fugientibus 5 sociis cupidius dimicantem, ad propinquum nemus humeris deportandum curauit. A cuius insectatu plurimum hostes lassitudo prohibuit; quorum aliquis dependentis pigam sagitta confixit. Igitur Haraldus plus ruboris sibi quam opis materna cura allatum existimauit.

10 Qui cum eximie forme precipue magnitudinis esset, coeuisque robore et statura prestaret, tantam Othini, cuius oracule editus uidebatur, indulgenciam expertus fuerat, ut integratatis eius habitus ferro quassari non posset. Quo euenit, ut uulnifica aliis tela ad lesionem ei infligendam inhabilia redderentur. Nec premii inops beneficium fuit. Animas quippe ei, quas ferro corporibus eiecisset, pollicitus proditur. Idem in monumentum patris eius res gestas apud Blekyⁿgiam rupi, cuius memini, per artifices mandare cure habuit. Post hec, cum Wesetum apud 15 Scaniam nupcias acturum audiret, easque sub egentis specie petiuisset, finito noctium conuiuio, omnibusque mero ac somno sopitis, nupcialem thalamum trabe pertudit. Cuius buccam Wesetus ita absque uulneris inflicione fuste quassauit, ut binis eam dentibus uacuefaceret. Quorum iacturam 20 post modum insperata molarium erupcio sarciebat. Hic euentus Hyldetan ei cognomen imposuit, quod eum quidam ob eminentem dencium ordinem assecutum affirmant. Illic occiso Weseto Scanic dominium adipiscitur. Inde Hatherum apud Iutiam oppugnatum extinxit. Cuius 25 occasum perpes oppidi uocabulum indicat. Post hec Hundingo Rericoque prostratis, Lethram occupat, distractumque Danie regnum in pristinum corpus reformat. Deinde Wicarorum regem Asmundum a sorore natu maiore[m] regno spoliatum comperiens, pendente bello, tanta 30 femine petulancia concitatus, sola naue Noruagiam Asmundo opem latus accedit. Commisso prelio, purpurea amictus lacerna, mitraque auro uariata, capillicium redimitus, in hostem progreditur, ita armorum loco tacita fortune conscientia fretus, ut conuiuali pocius, quam bellico 35 cultu instructus uideretur. Sed nec apparatu ingenium 40

respondit. Inermis siquidem ac regiis duntaxat insignibus ornatus, cetus anteibat armigeros, expeditamque pugnandi copiam ferauencioribus belli periculis obiectabat. Directa namque in eum spicula, ac si retusi acuminis essent, nocuo 5 cassabantur effectu. Cumque ceteri preliantis inermitatem aduerterent, impressione facta, ad eum acrius impetendum pudore coguntur. Quos Haraldus corpore integer aut ferro consumpsit aut fugam arripere coegit; | sicque regnum p. 363 Asmundo, prostrata eius sorore, restituit. A quo oblatis 10 sibi uictorie premiis, *solam glorie mercedem sufficere LXXXIII. dixit, tantumque se in repudiandis muneribus gessit, quantum egerat in promerendis. Quo facto non minorem omnibus continencie sue, quam fortitudinis ammiracionem incussit, claritatem se, non pecuniam ex uictoria perceperuntur testatus.

Interea rex Suconum Aluerus decedit, Olauo, Ingone et Ingeldo filiis relictis; quorum Ingo, paterne hereditatis titulis non contentus, proferendi imperii gracia Danis bellum denunciat. Cuius euentum Haraldo oraculis explorare cupienti senex precipue magnitudinis, sed orbus oculo obuius extitit, qui hispido eciam amiculo circumactus, Othynum se dici bellorumque usu callere testatus, utilissimum ei centuriandi in acie exercitus documentum porrexit. Iussit igitur, ut terrestribus bellum copiis editurus, uniuersam aciem in tres turmas diuideret, quarum unamquamque uicenarii ratione densaret, medianam uero XX. virorum numero reliquis porrecciorem extenderet, quam eciam in coni siue pyramidis acumen digerens, alarum recessus utrinque secus discretis ambagibus obliquaret. Cuiuslibet 20 uero turme seriem hac ratione contexeret, ut a duobus frons inchoans, consequentibus locis unitatis duntaxat incrementa reciperet; et quidem in secunda linea tres, in tercia quattuor, eodemque modo posterius ordinandos, habita congressione, statueret, sicque consequentes gradus idem proporcionis tenor instrueret, donec coniunctionis extremitas alas equaret; cornu uero quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Post has item turmas instructam iaculis iuuentutem admittat; a cuius tergo || grandeuorum cohoret adhibeat, que labantes sociorum uires ueterana 40 quadam virtute firmaret; deinde funditorum alas gnarus

p. 364

(139)

locorum suppator annesteret, qui post sodalium agmina consistentes, eminus hostem tormentis incesserent. Post quos cuiuslibet etatis aut ordinis homines absque condicionis estimacione passim ad sacerdotem ad*s*ciceret. Ceterum postrem aciem ternis, ad instar prime, cornibus interstinctam similique graduum proporcione digestam explicaret. Cuius tergum superiori coniunctum agmini ipsum auerse frontis obstaculo tueretur. At si i nauale forte prelium incidisset. partem classis secerneret, que, eo propositos inchoante

p. 365

conflictus, multiuola rates hosticas reflexione circundaret. His discipline militaris rationibus instructus, Ingensem Olauumque bellum parantes, anticipatis apud Suctiam rebus, oppressit. Quorum fratri Ingeldo, sub aduerse ualitudinis simulacione belli inducias per legatos poscenti,

postulata concessit, ne uirtus, que mestis rebus parcere didicisset, humiliis ac iacentis fortune temporibus insultaret. A quo post modum rapte sororis iniuria lacesitus, cum diu bellis eum, anicipiti uictoria, fatigasset, in amiciciam adeuit, sociumque quam hostem habere sacius duxit.

Post hec cum inter Olauum Thronorum regem uirginesque Sticlam et Rusilam ob regnum bello decertandum audiret, feminea ad modum presumpcione permotus, clam arbitris eum accessit, cultuque, quo dencium prolixitatem obnuberet, sumpto, pugnam uirginibus intulit.

Quarum utraque prostrata binis portibus affine earum uocabulis nomen reliquit. Tum ueiro conspectissimum uirtutis argumentum exhibuit. Quippe subarmali tantum subueula fretus, inermem telis thoracem opposuit. Igitur Olauo uictorie sibi premium offerente, beneficium repudiauit,

sieque, fortitudinis an continencie maius specimen dederit, incertum reliquit. Deinde Fresice gentis athletam Vbonem nomine, Iutiē fines crebra popularium strage uastantem, adortus, cum armis subdere non posset, milites ad eum manibus capiendum hortatus, humi prostrauit, uictumque compedibus tradidit. Ita, quem paulo ante grauissimam sibi cladem allaturum putauit, deformi expugnacionis genere superatum obtinuit. Quem, sorore ei in matrimonium data, militem nactus, finitimos Rheno populos tributo submisit, militemque ex eius gentis fortissimis legit. Quo

fretus bello Sclauiam pressit, eiusque* duces Duc et Dal

p. 366

LXXIII^b

ob uirtutem capi pocius quam occidi curauit. Quibus in commilicium receptis, Aquitanniam armis perdomuit, moxque Britanniam petens, Humbrorum rege prostrato, promptissimos quosque deuicti iuuentutis adciuit. Quorum p*367*
 5 cipuus Orm | cognomento Britannicus habebatur. Hac rerum fama athletas e uariis orbis partibus accersitos in mercenariam manum redigit. Quorum frequencia auctus adeo regnorum omnium motus nominis sui terrore cohibuit,
 10 ut eorum rectoribus mutuum conserende manus ausum excuteret. Sed nec quisquam maris dominacionem absque eius nutu usurpare presumpsit. Quippe quondam in Danorum republica diuiduum terre et pelagi imperium fuit.

Interea apud Suetiam moritur Ingeldus, Ringone, quem ex Haraldi sorore sustulerat, paruulo ad modum 15 filio relicto; quem Haraldus paterno regno, datis ei tutoribus, prefecit. Ita prouinciis principibusque perdomitis, quinquaginta annos in ocio habuit. Quorum quiete ne militum animos in desidiam resolui pateretur, assidue eis cauendi inferendique ictus rationem a gladiatoribus per 20 descendam constituit. Quorum quidam, insigni dimicacionis arte callentes, aduerse frontis supercilium infallibili ictu ferire solebant. Quo siquis recepto uersilitate palpebre timidius connueret, mox aula electus stipendiis defungebatur.

Hisdem temporibus Olonem, Syuardi filium, Haraldi 25 sorore editum, || in Daniam e Noruagie finibus conspiciendi auunculi cupidio perduxit. Quem quia primum in Haraldi clientela habitum, post bellum uero Sueticum Danicarum rerum imperio potitum | constat, proposito paulisper attinet, que de eius operibus memorie sunt prodita, recensere. p. 368
 30 Igitur Olo, tertium etatis lustrum apud patrem emensus, quantum animi corporisque dotibus inclaruerit, incredibile reddidit. Preterea adeo uisu efferus erat, ut, quod alii armis, ipse oculis in hostem ageret, ac fortissimum quemque uibrante luminum acritate terreret. Cui cum nuncio 35 delatum esset, Gunnonem, Thelema(r)chic ducem, cum filio Grimone nemus Ethascog, quod et fruticibus predensum et uallibus quam maxime opacum erat, per latrocinium obsidere, facinoris indignacione commotus, cum cane et equo parabilem a patre armaturam depositis, iuuentam 40 damnans, que debitum uirtuti tempus inercia dilabi pate-

retur. Quibus impetratis, predictam siluam arctissime speculatus, hominis uestigia niui aleius impressa cognoscit. Quippe latronis incessum pruina gressu uiolata prodiderat. Qua duce usus, superato montis eliuo, precipue granditatis amnem offendit. Quo pristinam humani uestigii speciem auferente, traiectu utendum constituit. Verum ipsa aque moles, rapidiore lapsu precipites agens undas, difficultate transitum negare uidebatur. Siquidem occultis cautibus frequens omnem aluei tractum spumeo quodam uolumine turbidadat. Sed ex animo Olonis periculi metum festinationis cupidio detraxerat. Igitur, ubi domitus uirtute timor contemptumque temeritate periculum, nihil, quod animo libitum foret, actu difficile ratus, stridulos equo uortices superauit. Quos emensus in angustias paludibus undique secus ambitas incidit, quarum interna facile peti preiecti aggeris obstaculum non sinebat. Trans quem leuato equo, frequens stabulis repagulum animaduertit. Vnde egesto equorum grege, suum inducere cupiens, a Tokone quodam (seruus hic Gunnoris erat) adeo aduenam insoleuisse dolente, acerius impetus, oppugnantem solo clypei frustabatur obiectu. Quem ferro opprimere deforme existimans, apprehensum artuatimque confractum teeto, quo preceps excesserat, transuersum iniecit. Qua ignominia Gunno ac Grimo ocios incitati, diuersis elapsi posticis, pariter in Olonem cum contemptu etatis eius ac uirium ruunt. A quo letaliter uulnerati, cum corporis ad modum uiribus deficerentur, Grimo, supremi uix spiritus potens ac toto pene uigo*re defunctus, carmen hoc extremo LXXXV^a uocis singulu contexuit:

p. 369

30 Simus nempe licet corpore debiles,
Elapsusque crux robur obhauserit.
Cum nunc elicitus uulnere spiritus
Vix sensim lacero pectore palpitet,
Discrimen, moueo, temporis ultimi
35 Per nos intrepidis clareat ausibus;
Ne conflictum aliquis forcius editum
Pugnatumue magis dixerit uspiam,
Et certamen atrox arma gerentibus,
Cum per busta caro fessa quieuerit,

Fame conciliet premia perpetis.
 Prima hostis scapulas seccio comprimat,
 Et ferrum geminas abripiat nianus,
 Vt, cum nos Stygius Pluto receperit,
 5 Olonem quoque par exitus occupet,
 Et commune tribus funus inhorreat,
 Vna trium cineres urnaque contegat.

Hactenus Grimo. Cuius inuictum pater spiritum
 emulatus, ut fortissimam filii uocem mutua adhortacione
 10 prosequeretur, sic cepit:

Quanquam, defectis ad summum sanguine uenis,
 Extet in occiduo corpore uita breuis,
 Taliter extreme uigeat contencio pugne,
 Vt laudem nostri non sinat esse breuem. (141)
 15 Ergo humeros hostis et brachia framea primum
 Impetat, ut manuum debilitetur opus.
 Sic commune tribus dabitur post fata sepulcrum,
 Et socios cineres par tribus urna teget.

His dictis ambo genibus nixi, (nam fati propinquitas p. 370
 20 uires hauserat,) comminus cum Olone configere summopere
 niti, ut perituri morte hostem equare possent; floccipendere
 fatum, dum modo eum, a quo occidebantur, socio ample-
 cterentur occasu. E quibus Olo alterum ferro, alterum
 cane consumpsit. Sed ne ipse quidem incruentam gessit
 25 uictoriam, cum, hactenus integer, tum demum aduerso
 uulnus corpore suscepisset. Qui sedulo [\(a\)](#) cane perlinctus,
 recuperata corporis firmitate, mox ad uulgandam uictorie
 sue fidem ipsa latronum cadauera patibulis ingesta laciis
 inspectanda constituit. Ceterum castro potitus, quicquid
 30 inibi prede repperit, clandestine custodie traditum futuris
 usibus asseruauit.

Ea tempestate Scati et Hiali fratum insolens luxus
 eo petulancie prorepsit, ut excellentis forme uirgines
 parentibus eruptas concubitu uiolarent. Quo euenit, ut
 35 Esam quoque, Olaui, Wermorum reguli, filiam, raptui
 destinantes patri mandarent, si illam externe libidini famu-
 lari nollet, per se aliumue quempiam pro tuenda prole

decerneret. Quod cum Olo nuncio comperisset, oblata
pugne facultate gausus, Olai penates agrestium cultum
mutuatus accedit. Vbi cum inter extremos discubitu
frueretur, merentem regis familiam conspicatus, eius filio
5 de industria *propius accersito, quid ita ceteri luctuosa LXXV^b
facie essent, inquirit. Quo sororis sue pudiciciam, ni cuius-
piam defensio ocios intercederet, proxime per accerrimos
pugiles profanandam dicente, percontatur rursum, quid
10 premii recepturus foret, qui salutem suam pro uirgine
deuoueret. Super quo Olauus per filium interrogatus,
filiam propugnatori cessuram respondit. Que uox precipuani
Oloni subeundi discriminis cupidinem attulit. Consuerat
autem uirgo hospitum uultus propius accedendo quam
15 curiosissime prelato lumine contemplari, quo cercius sus- p. 371
ceptorum mores | cultumque perspiceret. Eandem quoque
reditum ex notis atque lineamentis oris conspectorum
perpendisse prosapiam, solaque uisus sagacitate cuiuslibet
sanguinis habitum discreuisse. Que cum Olonem scruta-
bundis aggressa luminibus constitisset, inusitato oculorum
20 eius horrore perstricta, pene exanimis concidit. At ubi
sensim redditus uigor, spiritusque liberius meare ceperat,
rursum iuuenem conspicari conata, lapsu repente corpore
ceu mente capta procubuit. Tercio quoque dum clausam
deiectamque aciem attollere nititur, non modo oculorum
25 motu, certe eciam pedum regimine defecta subito lapsu
decidit. Adeo uigorem stupor hebetat. Quo uiso Olauus,
cur tocies casum corpore prebuisset, interrogat. Qua se
truculento hospitis uisu percussum testante, eundemque
et regibus ortum et, si raptorum uota refelleret, suis per-
30 quam dignum amplexibus asserente, rogatur a cunctis Olo,
(nam os pilleo obnuptum habebat,) discusso uelamine co-
gnoscendi capititis notas prebere. Tum ille, cunctis merore
deponere animumque procul a dolore habere iussis, detecta
fronte auidius omnium in se oculos eximie pulcritudinis
35 admiratione deflexit. Flaua quippe cesarie[s] nitentique
capillicio erat. Ceterum pupillas, ne uisentibus formidini
forent, palpebris arcu obstringendas curabat. Credores
repente, animis spe meliorum erectis, tripudiare conuiuas,
dissultare aulicos, summamque egritudinem effusa mencium
40 hilaritate conuelli. Igitur spe metum leuante, altera

conuiuii facies, nec quicquam inicio par aut persimile fuit. Ita benignum unius hospitis promissum communem omnium formidinem propulsabat. Inter hec Hiallus et Scatus cum decem uernaculis superuenientes, tanquam puellam illico 5 sublati, tumultuoso cuncta clamore miscebant, regem, ni filiam in expedito sisteret, euocantes in pugnam. Quorum debacchacionem protinus Olo sponsione certaminis excipit, condicione adiecta, ne quis furfim tergum dimicantis incesseret, sed aduersis tantum pugna congressibus staret.

10 Deinde gladio, Logthi dicto, solus, duodecim prostratis, maius adolescente opus edidit. Ceterum pugne loeum insula dabat stagni medium tenens, unde non longe uicus abest, qui cladis huiuscemodi monumentum, Hialli et Scati fratribus uocabula coniunctim referens, prebet.

15 Igitur puella sibi in premium uictorie data, cum filium ex ea sustulisset Omundum, repetendi patris licen-
ciani a socero nactus, postquam patriam a Thorone regulo
per Tostonem Victimarium et Leotarum *** cognomine
preditum oppugnari cognouit, ad conserendam cum eis
20 manum solo satellite muliebriter culto contentus perrexit.
Cumqne non longe Thoronis edibus abasset, snum comitis-
que ferrum cauatis baculis condendum curauit. At ubi
regiam subiit, uerum oris habitum adulterina specie sup-
primens, obtritum annis hominem simulabat. Apud Syuar-
25 dum uero se egencium regem fuisse, filiique eius Olonis
odio pertinacius actum exulare dicebat. Quem mox auli-
corum plerique regis nomine consulutantes, genibus nix
manus ei per ludibrium offerre ceperunt. Quibus ille,
quod ioco gesserant, ratum habere iussis, ferro, quod
30 baculis inclusum gestabant, erepto, regem inuadit. Itaque
pars Olonem iuuare, iocum pro serio ducere, uicem fidem
per ludi*brium prestitam uiolare, complures, uoti uanitate LXXV
rescissa, a Thoronis partibus stare. Igitur anceps intesti-
numque premium oritur. Denique, Thorone non minus
35 suorum quam hospitis armis oppresso, Liotarus letaliter
sauciis, uictorem Olonem tam ingenio uiuidum quam
acreum operibus iudicans, Vegeti cognomento donauit,
eundem fraudis exemplo, qua circa Thoronem usus fuerat,
periturum uaticinans; indubitanter quippe domesticis occa-
40 surum insidiis. Et cum dicto repente exanimatus est.

p. 375

142

p. 373

Itaque suprema morientis uox futurum uictoris exitum augurii sagacitate complexa dinoscitur. His gestis Olo non prius se patri restituit, quam pacem eius penatibus reportauit. A quo recepta pelagi dominacione, .LXX.

5 maritimos reges nauticarum uirium certamine consumpsit. Inter quos Biruillus et Huiruillus, Thoruillus quoque, Nef et Onef, Reduarthus, Randus atque Erandus precipui no-
scabantur. Cuius rei fama ac titulo pugiles, quorum omne
fortitudini studium inhiabat, accensos ad firmandam secum
10 societatem frequentes adduxit. Quin eciam effrenati ingenii iuuenes claritatis cupidine concitatos stipatores adieuit. Inter quos Starchaterum summa dignacione susceptum familiarius quam utilius colebat. His uiribus instructus ita finitimorum regum petulanciam opinionis sue magnitudine
15 castigauit, ut iisdem gerendorum inuicem bellorum manus, curam audaciamque detraheret.

p. 374

Post hec ad Haraldum profectus, ab ipsoque maritima prelacione donatus, tandem Ringoni in commilicium delegatur. Eodem tempore Bruno quidam omnium Haraldi consiliorum
20 unice particeps ac conscient habebatur. Huic ipse et Ringo, quocies secreciore nuncio opus habebant, mandata credere consueuerant. Quem familiaritatis gradum educacionis et cre-
pundiorum consorcione adeptus fuerat. Quo fluminis cuiusdam aquis inter assiduos profeccionum labores absunto, Othinus,
25 eius nomine et habitu subornatus, insidiose legacionis cura arctissimam regum concordiam labefactauit, tantaque ini-
micicias serentis fallacia fuit, ut amicicia ac necessitudine uinetis mutuum odii rigorem ingeneraret, quod absque bello saciari non posse uideretur. Primum apud eos tacita ado-
30 leuere dissidia, donec, uulgatis utrinque studiis, | arcanus in publicum liuor erumperet. Denunciatis itaque inimicieiis, colligendis belli instrumentis septem anni cessere. Sunt qui Haraldum non liuoris impulsu aut regni emu-
lacione, sed industrio || quodam spontaneoque conatu clan-
35 destinas exicci causas quesiuisse testantur. Cum enim ob senectam seueritatemque ciuibus eciam onustus existe-
ret, ferrum morbi crueiatibus anteponens, spiritum in acie quam lectulo deponere preoptauit, consentaneum preterite uite operibus exitum habiturus. Itaque quo mortem suam
40 clariorem efficaret, inferosque comitacior peteret, complures

p. 375

(143)

fati consortes ad(s)ciscere gestiebat, future cladis materiam
ultronea belli instruccione molitus. His ergo de causis
tam proprie quam aliene necis auiditate correptus, ut par
utrobique strages incideret, pares utrinque copias instau-
5 rauit, aliquanto forcius Ringoni robur applicans, quem
victorem superesse maluerat.

EXPLICITVS EST LIBER SEPTIMVS.

SAXONIS GRAMMATICI

LXXVIB
p. 376

HISTORIE DANICE

LIBER OCTAVVS.

Historiam belli Suctici Starcatherus, qui et eiusdem
5 prelii precipuum columen erat, primus Danico digessit elo-
quio, memorie magis quam literis traditam. Cuius seriem
ab ipso pro more patrio uulgariter editam digestamque
Latialiter complecti statuens, in primis prestantissimos
utriusque partis proceres resensebo. Neque enim michi
10 multitudinem complectendi cupido incessit, quam ne precise
quidem numerus capit. Et prius eos, qui | ab Haraldi
partibus steterant, mox, qui sub Ringonis stipendiis egerant,
stilo retexam.

p. 377

Igitur ex ducibus, qui ad Haraldum coierant, clarissimi
15 noscitantur Suen ac Sambar, Ambar et Elli, Rati Fionicus,
Salgarthus et Roe, quem barbe prolixitas cognomento in-
signem effecit. His accedunt Skale Scanicus et Alf Aggi
filius. Quibus iunguntur Oluir latus et Gnebia uetus.
His annumeratur Gardh, Stang oppidi cultor. Cui adii-
20 ciuntur necessarii Haraldi, Blend, ultime Tyles incola, ac
Brand, Mice cognomen habens. Hisdem sociantur Thorny
cum Thoruingo, Tatar atque Hialto. Qui | quidem nauigio
Lethram aduecti instructis ad bella corporibus, ingenii
quoque uirtute pollebant, proceritatis habitum animorum
25 exerciciis emulantes. Quippe spicula arcuum ballistarum-
que tormentis excutere, ac plerunque uiritim cum hoste
decernere, poeses quoque patrio sermone contexere prompt-
tissime calluerunt. Adeo animum cum corpore impensa-

p. 378

exercitacione coluerant. E Lethris autem prodiere Hortar,
 Borrhyque; preterea Belgi cum Begatho. Quibus adiecti
 sunt Bari ac Toli. At Sle oppido cum Hacone genam
 scisso sub Hetha Wisnaque ducibus Tummi uelificator
⁵ excesserat. Quarum muliebri corpori natura uirilem animum
 erogauit. Webiorgam quoque, eodem spiritu preditam, Bo
 Brami filius et Brat Iutus belligerandi cupidine prose-
 quuntur. His agglomerantur Orm Anglicus, Vbbo Fresicus,
 Ary altero cassus lumine, Alf et Goter. Post quos Dal
¹⁰ corpulentus et Duc Sclauicus recensentur. Wisnam uero,
 imbu|tam rigore feminam reique militaris apprime peritam,
 Sclaua stipauerat manus. Cuius precipui Barri ac Gnizli
 satellites agnoscuntur. Ceteri uero ex eadem cohorte,
 corpus clypeolis tecti, prelongis ensibus aeriique coloris
¹⁵ parvulis utebantur, quas belli tempore aut in tergum
 repellentes aut impedimentorum gerulis dantes, abiectis
 pectorum munimentis expositisque ad disserimen omne
 corporibus, districtis Martem mucronibus intenderunt. E
 quibus Tolcar atque || Ymi precipui claruere. Post quos
²⁰ Toki Iulinensi prouincia ortus cum Otrito, cui agnomen
 Iuuenis erat, illustris agnoscitur. At Hetha, promptissimis
 stipata comitibus, armatam bello centuriam afferebat.
 Cuius primi fuere Grimar ac Grenzli; post hos Ger Liuicus,
 Hama quoque et Hunger, Humbli, Biarique, regum for-
²⁵ tissimi, memorantur. Hi, persepe duellis feliciter gestis,
 insignes late uictorias edidere. Itaque memorate uirgines
 non modo comiter, sed eciam pugnaciter culte, terrestres
 in aciem copias ductauere. Igitur centuriatim Danicus
 confluxit exercitus. Septem reges pari ingenio, sed dis-
³⁰ pari uoto alii Haraldo, pars Ringoni presidio fuerunt. Pre-
 terea in partem Haraldi *concesserant Hømi et Høsatul ^{LXXVII.}
 [him] Hastinusque et Hythin gracilis, Dahan quoque co-
 gnomento Grenski; sed et Haraldus Olauo genitus patre.
 Ex Halica uero prouincia Har atque Herlewar cum Hoth-
³⁵ broddo, cui Effreni cognomen erat, Danicis militauere
 castris. At ex Imica regione Humnehy et Haraldus ad-
 ueniunt. Quibus applicantur a septentrione profecti Haki,
 Bemonisque filii Sygmundus et Serker. Horum omnium
⁴⁰ clientelam rex liberali familiaritate coluerat. Nam primis
 apud ipsum honoribus habiti, cultos auro gladios opimaque

p. 379

(144)

p. 380

bellorum premia perceperunt. Aduenerant et editi Gandal
sene, quos Haraldi familiares clientela uestus effecerat.
Igitur frequens Danica classe pelagus Sialandiam Scanie
ueluti intersito ponte committere uidebatur. Quas quidem
5 prouincias intermeare cupientibus confortissimo nauium
globo pedestre compendium exhibebat. Sed ne improudis
bellum Sueonibus pararetur, mittuntur ab Haraldo, qui
Ringoni palam inimiciciarum mandata perferrent ipsamque
10 sequestre pacis direpcionem uulgarent. Hisdem pugne
locum prestituere iussum. Igitur qui Haraldo militauerant,
hi fuere, quos edidi.

At ex parte Ringonis computantur Vlf, Aggi, Windar,
Eyil + luscus, Gotar, Hildi, Guti, Alf patre genitus, Stur
robustus, Sten, Wienice paludis accola. Applicantur his-
15 dem Gerth alacer, Gromer Wermicus. Post quos septen-
trionalis Albie finitimi supputantur, Saxo, Fletir et Sali,
Gothus, Thord nutabundus, Throndar nasutus, Grundi,
Othi, Grinder, Toui, Coll, Byarchi, Hogni ingeniosus,
Rokar fuscus. Hi siquidem, multitudinis collegium asper-
20 nati, in unam se aciem a cetera cohorte seceruerant.
Preter hos Rani, cui Hyld pater erat, et Lyuth Guthi,
Sueno quoque superne tonsus, *(Soknarsoti)*, Rethyr acci-
piter et Rolf uxorius numerantur. Quibus conglobantur
Ring Athyle filius Haraldusque Thothni editus uico. His

25 annexuntur Walsten Wiicensis, Thorulf spissus, Thengil
procerus, Hun, Solwe, Birwil pallidus. Burgar et Scumbar.
At e Thelemarchia fortissimi uenerant, quibus animi pluri-
num, fastus minimum erat, Thorleuar pertinax, Thorkill
Guticus. Gretir iniquus irrupcionumque audius. His succe-
30 dunt Haddir durus et Roldar articulus. E Noruagia uero
memorantur Thronder Thronski, Thoki Moricus, Rafn can-
didus, Hafwar, Biarni, Blihar cognomento Simus, Biorn
e uico Soghni, Findar maritimo genitus sinu, Bersi quoque
apud Falu oppidum creatus, Syuardus uerris caput, Ericus
35 fabulator, | *(H)ol(m)sten*, *Hviti*, Ruthar, Rawi, Erlingar,
cui Colubra cognomentum erat. At e Yathrica prouincia
prodire Od Anglus, Alf multiuagus, Enar protuberans,
Ywarusque cognominatus Thruwar. A Tyle autem uenere
Mar Ruffus, eo uidelicet pago, qui Mithfirthi dicitur, ortus
40 educatusque, Grombar annosus, Gram Brundelucus, Grim

p. 381

p. 382

p. 383

ex oppido Skierum, apud Scaha Fyrthi quidem prouinciam satus. Deinde Berhgar uates aduertitur, cui Brahi et Rankil comites adhibentur. At Sueonum fortissimi hi fuere: Arwacki, Keclu, Karll, Croc agrestis, Guthfast, Gummi | e p. 384
5 Gyslamarchia. Qui quidem Frø dei necessarii erant, et fidissimi numinum arbitri: Ingi quoque et Oly, Aluuer, Folki, patre Elrico nati, Ringonis miliciam amplexuntur, uiri quidem manu prompti, consilio uegeti, proximaque Ringonem familiaritate complexi. Idem quoque ad Frø 10 deum generis sui principium referebant. Inter quos et Simundus aderat ex Sigtun oppido, forensis quidem athleta, empacionumque ac uendicionum contractibus assuetus. Huic additur Frosty cognomento crucibulum. Cui sociatur Alf elatus, e uico Vpsala. Idem et iaculari promptus et in 15 acie preire solitus erat. At Olonem .VII. reges manu consilioque promptissimi stipa*uere, Holty uidelicet et p. 385
Hendill, Holmar, Leuy et Hama; quibus Regnaldus Ruthe-
nus, Rathbarthi nepos, ascribitur; preterea Syualdus .XI.
salum paronibus sulcat. Lesy Pannionorum uictor bra-
20 cteatam auro liburnam lintheo excipit. Thririkar uero instar draconis tortuosas habente proras nauigio uehebatur.
Thrygir quoque et Torwil diuisim nauigantes duodenas ductauere puppes. Ceterum in tota Ringonis classe nauium
duo milia quingente reperte sunt. Guttonica uero classis
25 in portu, cui Garnum nomen, Sueticam opperiebatur. Itaque Ringo terrenum | ductabat agmen; at Oloni naualibus p. 386
preesse copiis imperatum. Igitur Gothis obuiam Suetis
ueniendi inter Wic et Werundiam locus cum tempore
denunciatur. Cernere tum erat late proris exaratum mare,
30 prospectumque pelagi explicata malis carbasa prestruebant.
Et iam classis Suetica, prospera nauigacione usa, Danis
adhuc aduerso laborantibus celo, maturius belli locum
petuerat. Vbi Ringo expositas classe copias simulque,
35 quas ipse terreno ductarat itinere, gregatim in aciem diri-
gere parat. Que ubi campis laxius explicari ceperant,
cornu alterum in Werundiam extrahi compertum est.
Quam multitudinem rex locis ordinibusque confusam equo
circuiens, in fronte promptissimos quosque et prestanciori
armatura cultos sub Olone, Regnaldo Wiulloque ducibus
40 collocat; deinde ueluti flexu quodam in duo cornua reli-

quam aciem cogit. E quibus dextrum Vngonem cum Elrici filiis Trigonemque tueri iubet; at leuum Lesoni parere iussum. Ceterum alas globosque maxime Curetum Estonumque consercior turma texuerat. Vltima funditorum acies stabat.

5 Interea classis Danica, uentorum indulgencia aspirante,
 .VII. dierum continuam nauigacionem emensa, Calmarna oppidum subiit. Mirareris late uentis uelificatum mare, celumque ex oculis intenta antennis linthea eripiebant. Nam Sclaui ac Liui Saxonumque .VII. milia classem
 10 auxerant. At per solidum proficiscentibus Scanienses, quod locorum periti essent, duces ac preuii destinantur. Igitur ubi prestolantibus Suetis Danicus superuenit exercitus, Ringo suis, quo adusque Haraldus aciem centuriasset, pacientor considere iussis, non ante signa canere precepit,
 15 quam regem propter aquilas curru compositum aspexissent, prefatus, sperare se facile collabi aciem posse, que ceci ductamine niteretur. Preterea Haraldum, supremo etatis tempore alieni imperii cupiditate correptum, non minus mente captum quam luminibus fore; nec opibus exsaciari
 20 posse, qui, si annos respiciat, tumulo pene contentus esse debeat. Suetis itaque pro libertate, pro patria ac liberis dimicandi necessitatem incumbere, hostem temeritate atque insolencia suscepisse bellum. Preterea ex parte aduersa perpaucos Danos esse, Saxones complures aliasque effe-
 25 minatas gentes in acie stare. Ob quod cogitare debere Sueones Noricosque, quantum Germanos ac Sclauos Septentrionalis semper turba prestiterit. Spernendam ergo aciem fore, que pocius lubrica hominum colluuione quam soli militum robore contexta uideatur. Nec parum ea
 30 oracione militum animos accendebat. At Bruno, Haraldi loco aciem statuere iussus, cuneo frontem molitur, Hetham uero in dextero latere locat, Haconem leuo preficit, Wisnam aquiliferam facit. Igitur Haraldus, curru eminens, quam potuit, celsa uoce beneficia sua iniuriis a Ringone rependi
 35 queritur. Ab illo sibi bellum inferri, qui regnum suo munere adeptus fuerit. Ita Ringonem nec senis misereri, nec auunculo parcere, propriosque motus cuncte necessitudinis aut beneficencie respectui preferre. Iubet itaque meminisse Danos, ut exteris semper uictoriis inclaruerint,
 40 ut finitimis imperare pocius quam obsequi consueuerint; || p. 387

hortaturque, ne tante glorie decus deuicta gentis insolencia (146) labefactari sustineant, nec imperium, quod sibi iuuenta florenti pepererant, senectute confecto demii permittant.

Deinde, canentibus lituis, summa utrinque ui conseritur p. 388

5 bellum. Crederes repente terris ingruere celum, silvas camposque subsidere, misceri omnia, antiquum rediisse chaos, diuina pariter et humana tumultuosa tempestate confundi, cunctaque simul in perniciem trahi. Nam ubi ad teli iactum peruentum, intolerabilis armorum stridor
 10 incredibili cuncta fragore compleuit. Vapor uulnerum repentinam celo nebulam intendebat, dies effusa telorum grandine tegebatur. Nec parum in acie funditorum opera ualuit. At ubi pila manu aut tormentis excussa, comminus gladiis ferratisque clavis decernitur. Tum uero
 15 plurimum sanguinis periclitatum est. Igitur fassis manare sudor corporis cepit, mucronumque crepitacula eminus exaudiebantur. Illic Starcatherus, qui belli huius seriem sermone patrio primus edidit, prior in acie dimicans Haraldi proceres Hun et Elli, Hort ac Burgha a se prostratos
 20 abscissaque Wisne dexteram commemorat. Ceterum Roa quendam cum duobus aliis, Gnebia et Garthar, a se in acie uulneratos occubuisse declarat. Hisdem Scalki patrem tacito nomine applicat. Idem fortissimum Danorum Haconem a se in terram prorutum, seque ab eo ita mutuo
 25 uulneratum testatur, ut exsertum thorace pulmonem ceruicemque mediotenus scissam, manum quoque uno truncam dígito gerens excederet bello, diuque hiscens plaga nec cicatricis capax nec medele habilis uideretur. Eodem teste puella Wegthbiorg in hostem dimicans Soth pugilem
 30 acie strauit. Eandem athletarum cedibus imminentem Thorkillus Thelemarchie ortus emissio per chordam spiculo traiicit. Tanta enim ui periti arcuum Guttones neruos intenderant, ut clypeos quoque iaculis transuerberarent. Nec alia efficacior cedis extitit causa. Lorias galeasque,
 35 perinde ac inerma corpora, sagittarum acumina penetrabant. Interea Vbbo Fresicus, promptissimus Haraldi miles ac pre aliis habitu corporis insignis, preter XI., quos in acie uulnerauerat, XXV. delectorum pugilum interfecit. Ii omnes Sueti sanguine fuere uel Gothi. Deinde primam
 40 aggressus aciem confertissimos hostes insilit, palantesque

metu Sueones hac illac hasta gladioque dispellit. Et iam pene res in fugam cesserat, cum Hagder, Rolder et Gretir, emulacione uirtutis athletam adorti, publicam perniciem priuato redimere periculo statuerunt. Verum comminus 5 instare ueriti, spiculis procul agendum curabant; sicque crebrescentibus iaculis eminus Vbbo confoditur, nemine proprius cum ipso manum conserere presumente. Centum quadraginta quatuor sagitte prius pectus preliantis obsedebant, quam lapsis corporis uiribus solo poplite daret. Tum 10 demum per Throndos eosque, qui Dala prouinciam colunt, ingens de Danis clades accepta est. Nam summa sagittariorum ui recruduit bellum, nec alia res nostris perniciosior fuit.

At Haraldus, cum defectam lumine senectam ageret, triste suorum murmur exaudiens, intellexit, superiorem 15 hostibus arrisisse fortunam. Igitur ut erat falcato curru uectus, Brunonem, | aurige per insidias officio fungentem, qualem Ringo in centurianda acie tenorem habuerit, cognoscere iubet. Qui, paulum soluto in risum uultu, corniculata illum acie preliatum respondit. Quo auditu rex 20 trepidare animo cepit, ac per summam ammiracionem percontari, quo Ringo talem ordinaudi agminis doctrinam auctore contraxerit, maxime cum Othynus discipline huius traditor ac repertor extiterit, nec ab ipso quispiam preter se nouum hoc rei bellice documentum percepérít. Ad 25 quod silente Brunone, subiit regem, Othynum. hunc esse, olimque familiare sibi numen impresenciarum daqde uel subtrahende opis gracia uersiformi corporis habitu tegi. Cui mox supplicare obnixius cepit, uti Danis, quibus ante clementer* affuerit, supremam quoque uictoram tribuat, LXXVIII^b

30 complementumque beneficii origini exequaret, eidem se prostratorum manes munera loco || dedicaturum pollicitus. (147)

At Bruno, nihil obsecrantis precibus motus, repente excussum curru regem arietauit in terram, ereptamque cadenti clauam in ipsius caput detorsit, proprioque eum 35 gestamine interfecit. Iacebant circa currum regis innumerā extinctorum corpora, rotarumque fastigium congeries funesta uincebat. Temonem quoque cadauerum cumulus exequauerat. Nam in acie Ringonis ad duodecim milia proceres exanimati sunt. At ex parte Haraldi, preter 40 popularium stragem, ad .XXX. milia proceres corruerunt.

Cuius Ringo nece cognita, dato signo laxare aciem
 suos bellumque remittere iubet. Deinde sequestra pace
 fedus cum hostibus ferit, frustra pugnam absque duce
 protrahi monitis. Post hec Sueonibus passim inter pro-
 iniscaus cadauerum strues ^{p. 391} Haraldi corpus exquiri pre-
 cepit, ne regium funus debitum fraudaretur inferiis. Igitur
 reuoluendis interfectorum corporibus auida plebs iniicere
 operam cepit. In hanc curam dimidium diei extractum
 est. Tandem cum corpore reperta claua, Haraldi manibus
 10 parentandum ratus, equum, quem insidebat, regio applicatum
 currui aureisque subselliis decenter instratum eius
 titulis dedicauit. Inde uota nuncupat, adiicitque precem,
 uti Haraldus eo uestore usus fati consortes ad Tartara
 antecederet, atque apud prestitem Orci Plutonem sociis
 15 hostibusque placidas expeteret sedes. Deinde rogum ex-
 struit, Danis inauratam regis sui puppim in flamme fo-
 mentum coniicere iussis. Cumque superiectum ignis cadauer
 absumeret, merentes circuire proceres impensiusque cunetos
 hortari cepit, uti arma, aurum, et quodecumque opimum
 20 esset, liberaliter in nutrimentum rogi sub tanti taliterque
 apud omnes meriti regis ueneracione transmitterent. Cineres
 quoque perusti corporis urne contraditos Lethram perferri
 ibique cum equo et armis regio more funerari precepit.
 Tali parentacionis cura iustis auunculo persolutis, Danorum
 25 sibi fauorem conciuit odiumque hostium ad graciam
 deflexit. Post hec a Danis, uti Hetham regni reliquiis
 preficeret, exoratus, ne repente recidue hostium vires
 coalescerent, Scaniam a Danie corpore abruptam in Olonis
 prefecturam seceruit, Sialandiam uero reliquosque regni
 30 fines Hethe duntaxat parere iussit. Ita in potestatem
 Sueticam fortune uarietas Danicum rededit imperium. Et
 hic quidem belli Brauici finis.

At Sialandenses, qui Haraldo duce usi fuerant, cum
 adhuc prioris fortune species animis oberraret, feminineis
 35 parere legibus probrosum rati, Olonem accedunt, postu-
 lantes, ne clarissimi regis milicie assuetos muliebri iugo
 obnoxios haberi pateretur. Preterea ad ipsum se defe-
 cturos, si pro condicionis eorum deformitate tollenda arma
 susciperet, pollicentur. Nec segniter Olo supplicantibus
 40 affuit, tam auite maiestatis memoria quam militum inuitatus

obsequio. Igitur Hetham, ad se uenire iussam, cunctis preter Iutiam dominacionis sue partibus cedere ante minis quam armis coegit, ipsamque Iutiam, ne femine liberum regni usum tribueret, uectigalem effecit. Filium quoque 5 proereauit, cui Omundo uocabulum posuit. Ceterum eruditati intentus tam impium regem agebat, ut superior regine contemptus cunctis penitenciam pareret, quibus regnum eius rubori fuisse. Duodecim duces, siue patrie calamitatibus moti siue Oloni ob aliam olim causam infesti, insidias capiti eius preparare ceperunt. Ex his fuere Lennius, Atyla, Thottus et Vithnus; qui quanquam apud Sclauos prefecturam gerebat, Danos tamen origine contingebat. Ceterum ad peragendum facinus parum uiribus atque ingenio freti, pecunia Starcatherum ad(s)eiscunt.* Ille ut LXXIXA
 10 rem ferro exequeretur, adductus, utentem balneis regem, suspectis cruenti ministerii partibus, attentare constituit. Quo lauante ingressus, mox aeri ipsius uisu luminumque continua mobilitate nibrancium fulgore perstrictus, occulto metu hebetatis artubus, uestigium pressit, relatoque pede 15 manum || propositumque suspendit. Itaque qui tot dueum, (148) tot pugilum arma protrierat, unius inermis uiri aeiem ferre non potuit. At Olo, sane uultus sui conscius, obtecto ore, accedere eum propius et, quid afferat, edere iubet; quippe quem uetustas conuictus et longa familiaritatis |
 20 25 experientia ab insidiarum suspicione alienissimum faciebant. At ille destricto muerone prosiliens transuerberat regem, nitentisque assurgere iugulum ferit. Centum et uiginti auri libre in premio reponebantur. Post modum penitencia ac pudore perculsus, tanta animi acerbitate commissum facinus luxit, ut, si mencionem eius incidere contigisset, a lachrymis temperare non posset. Adeo culpe atrocitatem resipiscens animus erubescerebat. Preterea aliquot ex his, quorum instinctu usus fuerat, in sceleris a se commissi uindictam oecidit, et, cui facto manum tribuerat, prebuit ulcionem.
 30 35 Ceterum Omundum Dani, Olone ortum, creauere regem, plus parentis eius nobilitati quam meritis deferendum putantes. Hic postquam maturuit, in nullo paternis operibus defecctor extitit. Siquidem res ab Olone gestas aut equare aut transcendere cure habuit. Preerat eo tempore aliquante Normannorum genti Ringo, cuius filiam

Esam Omundo matrimonium circunsipienti insignis commendauerat fama. Verum poscende eius spem singulare Ringonis studium minuebat. Is quippe solum spectate fortitudinis generum affectabat, tantum glorie in armis
 5 reponens, quantum ceteri in opibus situm autumant. Igitur Omundus, ut eo claritudinis genere illustris euaderet laudemque sibi fortitudinis conciliaret, uiribus uotum impetrare conatus, classe Noruagiam accedit, Ringonis regnum hereditatis nomine tentaturus. Excipit amice illum Iathrie
 10 regulus Oddo, qui Ringonem certissimum patrimonii eius inuasorem assereret, seque sepius ab eodem iniuriis laces-
 situm defleret. Itaque, Ringone interim apud Hyberniam piraticam exercente, prouinciam propugnatore uacuam adortus, preteritis popularium rebus, peculiaria Ringonis
 15 bona rapine tradidit, eiusque necessarios interfecit. Nam Oddo quoque Omundo manum iunxerat. Inter omnia autem facinora, que uarie ac multipliciter gesserat, numquam, quibus multitudine copiarum prestaret, uim inferre sustinuit,
 memor, se, fortissimo parente editum, uirtute, non numero
 20 bella gerere oportere. Interea Ringonem a piratica reuer-
 tentem adesse contigit. De cuius reditu edoctus pregrande moliri nauigium cepit, unde tanquam e munimento superne hostem telis appeteret. Huic Atylonis Scanici filii Homothus ac Thola remiges ad(s)ciscuntur, quorum alter gubernatorem agere, alter prore preesse iussus. Nec Ringoni in his excipiendis ingenium aut solertia defuit. Quippe exiguam copiarum partem ostendens, a tergo hostem in-
 cursandum curauit. De cuius astucia Omundus per Oddonem cercior factus, qui in insidiis constitutos opprimerent,
 25 mittit, Atylone Scanico Ringonem excipere iusso. Is imperio pronius quam felicius obsecutus, fractis bello rebus acceptaque strage, uictus refugit in Scaniam. Igitur Omundus, reparatis per Oddonem uiribus, pugnaturam pelago classem explicat.
 Quo tempore Atylo, bellum Noruagicum ex somniorum uisis
 30 haud dubie* speculatus, redimende fuge gracia quam celer- LXXIX
 rime nauigacionem orsus, Omundum prelio propinquum grata societate prosequitur. Cuius Omundus opera fretus, pugnam tam feliciter quam fidenter ingreditur. Nam habito per se conflictu, uictoriam, quam in suis amiserat, recu-
 35 perauit. Quem Ringo, mortifico uulnere perstrictus, exan-

guibus contemplatus oculis, manu, ut poterat, mota (nam uox linguam defecerat) accersitum, fore sibi generum obsecrat, iocunde se fatum excipere asserens, si tali filiam connubio reliquisset. Nec responso exceptus extinguitur.

5 Cuius excessum Omundus lachrymis prosecutus, Omothum, cuius fidam in bello operam expertus fuerat, alterius filiarum Ringonis connubio donat, alteram ipse complectitur.

Eodem tempore Rusla virgo, strenuis milicie operibus muliebrem animum supergressa, apud Noruagiam cum

p. 395

(149)

10 fratre Throndo crebros de rerum summa conflictus haberat. Hec Omundum Noruagiensibus preesse non sustinens, in omnes Danorum dediticios decreuerat bellum. Quod Omundus nuncio expertus, ad hunc tumultum cōprimentum promptissimos destinat. Quibus superatis Rusla,

15 superbiam ex uictoria nacta, animum spe immodica raptum ad ipsam rerum Danicarum summam pociendam intendit. Primum igitur Hallandie partes adorta, ab Omotho et Thola a rege transmissis excipitur, uictaque bello refuga concessit ad classem. Cuius .XXX. sole rates, ceteris ab hoste

20 captis, fugam nauigacione carpserunt. Euitantem Danos sororem armis excipit Throndus, a qua uictus totoque exercitu spoliatus, Dofrinas Alpes permeciendo neminem fuge comitem habuit. Ita, que paulo ante Danis cesserat, mox fratre superior fugam uictoria mutauit. Quo cognito,

25 Omundus ingenti Noruagiani classe repetit, primumque Thelemarchie populum per Omothum et Tholain, clandestino compendio missos, aduersus Rusle dominacionem erexit. Quo euenit, ut Rusla, regno per populares exacta, apud insulas, quas spe salutis accesserat, superuenientibus

30 Danis terga sine prelio daret. Cuius fugam rex impensis persecutus, interceptam pelago classem internicione deleuit, incruentamque uictoriam ac speciosa spolia cum summo hostium discrimine retulit. At Rusla, perpaucis elapsa nauigiis, incitaciōi fluctus remigio persulcabant. Que dum

35 Danos declinat, fraterno trucidatur occursu. Adeo efficaciorē uim nocendi incircumspecta solent habere pericula, et, que minus metuuntur mala, plerunque instantibus grauiora casus efficit. At rex, Throndo ob interfessionem sororis prefectura donato, ceteris uero sub pensione choercitis, in patriam reddit.

40 Ea tempestate Thorias ac Bero, promptissimi Rusle

p. 396

milites, apud Hyberniā piraticū munus edebant. Hi, cognita domine nece, quam se olim ultros iureiurando promiserant, *Omundum* aude petitum duelli prouocacione sollicitant. Quod abnuere quondam probrosum regibus 5 habebatur. Veterum enim claritudo principum ex armis pocius quam opibus estimabatur. Subeunt igitur *Omothus* et *Thola*, qui se prouocatores regis pugna excepturos offerent. Quibus *Omundus* impense laudatis, primum eorum operam admittere uitandi ruboris gracia recusauit.

10 Ad ultimum crebris suorum precibus exoratus, aliena manu fortunam experiri sustinuit. Quo certamine *Beronem* occubuisse, *Thoriam* grauiter affectum pugna excessisse proditum est. Quem rex, primo e uulneribus recreatum, mox in fidem acceptum, ducem *Noruagie* creat. Deinde cum 15 consuetum a *Sclauis* per legatos tributum exigeret, non solum legatorum cedibus, sed eciam ui *Sclauica* apud *Iutiam* lacescit, VII. reges uno certamine superauit, solitumque tributi ius uictoria confirmauit.

Interea *Stareatherus*, prolixa iam estate defessus, cum 20 castrorum stipendiis ac gladiatorio munere emeritus haberetur, ne senii uicio pristinum glorie decus amitteret, egregium fore putauit, si uoluntarium sibi con(s)cisceret exitum fatumque proprio maturasset arbitrio. Itaque, qui tocies excellentes ediderat pugnas, incruenta morte* de- LXXX.
25 fungi ignobile ratus, ut specioso obitu preterite uite claritatem augeret, maluit ab ingenuo quoquis interfici, quam serum nature iaculum opperiri. Adeo quondam rei bellice deditis morbo oppetere probrosum existimatū est. Itaque, cum et corpore inualido et defectis perspicuitate luminibus 30 esset, diuturnioris uite moram perosus, emendi in se percussoris gracia aurum, quod pro *Olonis* interfeccione meruerat, collo aplpensum gerebat, non apcius se uiolate maiestatis iniuriam expiaturum ratus, quam si idem sue, quod *Oloniane* necis extiterat premium, effecisset, aurumque,
35 quod pro aliena clade tulerat, damno proprie salutis impenderet. Hunc quippe usum scelestissimi precii pulcherum credidit. Itaque gemino cinctus ense totidem baculorum amminiculo uaculauirum uestigia tutabatur. Quo uiso, popularium quidam, geminum gladiorum usum seni 40 superuacuum ratus, donari sibi alterum per ludibrium pe-

tiuit. Quem Starcatherus, spe petitionis facta, propius ||
 accedere iussum, detracto lateri mucrone transuerberat. (150)
 Quod Hatherus quidam, cuius patrem Lennonem Starca-
 therus olim parricidii penitencia adductus occiderat, dum
 5 canibus feras insequeretur, aspiciens, omisso uenacionis
 officio, duos e comitibus iniiciendi metus gracia concitatis
 uehementer equis in senem impetum dirigere iubet. Qui
 dum, proculsu edito, refugere cupiunt, Starcatheri baculis
 intercepti morte supplicia luerunt. Quo spectaculo Hatherus
 10 ad modum perterrefactus, propius equo aduolat, agnatumque
 senem, sed ab eo minime recognitus, an gladium uehiculo
 permutare uellet, interrogat. Refert Starcatherus, quondam
 penas se ab irrisoribus exigere solitum, nec umquam im-
 pune sibi a procacibus insultatum. Sed neque iuuenem
 15 ex oris notis defuncta uisu acies deprendere poterat. Itaque
 carmen, quod indignacionis sue magnitudinem patefaceret,
 in hunc subtexuit modum:

Vt sine regressu pronas agit alueus undas,
 Sic etas hominum, cursim labentibus annis,
 Irreditura fluit; preceps ruit orbita fati,
 20 Quam generat finem rerum factura senectus.
 Illa oculos hominum pariter gressusque relidit,
 Eripit os animumque uiris, fameque nitorem
 Paulatim premit et claros obliterat actus;
 Occupat occiduos artus, frustratur anhele
 25 Vociis opus, uegetamque premit torpedine mentem.
 Dum paritur tussis, dum pellis scabida prurit,
 Dens stupet exesus, stomachus fastidia gignit,
 Euacuat iuvenile decus, marcore colorem
 Oblinit et picea crebras serit in cute rugas.
 30 Obterit egregias artes, monumenta priorum
 Obruit et titulos antique laudis adurit;
 Demolitur opes, precium uirtutis et usum
 Carpit edax, transuertit res et ab ordine turbat.
 Ipse ego, quam noceat, didici, damnosa uetustas,
 35 Visu eger, uocis modulis et pectore raucus;
 Cunctaque in aduersam fluxerunt commoda sortem.
 Iamque minus uegetum corpus fulcimine tutor,
 Flaccida subiectis innixus membra bacillis.

p. 398

Lucis inops moderor uestigia fuste gemello,
 Et uirga monstrante sequor compendia callis,
 Stipitis auspicio pocius quam lumine fisus.
 Nemo mei curam celebrat, nec in agmine quisquam
 Solamen ueterano adhibet, nisi forsan Hatherus
 Assit et infracti rebus succurrat amici.
 Ille, semel quemcunque pio dignatur amore,
 Integer incepti studio constanter eodem
 Prosequitur, primosque timet peruellere nexus.
 Ille eciam bello meritis bene premia crebro
 Digna refert, animosque colit; largitur honorem
 Fortibus et claros donis ueneratur amicos.
 Spargit opes, laudisque sue cumulare nitorem
 Dapsilitate studet, multos superare potentes.
 Nec minor ad Martem pietatem uiribus equat,
 Belligerare celer, labi piger, edere pugnam
 Promptus, et urgenti tergum dare nescius hosti.
 At michi, si recolo, nascenti fata dedere
 Bella sequi belloque mori, miscere tumultus,
 Inuigilare armis, uitam exercere cruentam.
 Castra quietis inops colui, pacemque perosus
 Sub signis, Gradiue, tuis discrimin'e summo
 Consenui; uictoque metu, pugnare decorum,
 Turpe uacare ratus, crebras committere cedes
 Egregium duxi et strages celebrare frequentes.
 Sepe graues bello reges concurrere uidi,
 Et clypeos galeasque teri, crudescere campos
 Sanguine, loricas affixa cuspide rumpi,
 Vndique thoraces admisso cedere ferro,
 Luxuriare feras inhumato milite pastas.
 Hic aliquis forte egregii conaminis auctor
 Marte manuque potens medium dum pugnat in hostem,
 Intentam capiti loricam diffidit alter,
 Casside perfossa, ferrumque in uertice mersit.
 Hic gladius sepe dextra bellantis adactus
 Tegmine discisso capiti destrictus inhesit.

Contra Hatherus huius modi carmen habuit:

Vnde uenis, patrias solitus scriptare poeses,
 Infirmo dubium suspendens stipite gressum?

LXXX

p. 399

(151)

p. 400

Quoꝝ ruis, Danice uates promptissime Muse?
 Roboris eximii cassus decor excidit omnis;
 Exulat ore color, animoque amota uoluptas;
 Destituit fauces nox et raucedine torpet;
 Deseruit corpus habitus prior; ultima cepit
 Illuuias, formeque notas cum robore carpsit.
 Vt ratis assiduo fluctu quassata fatiscit,
 Sic longo annorum cursu generata senectus
 Triste parit funus, defunctaque uiribus etas
 Occidit et prime patitur dispendia sortis.
 Quis uetuit te, note senex, iuuenilibus uti
 Rite iocis, agitare pilam, morsa nuce uesci?
 Iam sacius reor, ut rhedam, qua sepe ueharis,
 Venditor ensis emas, facilemue in frena caballum,
 Aut precio leue curriculum merceris eodem.
 Apcius inualidos, sua quos uestigia fallunt,
 Excipient iumenta senes; rota proficit illi
 Orbibus acta suis, cui planta uacillat inanis.
 At si forte caues cassum uenundare ferrum,
 Ereptus tibi te perimet, ni ueneat, ensis.

LXXXI^a

p. 401

Ad hec Starcatherus:

Improbe, uerba seris facili temeraria labro,
 Auribus inconcinna piis. Quid premia ductus,
 Qui gratis prestandus erat, per munera queris?
 Nempe pedes gradiar, nec turpiter ense relicto
 Externam mercabor opem; natura meandi
 Ius dedit, et propriis iussit confidere plantis.
 Cur, cui debueras ultro dux esse uianti,
 Ludibrio insultas, sermone procaciter usus,
 Queque olim gessi, memori dignissima fama,
 Dedeconi tribuis, meritum quoque crimine pensas?
 Quid risu insequeris uetulum pugnare potentem,
 Inuictosque meos titulos et splendida facta
 Probro adigis, famosa terens et forcia carpens?
 Qua probitate petis indignum uiribus ensem?
 Haud latus hic imbelli decet dextramue bubulci,
 Agrestem soliti calamo deducere Musam,
 Procurare pecus, aruis armenta tueri.
 Nempe inter uernas olle uicinus obuncte

(152)

Crustula spumantis patine bulligine tingis,
 Crassi adipis macrum profundens unguine panem,
 Iusque tepens furtim digito siciente liguris,
 Docior assuetam cineri prosternere pallam,
 Indormire lari, somnos celebrare diurnos,
 Sedulus officium nidentis obire culine,
 Quam bello fortē iaculis aperire cruentem.
 Auersans lucem, latebre sordentis amator,
 Mancipiū uentris miserabile parque putaris
 Sordida cum siliquis lambenti farra catello.
 Hercule non tunc me ferro spoliare petebas,
 Quando ter Olonis summo discriminē nati
 Expugnator eram. Namque agmine prorsus in illo
 Aut gladium fregit manus aut obstancia fudit;
 Hec grauitas ferientis erat. Quid, quando Curetum
 Littus et innumera constratum cuspide callem
 Primus ligniferis docui decurrere plantis?
 Namque aditurus agros confertos murice ferreo
 Armabam laceros subiecto stipite gressus.
 Ille mecum egregiis congressum uiribus Hamani
 Enecui; mox cum Rino duce Flebace nato
 Obtriui Kyrios, uel quas alit Estia gentes,
 Et populos, Semgala, tuos. Post hec Thelemarchos
 Aggressus, caput inde tuli liuore cruentum,
 Quassum malleolis armisque fabrilibus ictum.
 Hic primum didici, quid ferramenta ualerent
 Incudis, quantumue animi popularibus esset.
 Teutonici quoque me penas auctore dedere,
 Cum natos, Suertinge, tuos, Frothonis iniqua
 Cede reos, domini uindex ad pocula strau.
 Nec minus hoc facinus, quando pro uirgine cara
 Vno septenos necui certamine fratres,
 Teste loco, qui me stomacho linquente peresus
 Non parit arenti rediuuum cespite gramen.
 Moxque ducis Kerri bellum nauale parantis
 Vicimus egregio confertam milite puppim.
 Inde dedi leto Wazam, fabrumque procacem
 Multaui natibus cesis, ferroque peremi
 Rupibus a niueis hebetantem tela Wisinnum.
 Quatuor hinc Leri natos pugilesque peremi

p. 402

LXXXI^b

p. 403

p. 404

Biarmenses. Gentis Hiberne principe capto,
Dufline populabar opes; semperque manebit
Nostra Brawellinis uirtus conspecta tropheis.

p. 405

5 Quid moror? Excedunt numerum, que fortiter egi,
Quodque manu gessi, ad solidum celebrare roeensens
Deficio; sunt cuncta meo maiora relatu;
Vincit opus famam nec sermo suppetit actis.

Hec Starcatherus. Tandem, cum Hatherum Lenno
patre ortum mutuo sermone expertus fuisse, animaduertens
10 iuuenem splendido loco natum, ferendum ei iugulum
prebuit, hortatus, ne a parentis sui interfectorē penas ||
exigere uereretur. Hec facientem auro, quod a Lennone
receperat, potiturū esse promittit. Et ut eiusdem in se
uehemencius amimum efferaret, huiusmodi exhortacione
15 usus esse traditur:

(153)

Preterea, Hathere, priuaui te patre Lenno;
Hanc mihi, queso, uicem referas, et obire uolentem
Sterne senem, iugulumque meum pete vindice ferro.
Quippe operam clari mens percussoris adoptat,
20 Horret ab ignaua fatum deposcere dextra.
Sponte pia legem fati precurrere fas est.
Quod nequeas fugere, hoc eciam anticipare licebit.
Arbor alenda recens, uetus excidenda. Minister
Nature est, quisquis fato confinia fundit,
25 Et sternit, quod stare nequit. Mors optima tunc est,
Cum petitur, uiteque piget, cum funus amatur,
Nec miseros casus incommoda proroget etas.

LXXXII*

Hec dicens exertam crumena pecuniam promit.
Hatherus autem, tam fruendi eris quam paterne uileonis
30 capessende cupidine concitatus, obsecuturum se precibus
nec premia repulsurum, spopondit. Cui Starcatherus cupide
ense prebito, pronam post modum ceruicem applicuit, ne
timide percussoris opus exequeretur aut ferro muliebriter
uteretur, hortatus, prefatusque, quod, si peracta cede,
35 ante cadaueris lapsum caput ac truncum medius intersiliret,
armis innocuus redderetur. Quod utrum instruendi per-
eussoris *(gracia)* an puniendi dixerit, incertum est. Fore

p. 406

enim poterat, ut saltantem eximii cadaueris moles obrueret. Igitur Hatherus adacto uegete gladio senem capite demutilauit. Quod corpori auulsum impactumque terre glebam morsu carpsisse fertur, ferocitatem animi moribundi oris atrocity declarans. Percussor tamen, promissis fraudem subesse ueritus, saltu non incautus abstinuit. Quem si temere peregisset, forte lapsi cadaueris ictu obrutus occisi senis penas proprio funere persoluisset. Verum ne tantum athletam busti inopem iacere pateretur, corpus eius in campo, qui uulgo Rølung dicitur, sepulture mandandum curauit.

Omundus autem, ut accepi, pace integra, summa cum tranquillitate decessit, duobus filiis et totidem filiabus relictis. E quibus maximus natu Syuardus, fratre Buth^(I)o adhuc tenero, regnum hereditate consequitur. Quo tempore Sueonum rex Götarius alteram Omundi filiarum ob eximie pulcritudinis famam infinito amore complexus, Ebboni cui-dam Sibbonis filio postulande uirginis gracia negocium legacionis imponit. Is, officio prudencius administrato, gratum de puelle consensu nuncium retulit. Iamque nihil uoto preter nupecias deerat, quas Götarius apud alienos agere metuens, per Ebonem, quo prius legato usus fuerat, sponsam sibi transmittendam efflagitat.

Is cum parua ad modum familia comitatus Hallandiam preteriret, ad agrestem uicum se pernoctandi gracia consultit, in quo duorum fratum habitaciones aduersas medius amnis secreuerat. Et hi quidem consuetudinem iugulandi, quos hospitaliter recepissent, habebant, liberalitatis specie latrocinium obscurare callentes. Trabem enim in modum preli oblongam eandemque ferri acumine peditam arcans quibusdam uinculis in excelsa domus parte suspenderant, quam nocturno tempore subductis nexibus demittentes, subiectorum capita desecare solebant. Iu quem modum complurium uertices pensili mole preciderant. Igitur Ebboni suisque post epulas abunde prebitas penes focum ministri thorum extruunt, ut applicatas igni ceruices insidiose trabis impulsu demeterent. Quibus abscedentibus Ebbo, impensum capitibus machinamentum suspiciens, socios simulato somno corpora transponere iubet, prefatus, perquam salutarem eis loci uariacionem existere. Fuere

autem inter eos quidam ab Ebonis clientela extranei,
 qui, spretis, que ceteri exequabantur, monitis, immoti, ut
 cuique iacendi locus obuenerat, cubuerunt. Sub opacam
 uero noctem ab insidiarum ministris pendulum machina-
 5 menti pondus impellitur. Quod nodis, quibus inhorebat,
 excessum magnaue ui solo adactum subiectos excio
 tradidit. Igitur qui facinoris exequendi curam habebant,
 quo cercius rei euentum discerent, illato lumine, Ebonem,
 propter quem maxime rem adorsi fuerant, prudenter peri*-
 10 culo occurrisse cognoscunt. A quo protinus impetiti san- LXXXII^b
 guine penas dederunt. Ebbo quoque, suis per mutuam
 stragem amissis, frequentem crustulis glacialibus amnem
 inuento forte nauigio superat, Götaroque cladis sue pocius
 quam legacionis euentum declarat.

15 Quam rem Götarus a Syuardi instinctu profectam
 iudicans, iniuriarum uindictam armis exequi parat. ⟨A⟩ quo
 Syuardus apud Hallandiam expugnatus, sorore ab hostibus
 capta, concessit in Iutiam. Vbi Scлавorum uulgus, pugnam
 sine principe ausum, acie superauit, tantum glorie ex
 20 uictoria nactus, quantum ex fuga dedecoris traxerat.
 Verum hisdem, quos ductu uacuos debellauerat, paulo post
 ducem nactis pugna apud Fioniam cessit. Aduersum quos
 identidem in Iutia preliatus, infelicem pugne euentum
 habuit. Quo euenit, ut Scania Iutiaque exutus, media
 25 duntaxat regni ueluti quasdam exesi corporis partes sine
 capite retineret. Jarmericus ex eo genitus cum sororibus
 ad modum paruulis preda hostibus fuit: quarum altera
 Noruagiensibus, altera Germanis, quod uenalia quondam
 solebant esse connubia, precio uenditata est. Itaque
 30 Danorum regnum fortissime propagatum, tantis eciam
 maiorum titulis illustratum, tot uictoriis auctum, ob unius
 uiri inerciam ex summo nitore fortune et florentissimo
 rerum statu eo ignominie peruenit, ut pensionem, quam
 prius exigebat, exsolueret. Syuardus autem, sepius uictoria
 35 cassus ac deformium fugarum reus, post tot maiorum
 decora in tam erubescendo patrie statu confusa regni
 gubernacula gestare non sustinens, ne diuturnior uita ad
 extremam glorie iacturam pertingeret, speciosum sibi fatum
 pugna parere properauit. Quippe memorem calamitatis
 40 animum deponende egritudinis cupidio salutis fastidio cru-

(154)

p. 408

ciabat. Adeo demendi ruboris studium lucem ei inuisam effecerat. Igitur comparatis pugne copiis, Simoni cuidam, sub Götaro Scaniam procuranti, bellum aperte denunciat. Quod obstinatis temeritatis uiribus executus, occiso Simone,
5 per summam hostium stragem uitam finiuit. Patria tamen prestande pensionis onere liberari nequivit.

Interea Iarmericus apud regem Sclauorum Ismarum cum coeuo sibi collacteoque Gunnone coniectus in carcerem captiuus degebat. Quo demum erutus atque exercendi ruris culture applicatus, rusticum opus exequitur. Ob cuius promptissimam administracionem ad regalium mancipiorum magisterium transfertur. Eo quoque sincerissime gesto, in necessariorum regis gregem assumitur. Vbi cum se iuxta aulicorum ritum egregia morum ame
15 nitate gessisset, breui in aniicorum numerum translatus | primum familiaritatis locum obtinuit, ac neluti quibusdam meritorum gradibus fretus ab infima sorte ad spectatum honoris fastigium concessit. Et ne segnem eneruemque iuuentam ageret, militaribus se studiis assuefecit, nature
20 dotes industria cumulans. Grata omnibus Iarmerici indoles erat; soli regine suspectum adolescentis ingenium fuit. Fratrem quoque regis fato functum repentinus rumor edocuit. Cuius corpus Ismarus amplissimo funere elaturus, quo maior exequiarum pompa fieret, regia comitate con
25 uiuum instruit. At Iarmericus, alias cum regina familiaris *(rei)* curam sortitus, ad fugam, cuius facultatem regalis absencia promittere uidebatur, circunspiciendam accessit. Aniinaduertebat enim, se eciam inter opes positum miserabile regis mancipium fore et quasi alieno beneficio pre
30 carium spiritum possidere. Preterea, quanquam primis apud regem honoribus uteretur, libertatem deliciis preferendam existimans, uisende patrie noscendique generis eximia cupiditate flagrabat. Sciens autem, quod regina, ne quis captiuorum elabi posset, competentibus prouidisset
35 excubiis, quo uiribus peruenire nequibat, arte assurgendum procurat. Fiscellam itaque byblo ac uimine textam, qua agrestes instar hominis formata aues aristis deturbare consueuerant, uiuo cane compleuit; quam eciam detracto sibi cultu, quo uerisimilius humani representaret imaginem,
40 texit. Deinde priuatum regis erarium demolitus, egestam

p. 409

(155)

inde pecuniam notis sibi tantum recondidit locis. Interea* Gunno, absenciam socii simulare iussus, illata in regiam ^{LXXXIII.} fiscella impulsoque ad latrandum cane, percontanti, quidnam hoc esset, regine, mente captum clamitare retulit
 5 Iarmericum. Illa ad aspectum statue similitudinis errore delusa, insanum ede eiici iubet. Tunc Gunno perlatam foras statuam perinde ac furentem socium lectulo tradit. Sub noctem uero uigiles epularum hilaritate ac uino prouehit largiore, abscisaque dormiencium capita, quo turpiore
 10 eos morte consumeret, inguini sociauit. Excitata strepitu regina causamque eius discere cupiens, concita fores petiuit. Sed dum caput incaucius exerit, improviso Gunnonis ense confoditur. Que cum mortificum uulnus experta corrueret, reflexis in occisorem luminibus, Nullius, inquit, obtenu
 15 fraudis, si incolumi michi uiuere licuisset, his finibus impunitus excederes. Ad hunc modum crebras in percussorem minas moribunda profudit. Post hec Iarmericus una cum Gunnone, preclari facinoris socio, tabernaculum, in quo rex fraternalis conuiuio celebrabat exequias, cunctis temu
 20 lencia uictis, admoto furtim incendio complet. Quo lacius fuso, quidam, ebrietatis stupore discusso, inmissis equis deprehensos periculi insequuntur auctores. At iuuenes primum iumentis, que receperant, uecti, ad ultimum, hisdem prolixiori cursu debilitatis, pedites dedere fugam.
 25 Iamque pene occupatis amnis remedio fuit. Pontem enim, quem ante morandi persecutoris gracia precisus ad medium trabibus non modo onerum impacientem, sed eciam ruine propinquum effecerant, pretergressi, in opacam de industria uoraginem concesserunt. Quibus imminentes Sclaui, dum
 30 parum prospecto periculo equis improudi pontem onerant, desidentibus tabulatis excussi, precipitantur in flumen. Sed dum erando ripam appetunt, a Gunnone et Iarmerico obstantibus intercepti, mersi aut interficti sunt. Ita iuuenes, egregia calliditate usi, non ut fugitiua mancipia, sed quasi
 35 prediti consilio senes, maius estate sua facinus ediderunt, quod acute conceperant, efficaciter adimplendo. At ubi in littus uentum, rapto, quod fors obtulerat, nauigio, in altum procedunt. Quos, qui insequebantur, barbari nauigare conspectos uociferando reuocare conati, regnaturos,
 40 si redeant, spondent, quod publico ueterum instituto regum,

p. 410

percussoribus regnorum successio decreta fuerit. | Diu p. 411
recedencium aures pertinax Sclauorum clamor promissis
pellacibus exurdabat.

Ea tempestate Buthlus, Syuardi frater, Danis perfunctorie preerat, a quibus uenienti Iarmerico regnum tradere coactus, ex rege priuatus euasit. Eodem tempore Götarus Sybbonem stuprate sororis insimulatum occidit. Cuius nece affines permoti, ad Iarmericum ciulabundi decurrunt, seque in ulcionem propinquai Götarum cum eo oppugnaturos promittunt. Nec parum promissa soluerunt. Nam eorum auxiliis oppresso Götaro, Iarmericum Suetia potiri contigit. Qui cum duarum gencium imperio fungetur, au(c)te dominacionis fiducia Sclauos prelio tentat. Quorum XL. captos applicatis totidem lupis laqueo adegit. Quem supplicii modum, olim parricidis debitum, ob hoc circa hostes peragere uoluit, ut, quante in Danos rapacitatis extiterint, ex ipsa atrocium beluarum communione uidentibus conspicuum foret. Subacta quoque regione presidia locis opportuna disponit. Inde profectus Sembonum, Curetum complurimumque Orientis gencium cladem exercuit. Qua regis occupacione Sclavi datam sibi defeccionis materialm iudicantes, imperfectis, qui ab ipso presides constituti fuerant, Daniam || depopulati sunt. Quorum classem Iarmericus forte e piratica rediens interceptam deleuit, eoque facinore priores uictoriarum titulos decorauit. Ceterum optimates eorum primo tibias loris traiectos moxque immanium taurorum ungulis alligatos molossisque incessentibus raptim in cenum uoraginiques pertractos lachrymabili spectaculo consumpsit. Ea re hebetati Selauorum animi LXXXIII summa cum trepidacione regis imperium coluerunt. Iarmericus itaque, tot gencium manubiis locupletatus, ut tutum prede domicilium compararet, in editissima rupe mirifico opere edem molitur. Aggerem collatis glebis extruit, fundamentum crebris coniicit saxis, ima uallo, triliniis media, summa propugnaculis cinxit. Secus undique iuges excubias fixit. Quatuor porte magnitudine prestantes a totidem plagis irrestrictos aditus dabant. In huius domus magnificenciam omnem opum suarum apparatum congessit. Ita domesticis rebus compositis, rursum in externas cupi-
40 dinem uertit. Igitur nauigacione cepta, quatuor fratres

(156)

p. 412

genere Hellesponticos obuios pelago factos piraticeque ad modum studiis assuetos maritima pugna attentare non distulit. Qua triduo gesta, sororem eorum cum medietate tributi, quo uictos onerauerant, pactus prelum reuocauit.

5 Post hec Liuorum regis filius Bicco captiuitate, quam sub memoratis fratribus ducebat, elapsus, Iarmericum, a quo olim fratribus spoliatus fuerat, iniurie haud oblitus accessit. Apud quem benignius habitus, breui arcanorum omnium arbiter singularis euasit. Hunc ut suis per omnia tractabilem monitis sensit, in res quam maxime factu detestabiles consultantem adduxit, atque ad scelera flagiciaque committenda compellit. Adeo nocendi artem obsequii simulacione captabat. Precipue eum aduersum eos, quos sanguine proxime contigisset, armabat. Ita fraternam 10 ulcionem, quia uiribus nequibat, fraude exequi pertentabat. Quo euenit, ut rex, uirtutum loco uiciorum sordes amplexus, ob ea, que perfidi monitoris impulsu atrociter gesserat, communibus in se locum odiis daret. Aduersum quem eciam Sclavorum tumultus exoritur. Cuius sopiendi 15 20 gracia duces eorum captos, traiectis fune tibiis, equis in diuersa raptantibus prebuit lacerandos. In hunc modum consumpti principes corporum suo|rum distractu pertinacis animi penas dederunt. Que res Sclavorum obsequia in suo statu equali ac solida subieccione continuuit.

25 Interea, qui ex sorore Iarmerici apud Germaniam orti educatiique fuerant, aucto nomine freti in auunculum arma suscipiunt, eque sibi regnum atque ei deberi certantes. Quorum municiones rex apud Germaniam machinis demolitus, oppidis compluribus aut obsessis aut captis, 30 nonnullis eciam solo equatis, incruentam ad ciues uictoriā reportauit. Occurrunt Hellespontici, pactis sororem nupciis offerentes. Quibus celebratis, rursum Bicconis instinctu Germaniam petens, captis bello sororiis laqueo spiritum eripere non dubitauit. Optimates quoque conuiuii simu- 35 lacione contractos eodem exemplo consumendos curauit.

Interea Broderus, quem olim rex ex alio sustulerat matrimonio, nouerce curam ab eo susceptam plenis sanctitatis excubiiis celebrabat. Quem Bicco apud patrem incesti crimine accusatum, ne falso insimulasse uideretur, 40 subornatorum testimonio insecurus est. Cumque Broderus,

accusacionis partibus plene exhibitis, defensionis presidia afferre non posset, pater ab amicis in conuictum ferri sentenciam iubet, minus impium ratus sumendam de filio vindictam alieno quam proprio delegare iudicio. Quem ceteris proscripcione dignum decernentibus, Bicco tristiorum de capite eius sentenciam ferre non ueritus, a nefariorum stupri auctore penam suspendio capiendam esse pronunciat. Quam nequis a paterna crudelitate profectam putaret, eundem laqueo affixum a ministris subiecto assere ex*cil*piendum percensuit, ut, cum hi fessas oneri manus subducerent, perinde ac rei perempti iuuenis forent regemque parricidii crimine sua culpa liberum facerent. Preterea, nisi pena accusacionem sequeretur, paterne eum saluti insidiaturum astruxit. Adulteram uero Swanildam, quo turpius e uita excederet, pecudum ungulis proculari debere. Paruit Bicconi rex, adactumque suspendio filium, ne strangulari* posset, a circumstantibus tabulati ope alleuandum curauit. Igitur innoxium uinculum parum compressis fauibus solam pene speciem pre se ferebat. Reginam uero firmissimo nexu humo astrictam equinis obterendam calcibus prebuit. Hanc tante fuisse puleritudinis fama est, ut ipsis quoque iumentis horrore foret artus eximio decoro preditos sordidis lacerare uestigiis. Quo argumento rex innocenciam coniugis declarari coniectans, accidente erroris penitencia, falso notatam festinat absoluere. Adiuuat interea Bicco, qui supinam iumenta diris deturbare carminibus, nec nisi pronam obteri posse firmaret. Quippe eam forme sue beneficio seruatam sciebat. In hunc modum collatum regine corpus adactus iumentorum grex crebris alte uestigiis fodit. Hic Swanilde exitus fuit. Interea canis, cui Broderus assueuerat, ceu quibusdam questibus aggressus regem, deflere domini supplicium uidebatur; eiusdemque illatus accipiter intimas corpori plumas rostro detrahere cepit. Ex cuius nuditate rex sumptis orbitatis auspiciis, omen intercepturus prepropere, qui filium laqueo detraherent, mittit. Per implumem enim auiculam futurum se, ni cauisset, absque liberis augurabatur. Liberato clade Brodero, Bicco, delacionis penas exsoluere metuens, nunciare Hellesponticis pergit, Swanildam a uiro nefaria strage 40 consumptam. Quibus ulciscende sororis gracia nauigantibus,

(157)

LXXXIII.
p. 414

ad Iarmericum reuersus, parari bellum ab Hellesponticis, indicat. Rex, menibus quam acie tucius dimicandum existimans, in eam, quam exedificauerat, munitionem confugit. Vbi ad ferendam obsidionem commeatibus penitiora, propugnacula armatis implebat. Fulgentes auro cetre circunpensique clypei supremum edis ambitum adornabant. Contigit autem, ut Hellespontici, prede particionem acturi, magnam suorum manum peculatus insimulatam occiderent. Igitur, quod tantam copiarum partem intestinae clade consumpserant, aule expugnacionem suis alciorem viribus rati, ueneficam, cui Guthrune erat vocabulum, consulunt. Qua efficiente regie partis propugnatores subito oculis capti in se ipsos arma conuertunt. Quo uiso, Hellespontici, applicata testudine, primos portarum aditus occupant. Deinde conuulsis postibus irruptaque ede, cecas hostium phalanges obtruncant. Eo tumultu superueniens Othinus mediosque prelancium globos appetens, Danis, quos paterna semper pietate coluerat, adeniptum prestigiis uisum supera uirtute restituit. Hellesponticos uero, corpora aduersum tela carminibus durare solitos, crebro silice conuerberandos esse perdocuit. Ita utrumque agmen mutua cede consumptum interiit. Iarmericus, utroque pede ac manibus spoliatus, trunco inter exanimes corpore rotabatur. Cui Broderus parum idoneus successit in regnum.

Post hunc regnat Sywaldus. Cuius filius Snio, senectente patre, strenuum piratice opus complexus patriae non solum seruauit, sed etiam diminutas in pristinum habitum reuocauit. Idem, tyrannide suscepta, Eskilli atque Alkilli pugilum insolenciam comprimendo Sciam, a Danice iurisdiccionis integritate submotam, ad societatem patrie uictoria reduxit. Tandem filie Gotthorum regis mutuo amore perstrictus, conueniente eius copiam clandestinis nunciis tentat. Qui a patre puelle intercepti suspedioque consumpti, improuide legacionis penas dederunt. Quorum Snio ulcionem exigere cupiens, cum Gothiam hostiliter aggressus fuisse, rege eius cum copiis occurrente, predictorum pugilum prouocacione rem per athletas gerere iussus, hanc duelli legem edidit, ut alteruter regum prouaria athletarum fortuna aut proprium perderet aut alienum lucraretur imperium, uictique regnum in uictorie premio

p. 415

(158)

reponeretur. Quo euenit, ut Gothorum rex propugnatorum suorum infortunio super**ratus*, regno Danis cedere cogeretur.^{LXXXIII^b} Cuius filiam Snio cum in Sueonum regis connubium paterno impulsu comperisset abductam, quendam obsoleto habitu p. 416 per itinera publica stipem petere solitum ad eam usque tentandam transmisit. Qui cum egenum more propinquum liminibus discubitum habuisset, uisa forte regina, exili uocula succinens, Amat, inquit, te Snio. Illa, allapsum auribus sonum dissimulanter excipiens, nec uisu nec gradu relato procedit in regiam, atque e uestigio regressa obscuro et uix aures offendente sibili, Amantem, inquit, me redamo. Eo dicto uestigium extulit. Quam egenus mutui amoris uocem edidisse gauisus, die postera foribus assidens, presente domina, consueta sermonis breuitate, Locum, ait, uoto suppetero conuenit. Illa rursum argute uocis industriam colligens, summa cum dissimulacione discessit. Paruo post percontatorem preteriens, Bøcherør breui se peruenturam asseruit. Hunc quippe locum fuga petere destinavit. Qua de re egenus cercior redditus, solito percontacionis acumine competens promisso tempus cognoscere perseverat. Illa uero, nec astu inferior nec sermone lucidior, quam breuissime potuit, hyemis inicium nuncupauit. Ceterum stipatores eius, qui leuem amatorie uocis iactum exceperant, plenum calliditatis ingenium extreme stoliditatis deliramentum esse credebant. Que cum Snio cercius ex egeno cognosceret, reginam, sublatis mariti opibus lauandi simulacione digressam, nauigio deportandam curauit. Postea uero sepenumero inter ipsum ac Suethie regem, altero iustas repetente faces, altero illicitas tueri perseverante, ancipiti euentu uariaque uictoria dimicatum est.

Ea tempestate per summam celi intemperanciam agrorum ubertate corrupta, ingens annone caritas incidit. Cumque oborta uictualium raritate granis plebem inedia laceraret, rex, quonam modo temporis difficultati succurreret, anxius, cum aliquanto maiorem bibulorum quam edacium impensam animaduerteret, frugalitatem populo intulit. Conuiuorum usum abrogans, nequa ex fruge pocio pararetur, edixit, acerbitatem famis superflui haustus interdicto pellendam atque a siti abundanciam esus mutuandam existimans.

Tunc quidam petulancioris gule, proscriptam bibendi consuetudinem deflens, altum calliditatis genus complexus, nouam uoluptati licenciam repperit, ac publicam continencie legem priuata intemperancia soluit, deliciarum usum a 5 ridiculi operis acumine mutuatus. Vtiti enim liquoris gustu minutim liguriendo usus desiderium ebrietatis expleuit. Quam ob rem conuentus a rege, integerrimum se frugalitatis obseruatorem asseruit, utpote auditatem haustus moderate sumpcionis ingenio castigantem, affixainque sibi 10 culpam sorbicionis titulo tueri perseuerauit. Denique, adiecto minarum terrore, non modo bibere, uerum eciam pitissare prohibitus, consuetudini tamen imperare non potuit. Vt enim tanquam liceit illicitis frueretur nec gulam alieno subiectam haberet imperio, madefactis pocione 15 crustulis, capace liquoris offula uescebatur, cupitamque erapulam lento gustu prouexit, interdictum sacietatis modum haut secus ac licitum consecutus. Adeo pertinacissima gule rabies, salutem pro luxu || deuouens, nec regia quidem comminacione deterrita, ad omne periculum spernendum temerarium solidauerat appetitum. Secundo quoque perinde ac uiolate constitucionis reus conuenitur a 20 rege. Sed ne tunc quidem facti defensionem abiecit, nequaquam a se regalibus institutis obuiam itum esse contendens, aut decretam edicto continenciam suis profanatam 25 illecebris, presertim cum lata frugalitatis lex ita parsimonie formam tradiderit, ut potandi magis quam edendi liquoris facultas inhibita uideretur. Tum rex obtestans deos, per communem iurare salutem, tale quid deinceps audentem capitaliter esse plexurum. Ille mortem temperanca le- LXXXV^a

30 uiorem uitamque quam luxum deponere tolerabilius ratus, rursum aquis excoquit frugem, detostoque liquore, cum se nullam ulterius excusande cupiditatis defensionem obiectorum speraret, palam pocioni indulgendo ad calicum usum libera fronte conuertit, astuque in audaciam uerso, regiam 35 animaduersionem opperiri quam frugi fieri maluit. Interrogante ergo rege, cur tocies rei | interdicte licenciam usurpasset, Desiderium hoc, inquit, rex, non tam auiditas mea, quam habita in te beniuolencia peperit; funeribus enim regiis inferias conuiuio persoluendas memineram.

40 Itaque ne epulum, quo tue peragantur exequie, ob fru-

(159)

p. 418

menti inopiam solenni pocionis usu careat, industria pocius quam ingluwie ductus prohibiti liquoris temperamento prouidi. Te autem ante alios inedia peritum prioremque busto opus habitum non ambigo, cum ob hoc inusitatam 5 parcitatis legem tuleris, quod defuturam tibi primum alimoniam uerearis. Tibi quippe, non aliis consulendo nouum auaricie auctorem agere sustines. Tam urbana hominis cauillacio iram regis in ruborem conuertit. Qui cum publice salutis decretum in ludibrium sui recidisse consiperet, omissa communis utilitatis consilio, reuocauit edictum, sentenciamque soluere quam ciuium offensam contrahere maluit.

Cumque, ut dixi, siue parum compluta humo seu nimium torrida, torpentibus satis ac parce fructificantibus 15 campis, inedie languor defectam escis regionem attereret, nullumque, parum suppetentibus alimentis, trahende famis superesset auxilium, Aggone atque Ebbone auctoribus, plebiscito prouisum est, ut, senibus ac paruulis cesis, omnique demum imbelli etate regno egesta, robustis duntaxat 20 patria donaretur, nec nisi aut armis aut agris colendis habiles domestici laris paternorumque penacium habitacula retinerent. Quorum mater Gambaruc, id ad se deferentibus filiis, cum a scelesti decreti auctoribus salutem in criminе 25 repositam animaduerteret, damnata concionis sentencia, necessitatem parricidio redimi oportere negabat, propius honestati consilium fore asserens, animorumque ac corporum uirtuti expetibilius, ut, seruata erga parentes ac liberos pietate, patria excessuri sorte deligerentur. Que si senes inualidos obtulisset, robustiores se eorum loco 30 exilio offerrent eiusque pondus pro debilibus perferendum sua sponte susciperent. Ceterum indignos esse uita, qui illam scelere et sacrilegio comparare parentesque ac prolem tam iniquo sentencie genere persequi sustinuissent, caritatis loco crudelitatis officia peracturi. Postremo cunctos male 35 patriam demereri, apud quos parentum aut liberorum amori proprii spiritus caritas preponderaret. Huic uoci ad concionem relate plerique suffragiis assenciebantur. Igitur omnium fortunis in sortem coniectis, qui designabantur, extores adiudicati sunt. Quo euenit, ut, qui sponte ne- 40 cessitati parere noluerant, fortune iudicio obsequi cogerentur,

- Primum itaque Blekingiam aduecti, ac deinde Moringiam
preter nauigantes, ad Gutlandiam [se] appulerunt, ubi, et
Paulo teste, auctore Frigdea, Longobardorum uocabulum,
quorum postea gentem condiderunt, traduntur adepti.
5 Tandem ad Rugiam se applicantes, desertisque nauigiis ||
solidum iter ingressi, cum multam terrarum partem emensi
armisque depopulati essent, post editas late strages
postremo, petitis in Italia sedibus, priscum gentis uocabu-
lum suo nomine permutarunt.
- 10 Interea Danorum tellus, rarescente cultorum opera,
sulcorumque uestigiis situ obductis, siluestrem induit uultum,
et quasi natui cespitis amenitate deposita, informi
succrescencium nemorum densitate perhorruit. Quod presens
quoque camporum eius facies prodit. Que enim olim
15 feracia frugum iugera fuerant, eadem nunc arboreo stipite
conserta uisuntur, atque, ubi olim cultores terram alcius
uersantes uastas dissipauere glebas, illic nunc enatum
nemus seruancia adhuc ueteris culture uestigium rura com-
plectitur. Que nisi cultore uacua ac diuturno situ | uasta*
20 mansissent, nequaquam unius ruris glebam inter factos p. 420
aratro sulcos tenacesque arborum radices partiri potuissent.
Colles quoque, quos in plano humandorum cadauerum eura
ueterum labor extruxerat, presens silue congeries occupat.
Cernere eciam est crebros petrarum aceruos siluarum sal-
25 tibus intersitos, quas toto quondam rure dispersas, ne pro-
scindendis ubique sulcis officerent, coniectis in struem
molibus, rustica eura sublegit, malens exiguum agri per-
dere quam totum difficile reperire. Vnde ex eo, quod
tunc exercendorum liberius aruorum gracia agrestium
30 labor egerat, prioris eui populus postero numerosior ex-
titisse perpenditur, qui breibus agellis contentus agrestem
operam citra ueteris culture uestigia cohibet. Itaque
presens seculi uultus capax quondam ariste solum nunc
gignendis glandibus idoneo, agrestem<que> stiuam ac
35 cereales culmos consita arboribus facie se permutasse
miratur. Et hec quidem de Snione, quam uerissime potui,
digesta sufficient.
- Huic succedit Biorn; itemque post ipsum "Haraldus
rerum assequitur summam. Cuius filio Gormoni inter
40 priscos Danorum duces non infime laudis locum rerum

(160)

LXXXV^b

strenue gestarum titulus tribuit. Hic enim, nouum
 audacie genus complexus, hereditarium fortitudinis spiritum
 scrutande rerum nature uestigiis quam armis excolere
 maluit; utque alios regum ardor bellicus, ita ipsum co-
 5 gnoscendorum mirabilium, quecunque uel experimento de-
 prehensa uel rumore uulgata fuerant, precordialis stimulabat
 auiditas. Cumque esset externa atque inusitata uisendi
 cupidus, experiendam pre ceteris duxit Geruthi cuiusdam
 sedium acceptam a Tylensibus famam. Incredibilia enim
 10 ab eis | super opum inibi congestarum magnitudine iacta-
 bantur, sed iter omni[um] refertum periculo ac pene mor-
 talibus inuium ferebatur. Ambitorem namque terrarum
 Oceanum nauigandum, solem postponendum ac sidera, sub
 Chao peregrinandum, ac denum in loca lucis expercia
 15 iugibusque tenebris obnoxia transeundum, expertorum
 assercione constabat. Sed in iuuenili animo circumstantis
 periculi metum non tam prede quam glorie cupido cal-
 cabat, multum sibi claritatis accessurum sperante, si rem
 ad modum intentataam auderet. Trecentis idem cum rege
 20 uotum nuncupantibus, auctorem fame Thorkillum itineris
 ducem assumi placuit, utpote locorum gnarum, peritumque
 adeunde regionis eius. Is, officio non recusato, aduersum
 inusitatam nauigandi maris seuiciam firmiore structure
 25 genere nodisque crebrioribus ac consercioribus clavis pre-
 paranda iubet nauigia solidari, eademque magnis repleri
 coimeatibus, ac bouinis superne tergoribus claudi, que
 intrinseca nauium spacia ab incursancium undarum asper-
 gine tuerentur. Inde tribus duntaxat liburnis nauigacio
 30 tenditur, unaquaque centenos capiente delectos.

At ubi in Halogiam uentum, secundis flatibus desti-
 tuti, uaria pelagi iactacione dubiis nauigacionis casibus
 agebantur. Tandem per summam alimentorum inopiam
 eciam pane defecti, exigue pultis usu traxere famem.
 Interiectis diebus, eminus perstrepentem procelle fragorem,
 35 perinde ac scopulos inundantis, exaudiunt. Igitur intel-
 lecta telluris uicinia, agilitatis eximie iuuenis speculande
 rei gracia cacumen mali concendere iussus, prerupti situs
 insulam in conspectu esse, denunciat. Leti omnes regio-
 nem, que ab eo significabatur, auidis insequuntur luminibus,
 40 attente promissi littoris presidum expectantes. Cuius

p. 421

(161)

p. 422

tandem aditum nacti, in ediciorem soli partem per obstantes eluos prealtis callibus emituntur. Tunc Thorkillus ex armentis, que in maritimis frequencia discurrebant, supra quod semel leniente fami sufficeret, negat esse tollendum; 5 futurum enim, si secus agerent, ut a diis loci presidibus discedendi^{*} potentia priuarentur. At naute, magis proro-^{LXXXVI.} grande societatis quam seruandi imperii cupidores, incitamento gule salutis consilium subiecerunt, exhausta nauium gremia cesorum gregum corporibus onerantes. Qui ideo 10 captu perfaciles extitere, quod ad inusitatos uirorum asperetus firmato pauore mirabundi conuenerant. Noete inse- quenti monstra littori inuolancia ac toto concrepanceia nemore conclusas obsecdere puppes. Quorum unum ceteris grandius, ingenti fuste armatum, profundum passibus 15 emeciebatur. Idem proprius admotum uociferari cepit, non ante enauigatuos, quam fusi gregis iniuriam expiando, uiris pro nauium numero traditis, diuini pecoris damna pensassent. Cuius minis obsecutus Thorkillus, ut uniuer- sorum incolumentatem paucorum discriminere tueretur, tres 20 sorte denotatos exhibuit.

Quo facto, optato uento excepti in ulteriorem Byar-
miam nauigant. Regio est perpetui frigoris capax, prealtis-
que offusa i niibus, ne uim quidem feruoris persentiscit
estiu, inuiorum abundans nemorum, frugum haud ferax,
25 inusitatisque alibi bestiis frequens. Crebri in ea fluuii ob-
insitas alueis cautes stridulo spumantique uolumine perfe-
runtur. Illic Thorkillus, subductis nauibus, tendi in littore
iubet, eo loci peruentum astruens, unde breuis ad Geru-
thum transitus foret. Prohibuit etiam ullum cum super-
30 uenientibus miscere sermonem, affirmaus, monstra nullo
magis nocendi uim quam aduenarum uerbis parum comiter
editis sumere; ideoque socios silence tuiiores existere; se
uero solum tuto profari posse, qui prius gentis eius mores
habitumque peruiderit. Crepusculo appetente, inusitate
35 magnitudinis uir nominatim salutatis nautieis interuenit.
Stupentibus cunctis, Thorkillus aduentum eius alacriter
excipiendum admonuit, Guthmundum hunc esse, docens,
Geruthi fratrem, euncorum illic applicancium piissimum
inter pericula protectorem. Percontantique, quid ita ceteri
40 silencium colerent, refert, rudes ad modum lingue eius

ignoti pudere sermonis. Tum Guthmundus hospicio inuitatos curriculis excipit. Procedentibus amnis aureo ponte permeabilis cernitur. Cuius transeundi cupidos a proposito reuocauit, docens, eo alueo humana a monstrosis rerum 5 secreuisse naturam, nec mortalibus ultra fas esse uestigiis. Subinde ad ipsa ductoris penetralia peruenitur. Illic Thorkillus, seductis sociis, hortari cepit, ut inter tentamentorum genera, que uarius obtulisset euentus, industrios uiros agerent atque, a peregrinis sibi dapibus temperantes, 10 propriis corpora sustentanda curarent, discretasque ab indigenis sedes peterent, eorum neminem discubitu contingendo. Fore enim illius esce participibus inter horridos monstrorum greges, amissa cunctorum memoria, sordida semper communione degendum. Nec minus ministris eorum 15 ac poculis abstinentium edocuit. Duodecim filii Guthmundi egregia indole totidemque filie preclui forma circumsteterant mensas. Qui cum regem a suis duntaxat illata delibare consiperet, beneficii repulsam obiciens iniuriosum hospiti querebatur. Nec Thorkillo competens facti excusacio defuit. 20 Quippe insolito cibo utentes plarunque grauiter affici solere commemorat, regemque non tam alieni obsequii ingratum quam proprie sospitatis studiosum consueto more corpus curantem domesticis cenam opsoniis instruxisse. Igitur haudquaquam contemptui imputari debere, quod fugiende 25 pestis salutari gereretur affectu. Videns autem Guthmundus apparatus sui fraudem hospitum frugalitate delusam, cum abstinentiam hebetare || non posset, pudiciciam labefactare constituit, omnibus ingenii neruis ad debilitandam eorum temperanciam inhians. Regi enim filie matrimonium offerens, 30 ceteris, quascunque e famulicio peterent, pociendas esso promittit. Plerisque rem approbantibus, Thorkillus hunc quoque illecebrarum lapsum, sicut et ceteros, salubri monitu precurrit, industriam suam inter caustum hospitem ac letum coniuiam egregia moderacione partitus. Quatuor 35 e Danis, oblatum amplexi, saluti libidinem pretulerunt. Quod contagium lymphatos inopesque mentis effectos pristina rerum memoria spoliauit. Quippe post id* factum parum animo constitisse traduntur. Qui si mores suos intra debitos temperancie fines continuissent. Herculeos equassent 40 titulos, giganteam animo fortitudinem superassent, peren-

p. 442

(162)

LXXXVII

niterque patrie mirificarum rerum insignes extitissent autores. Adhuc Guthmundus propositi pertinacia dolum intendere perseuerans, collaudatis horti sui deliciis, eo regem percipiendorum fructuum gracia perducere laborabat, blan-
5 dimentis uisus illecebrisque gule cautele constanciam elidere cupiens. Aduersum quas insidias rex Thorkillo, ut prius, auctore firmatus, simulate humanitatis obsequiuni spreuit, utendi excusacionem a maturandi itineris negocio mutuatus. Cuius prudencie Guthmundus suam in omnibus cessisse
10 considerans, spe peragende fraudis abiecta, cunctos in ul- teriore fluminis ripam transuetos iter exequi passus est.

p. 425

Progressi atrum incultumque oppidum, uaporanti maxime nubi simile, haud procul abesse prospectant. Pali propugnaeulis intersiti desecta uirorum capita preferebant.
15 Eximie ferocitatis canes tuentes aditum pre foribus excubare conspecti. Quibus Thorkillus cornu abdomine illitum collambendum obiiciens, incitatissimam rabiem paruula mitigauit impensa. Superne portarum introitus patuit. Quem scalis equantes, arduo pociuntur ingressu. Atre deintus
20 informesque larue conferserant urbem, quarum perstreptentes imagines aspicere horridius an audire fuerit, nescias; feda omnia, putidumque cenum adeuncium nares intolerabili halitu fatigabat. Deinde conclaue saxcum, cui Geruthum fama erat pro regia assueuisse, reperiunt. Cuius arctam
25 horrendamque crepidinem inuisere statuentes, repressis gradibus in ipso pauentis aditu constiterunt. Tunc Thor- killus, herentes animo circunspectiens, cunctacionem introitus uirili adhortacione discussit, monens, temperaturos sibi, ne ullam ineunde edis supellectilem, tametsi possessu-
30 iocunda aut oculis grata uideretur, attingerent, animosque tam ab omni auaricia auersos quam a metu remotos ha- berent, neque uel captu suavia concupiscerent, uel spectatu horrida formidarent, quanquam in summa utriusque rei forent copia uersaturi. Fore enim, ut auide capiendo manus
35 subita nexus pertinacia a re tacta diuelli nequicrent et quasi inextricabili cum illa uinculo nodarentur. | Ceterum com- posite quaternos ingredi iubet. Quorum Broderus et Buchi primi aditum tentant. Hos cum rege Thorkillus insequitur.
Ceteri deinde compositis gradiuntur ordinibus. Edes deintus
40 obsoleta per totum ac ui teterrimi uaporis offusa, cuncto-

p. 426

rum, quibus oculus aut mens offendи poterat, uberrima
 cernebatur. Postes longea fuligine illiti, obductus illuuie
 paries, compactum e spiculis tectum, instratum colubris
 pavimentum atque omni sordium genere respersum, inusi-
 5 tato aduenas spectaculo terruerunt. Super omnia perpetui
 fetoris asperitas tristes lacessebat olfactus. Exangua quo-
 que monstrorum simulacra ferreas onerauerant sedes; deni-
 que concessuum loca plumbee crates secreuerant; liminibus
 horrende ianitorum excubie preerant. Quorum alii con-
 10 sertis fustibus obstrepentes, alii mutua caprigeni tergoris
 agitacione deformem edidere lusum. Hic secundo Thorkillus,
 auaras temere manus ad illicita tendi prohibens,
 iterare monitum cepit. Procedentes per fractam scopuli
 partem nec procul in ediciore quodam suggestu senem
 15 pertuso corpore discisse rupis plage aduersum residere
 conspi ciunt. Preterea feminas tres corporeis oneratas
 strumis ac ueluti dorsi firmitate defectas iunctos occupasse
 discubitus. Cupientes cognoscere socios Thorkillus, qui
 probe rerum causas nouerat, docet, Thor diuum gigantea
 20 quondam insolencia lacessitum per oblectantis Geruthi
 precordia torridam egisse chalybem, eademque ulterius
 lapsa, conuulsi montis latera pertudisse; feminas uero ui
 fulminum tactas infracti corporis damno eiusdem numinis
 attentati penas pepen*disse firmabat. Inde digressis dolia
 25 LXXXVII. zonis | aureis circunligata panduntur, quibus pensiles p. 427
 ex argento circuli crebros inseruerant nexus. Iuxta que
 inusitate belue dens extremitates auro preeditus reperitur.
 Huic adiacebat ingens bubali cornu, exquisito gemmarum
 fulgore operiosius cultum, nec celature artificio uacuum.
 30 Luxta quod eximi ponderis armilla patebat. Cuius immo-
 dica quidam cupiditate succensus auaras auro manus appli-
 cuit, ignarus, excellentis metalli splendore extremam occul-
 tari perniciem, nitentique prede fatalem subesse pestem.
 Alter quoque, parum cohibende auaricie potens, instabiles
 35 ad cornu manus porrexit. Tercius, priorum fiduciam emu-
 latus, nec satis digitis temperans, osse humeros onerare
 sustinuit. Que quidem preda uti uisu iocunda, ita usu
 probabilis extitit. Illices enim formas subiecta oculis
 species exhibebat. Armilla siquidem anguem induens
 40 uenenato dencium acumine eum, a quo gerebatur, appeciit.

Cornu in draconem extractum sui spiritum latoris eripuit.
 Os ensem fabricans, aciem precordiis gestantis immersit.
 Ceteri, socie cladis fortunam ueriti, insontes nocencium
 exemplo perituros putabant, ne innocencie quidem incolu-
 mitatem tribuendam sperantes. Alterius deinde tabernaculi
 postica angustiorem indicante secessum, quoddam uberioris
 thesauri secretarium aperitur, in quo arma humanorum
 corporum habitu grandiora panduntur. Inter que regium
 paludamentum culciori coniunctum pilleo ac mirifici operis
 10 cingulum uisebantur. Quorum Thorkillus ammiracione
 captus cupiditati frenos excussit, propositam animo tempe-
 ranciam exuens, tociesque alios informare solitus, ne pro-
 prios quidem appetitus cohibere sustinuit. Amiculo enim
 manum inserens, ceteris consentaneum rapine ausum teme-
 15 rario porrexit exemplo. Quo facto, penetralia ab imis
 concussa sedibus inopinate fluctuacionis modo trepidare
 ceperunt. Subinde a feminis conclamatum, equo diucius
 infandos tolerari predones. Igitur qui prius semineces
 experciaque uite simulacula putabantur, perinde ac femina-
 20 rum uocibus obsecuti, e suis repente sedibus dissultantes,
 uehementi incursu aduenas appetebant. Cetera raucos
 extulere mugitus. Tum Broderus et Buchi, ad olim nota
 sibi studia recurrentes, incursantes se Lamias adactis undi-
 que spiculis incessebant, arcuumque ac fundarum tormentis
 25 agmen obtruiere monstrorum. Nec alia uis repellendis
 efficacior fuit. Viginti solos ex omni comitatu regio sagit-
 tarie artis interuentus seruauit. Ceteri laniatui fuere mon-
 stris. Regressos ad aminem superstites Guthmundus nauigio
 traiicit, exceptosque domi cum diu ac multum exoratos
 30 retentare non posset, ad ultimum donatos abire permisit.
 Hic Buchi parum diligens sui custos, laxatis contiuencie
 neruis, uirtute, qua hactenus fruebatur, abiecta, unam e
 filiabus eius irreuocabili amore complexus, exicci sui con-
 nubium impetravit, moxque repentino uerticis circuitu actus,
 35 pristinum memorie habitum perdidit. Ita egregrius ille
 tot monstrorum domitor, tot periculorum subactor, unius
 uirginis facibus superatus, peregrinatum a continencia ani-
 mum miserabili iugo uoluptatis inseruit. Qui cum abiturum
 regem honestatis causa prosequeretur, uadum curriculo
 40 transiturus, alcius desidentibus rotis, ui uorticium implicatus

p. 428

absumitur. Rex amici casum gemitu prosecutus, maturata nauigacione discessit. Qua primum prospera usus, deinde aduersa quassatus, periclitatis inedia sociis, paucisque ad-huc superstibus, religionem animo intulit, atque ad uota 5 superis nuncupanda confugit, extreme necessitatis presidium in deorum ope consistere iudicans. Denique aliis uarias deorum potencias exorantibus ac diuerse numinum maiestati rem | diuinam fieri oportere censem, ipse Vgarthi-
locum uotis pariter || ac propieiamensis aggressus, prosperam 10 exoptati sideris temperiem assecutus est.

Domum* ueniens, cum tot maria se totque labores^{LXXXVII}
emensem animaduerteret, fessum crumnis spiritum a nego-
ciis procul habendum ratus, petito ex Suetia matrimonio,
superioris studii habitum ocii meditacione mutauit. Vita
15 quoque per summum securitatis usum exacta, ad ultimum
pene etatis sue finem proiectus, cum probabilibus quorun-
dam argumentis, animos immortales esse, compertum
haberet, quasnam sedes esset exuto membris spiritu peti-
turus, aut quid premii propensa numinum ueneracio mere-
20 retur, cogitatione secum uaria disquirebat.

Hec uoluentem subeunt quidam parum benigni in
Thorkillum animi, docentes, diuino opus esse consultu,
tanteque rei certitudinem, humano alciorem ingenio nec
mortalium cognitu facilem, celestibus expetendam oraculis.
25 Quamobrem propieandum esse Vgarthilocom, neminemque
id Thorkillo apcius executurum. Fuere quoque, qui eun-
dem insidiarum reum ac regii capitis hostem deferrent.
Qui cum ultimo se periculo destinari uideret, criminacionis
auctores profeccions comites expetiuit. Tum, qui insontem
30 notauerant, periculum alieno capiti preparatum in se ipsos
recidisse cernentes, consultum reuocare tentabant. Sed
frustra regias aures implentes, eciam pauoris inerepiti,
T(h)orkillo duce nauigare coguntur. Ita excogitatis in
alterum malis, in auctorem plerunque adigi necesse est.
35 Qui cum se ineuitabili discriminis necessitate districtos
animaduerterent, nauigium taurinis obstructum coriis pro-
uisis abunde comeatibus impleuerunt.

Quo euecti eo peruenere loci, ubi regio solis inops,
ignara siderum, nec diurni luminis capax, perpetue noctis
40 specie caligabat. Cumque diu sub inusitata celi facie nauig-

p. 429
(164)

gassent, tandem incidente lignorum inopia, foculi nutrimentis defecti, nec suppetente decoccionis officina, crudis famem obsoniis propule|runt. Verum complures uescencium ultimam pestem ab indigeste dapis sacietate traxerunt.
 5 Primum enim paulatim stomachis inusitato partus edulio langor irrepsit, deinde, laetus manante contagio, uitalia morbus appeciit. Sicque anceps utriusque intemperancie malum ut inedia(m) grauem, ita gulam quoque suspectam effecerat, cum nec uesci tutum nec abstinere commodum
 10 nosceretur. Igitur omnem salutis spem abiieentibus, (ut neruum tunc facilius rumpi solitum est, cum arecius tenditur.) patrocinium inopinate commoditatis affulsit. Subito enim ignis haut procul emicare conspectus exhaustis, trahende uite fiduciam ingenerauit. Quem Thorkillus tanquam
 15 diuinitus datum remedium colligere statuens, quo sibi certiorem ad socios redditum strueret, cacumen mali infixe gemme fulgore signauit. Littore deinde potitus subiicit oculis angusti aditus, arctarumque faucium specum. Quem, comitibus foris prestolari iussis, ingressus, duos eximie
 20 granditatis aquilos conspicatur corneis naribus contraeta, que fors obtulerat, igni nutrimenta prestantes. Ceterum deformis introitus, obsoleti postes, ater situ paries, sordidum tectum, frequens anguibus pauimentum non oculum magis quam animum offendebant. Tum gigantum alter
 25 salutatum eum rei conatu prearduam orsum esse dicebat, inusitati numinis adeundi cupiditate flagrantem, atque extramundani climatis cognitionem inuestigabili scrutacione complexum. A se autem propositi itineris semitas cognitum, si tres ueridicas sentencias totidem prouerbiis com
 30 prehensas expromeret. Tum Thorkillus: Non mehercule incompiorem naribus familiam peruidisse commemini. Sed neque locum, quo minus libenter degerem, attigi. Item:
 Illum mihi pedem pociorem statuo, qui prior exitum capessere quiuerit. Gigas, Thorkilli prudencia delectatus,
 35 prouerbiorum ueritate laudata. docet, ad inops graminis solum altisque obfusum tenebris inprimis esse migrandum.
 Ante autem quam destina tus possit locus accipi, nauigationem* quatriduo pertinaci remigio pertrahendam. Illic (165)
 LXXXVIII uisendum fore Vgarthilocom tetros horrendosque specus
 40 sordida mansione complexum. Thorkillus, magnopere stupens,

quod et longa et periculosa nauigacio imperabatur, spe tamen dubia presentem metum uincente, foculum expetiuit. Et gigas, Si ignem, inquit, desideras, necesse est alias tres sentencias similibus prouerbiis edas. Tum Thorkillus: 5 Consilio, tametsi exilis id auctor ediderit, obsequendum est. Item: Eo temeritatis processi, ut, si regredi quiuero, salutem meam nulli magis, quam pedibus, debeam. Rursum: Si in presenceiarum recessu libere fruerer, ulterius a reditu temperandum curarem.

- 10 Inde perlato ad socios igne, aure indulgenciam nactus, quarto die ad propositum portum appulit, aggressusque cum sociis terram, apud quam continue noctis facies alterni luminis uicissitudinem frustrabatur, egre prospectum capientibus oculis, inusitate molis scopulum conspicit. Cuius 15 perlustrandi cupidus a comitibus foris stacionem pergentibus extusum silicibus ignem, opportunum contra demones tutamentum, in aditu iussit accendi. Post hec, prelato per alios lumine, arctis cauerne fauibus corpus subiiciens, inter crebros serpentum allapsus ferreorum undique sedi- 20 lium frequenciam contemplatur. Inde placidior aque moles subiectoque sabulo molliter influens conspectui obuersata est. Qua transita, paulo deuexiorem situ speluncam agreditur. Ex qua item atrum obsceneumque conclaue uisen- 25 tibus aperitur. Intra quod Vgarthilocus manus pedesque immensis catenarum molibus oneratus aspicitur; cuius olen- p. 432 tes pili | tam magnitudine quam rigore corneas equauerant hastas. Quorum unum Thorkillus, annitentibus sociis, 30 mento pacientis excussum, quo prompctor fides suis habe- retur operibus, asseruauit; statimque tanta fetoris uis ad circumstantes manauit, ut, nisi repressis amiculo naribus, respirare nequirent. Vixque egressu potiti, ab inuolantibus undique colubris conspuuntur. Quinque duntaxat Thorkilli comitum, ceteris ueneno consumptis, nauigium cum ductore 35 condescendunt. Imminent efferi demones et in subiectos uenenata passim sputa coniiciunt. At naute, pretentis coriorum umbraculis, illapsum respuere uirus. Hic cuiusdam forte prospicere cupientis tactum ueneno caput, perinde ac ferro recisum, ceruici exemptum est. Alius ocellos umbraculis exer[c]ens, sub eadem uacuos lumen orbis 40 retulit. Alius exerta manu tegimen explicans, eiusdem tabi

ui truncum ad se brachium renocauit. Igitur ceteris propensiora sibi numina nequicquam deprecantibus, Thorkillus uniuersitatis deum uotis aggressus, eique cum precibus libamenta defundens, mox prioris celi usum ac perspicua 5 rerum elementa prospera nauigacione collegit.

Iamque alium sibi orbem atque ipsum rerum humanaarum aditum perspicere uidebantur. Tandem ad Germaniam, Christianis tunc sacris iniciatam, appulsus, apud eius populum diuini cultus rudimenta percepit. Vbi sociorum manu 10 ob inusitatum aeris haustum prope modum consumpta, duobus tantum, quos sors ultima preterierat, comitatus, redditum ad patriam habuit. Verum illitus ori marcor ita habitum corporis ac pristina forme lineamenta confudit, ut ne ab amicis quidem potuisset agnoscere. At ubi, detersa 15 illuuie, noticiam sui uisentibus reddidit, eximiam regi cognoscende legacionis auiditatem ingessit. Sed neendum emulorum obtractacione sopita, fuere, qui regem, cognitis, que Thorkillus afferret, subito decessurum astruerent. Auxit affirmacionis fidem eiusdem rei falsa somnii predicione suggesta credulitas. Igitur qui noctu Thorkillum 20 opprimerent, regis imperio subornantur. Cuius ille rei ut cunque indicium nactus, clam cunctis relicto cubili, magni ponderis lignum subiecit; eoque facto, subornatis truncum cedentibus, regie fraudis commentum elusit. Die postero 25 regem corpus curantem aggressus, Ignosco, inquit, seuicie tue, errorique ueniam tribuo, qui prosperum* legacionis LXXXVIII^a nuncium afferenti penam pro gracia decreuisti. Itaque te solum, pro quo || caput tot erumnis deuoui, tot periculis contudi, quemque operum meorum gratissimum pensatorem 30 sperauit, acerrimum uirtutis punitorem inueni. Verum ultionis partibus pretermisis, interno animi tui rubore (si tamen ullus ingratos pudor afficit) lesionis mee uindice sum contentus. Nec immerito te omnem demonum rabiem aut beluarum seuiciam superare coniecto, quod tot mon- 35 strorum insidiis erutus a tuis immunis esse non potui. Rex, cuncta ex ipso cognoscere cupiens, fatisque arduum obstare iudicans, euentuum ordinem exponere iubet. Cumque per cetera auidis referentem auribus exceperisset, postremo recensitam numinis sui mencionem sinistra opinione 40 colligi passus non est. Exprobratam enim Vgarthiloci

p. 433

(166)

feditatem exaudire non sustinens, adeo indignitatis eius uicem doluit, ut impacientem dictorum spiritum inter ipsa narrantis recitamenta deponeret. Itaque dum uani numinis cultum cupide fouit, ubinam uer[s]us esset miseriarum 5 carcer, agnouit. Crinis quoque oliditas, quem Thorkillus perinde atque operum suorum magnitudinem testaturum capillicio gigantis excerptserat, in circumstantes effusa, pluribus excio fuit.

Defuncto Gormone, Gotricus ex eo genitus regnat.
 10 Hic non armis modo, sed eciam liberalitate conspicuus, incertum, forcior an clemencior fuerit, adeoque seueritatem mansuetudine castigabat, ut alteram altera rependere uideretur. Eodem tempore rex Noruagie Goto a Berone et Refone Tylensibus petitus, Refonem culcium ac familiarius p. 434
 15 habitum magni ponderis armilla donauit. Quo quidam aulicorum conspecto, magnitudinem doni impensiōri laude complexus, neminem Gotoni parem humanitate firmabat. At Refo, quamquam graciā beneficio deberet, tamen immodi ci laudatoris tumidam uocem approbare non passus,
 20 Gotricum ei pretulit. Vt enim uanam assentatoris affirmacionem obtereret, absenti liberalitatis testimonium reddere, quam presentem beneficij datorem falso palpare maluit. Partim quoque ingratitudinis argui, quam inanis iactancie laudem assenciendo prosequi, regemque ueritatis
 25 serio mouere, quam adulacionis mendacio fallere aliquanto preciosius duxit. At Vluo, dictas in regem laudes non solum pertinaciter affirmare, sed eciam experimento prosequi perseverans, pignus cum negante proponit. Cuius consensu Refo in Daniam pergens, Gotricum, sella posita,
 30 stipendia inter milites parcientem inuenit. A quo, quisnam esset, rogatus, uulpecule sibi nomen esse respondit. Cumque risu quosdam, alios ammiracione complesset, Et uulpem, inquit Gotricus, ore predam excipere conuenit. Ac mox detractum lacerto torquem accersiti labris inseruit. Quem
 35 Refo confessim brachio applicans, id cunctis auro preditum ostentabat, reliquum uero perinde atque ornamenti inops oculcius habuit; eoque acumine ab inuicta munificencie dextera consentaneum priori munus accepit. Quod ei non tam precii magnitudo iocundum, quam litis inite uictoria
 40 faciebat. A quo cum rex de pignoris posicione cognosceret,

fortuito magis quam de industria munificus erga ipsum extitisse gaudebat, plus se uoluptatis ex dacione, quam accipientem ex nunere sentire, testatus. Igitur reuersus Noruagiam Refo concertatorem pignus exsoluere recusantem 5 occidit, filiamque Gotonis captiuam Gotrico pociendam adducit.

Cumque Gotricus, qui et Godefridus est appellatus, p. 435 transfusis in exteris preliis, famam ac uires felicibus propagasset auspiciis, inter cetera factorum monumenta, hanc 10 quoque Saxonibus tributi legem indixit, ut eorum duces, quocies apud Danos regni mutacio obuenisset, centum equos niueos suffecti regis iniciis dedicarent. Quod si nouum Saxonibus ducem uariata rerum successio peperisset, is quoque predicte* pensionis obsequio potestatis principium LXXXIX. 15 Danice maiestatis titulis inclinaret, quo et gentis nostre fateretur imperium et subiecconis sue solenne preberet indicium. Nec Germanie quidem oppressione contentus, per Refonem legacioni addictum Sueoniam tentat. Quem Sueones aperta ui necare ueriti, latrocinium ausi, incusso 20 la||pide dormientem consumpserunt. Quippe molarem superne (167) pensum, rescissis uinculis, subiecti ceruicibus illabi fecere. In cuius noxe expiacionem actum est, ut singuli facinoris autores bissena auri talenta, e plebe uero quilibet unam eiusdem generis unciam Gøtrico persolueret. Vulpecule 25 pensionem uocabant.

Accidit interea, ut rex Francorum Karolus contusam bello Germaniam non solum Christianismi sacra suscipere, sed eciam dicioni sue parere compelleret. Quo comperto, Gøtricus, finitimas Albie gentes adortus, Saxoniam, suscep- 20 tum Karoli iugum cupidius amplexantem ac Romana arma Danicis preferentem, ad pristinum regni sui titulum reuocare tentabat. Quo tempore Karolus | uictricia trans Rhe- num castra receperat; ideoque ab aduene hostis congressu, perinde ac fluuii intersticio uetus, temperabat. Quem 25 cum ob res Gøtrici comprimendas iterato transmeare proponeret, a Leone Romanorum pontifice in urbis tuende presidium accersitus, mandato paruit, filio uero Pipino gerendi aduersum Gøtricum belli partes commisit, ut, dum ipse in longinquum hostem ageret, hic contra uicinum sus- 40 ceptum pugne negotium procuraret. Oportebat enim, ut,

gemina curarum anxietate distractus, sparsa manu aptum utriusque remedium prouideret. Interea Götricus, speciosam ex Saxonibus uictoram referens, | contractis denuo uiribus ac frequenciori copiarum robore comparato, non in Saxones 5 modo, uerum in omnem Germanie populum amisso dominacionis iniuriam ulcisci constituit. Ac primo quidem classe Fresiam domat. Que prouincia ad modum situ humilis, quocies seuiente Oceano obiecta fluctibus estuaria perrumpuntur, totam inundacionis molem patentibus campis excipere consueuit. Huic Götricus non tam arctam quam inusitatam pensionem imposuit. De cuius condicione et modo summatim referam. Primum itaque ducentorum .XL. pedum longitudinem habentis edificii structura disponitur, bissenis distincta spaciis, quorum quodlibet uicenorum 10 pedum intercedente tenderetur, prediecte quantitatis summam totalis spaci dispendio reddente. In huius itaque edis capite regio considente questore, sub extremam eius partem rotundus e regione clypeus exhibetur. Fresonibus 15 igitur tributum daturis mos erat singulos nummos in huius scuti cauum | coniicere, e quibus eos duntaxat in censem regium racio computantis eligeret, qui eminus exactoris aures clarioris soni crepitaculo perstrinxissent. Quo euenit, ut id solum es questor in fiscum supputando colligeret, cuius 20 easum remociore auris iudicio persensisset; cuius uero obscurior sonus citra computantis defecisset auditum, recipiebatur quidem in fiscum, sed nullum summe prestabat augmentum. Compluribus igitur nummorum iactibus questorias aures nulla sensibili sonoritate pulsantibus, accidit, ut statam pro se stipem erogaturi, multam interdum eris 25 partem inani pensione consumerent. Cuius tributi onere per Karolum postea liberati produntur. Cumque Götricus, transversa Fresia, ac reuerso iam Roma Karolo, in ulteriores se Germanie prouincias effundere statuisset, proprii satellitum insidiis circunuentus, ferro domestice fraudis interiit. 30 Quo audito, Karolus effuso gaudio exultauit, nihil eo casu umquam fortune sue iocundius obuenisse confessus.

p. 437

p. 438

SAXONIS GRAMMATICI

LXXXIX^b
p. 439
(168)

HISTORIE DANICE

LIBER NONVS.

Olaus Göttrici filius patre mortuo regnat. Hic
5 paterne vindicta studio ciuilibus patriam bellis implicare
sustinuit, publicam pietatem priuato affectui subiiciendo.
Cuius exticti corpus collis Olaui titulo celeber prope
Lethram congestus exceptit.

Huic succedit Hemmingus; cuius dignum memoratu
10 opus non repperi, nisi quod pacem cum Cesare Ludouico
iurisiurandi firmitate composuit. Et forte complura tem-
porum eius insignia, quanquam preclara extiterint, uetu-
statis liuore teguntur.

Post hos Siuardus cognomento Ring, quem eiusdem
15 nominis pater, Noruagie dux, olim ex Göttrici filia sus-
ceperat, Scanis Sialandisque fautoribus regnat. Nam con-
sobrinus eius Ringo idemque Göttrici nepos Iutiam occu-
pabat. Igitur unius regni diuidua potestas, tanquam
20 ultraque parte ob paruitatem ignobili, non speni modo,
sed etiam lacessi ab exteris cepit. Quos Siuardus maiore
odio quam regni emulum insecurus, peregrina bella
ciuilibus preferendo, quinquennio periculis patrie defen-
sionem suam opponere perseuerauit. Elegit enim uulnus
tolerare domesticum, quo prompctius sanaret externum.
25 Quamobrem Ringo, domuacionis eius occasione suscepta,
uniuersum imperii ius in se ipsum transferre conatus, foris
excubias peragentem intus lacerare sustinuit. Prouincias
siquidem, que ab ipso possidebantur, inuadens, communis

p. 440

patrie defensionem ingrata mente pensabat. Igitur ex Sialandieis quidam Siuardi studiosiores, quo synceriores absenti fidem gererent, filium eius Regnerum uixdum cunis erutum regis nomine censuerunt, non quod ipsum regimini
 5 intempestuum nescirent, sed ut tanti pignoris ductu aduersum Ringonem torpencium sociorum animos excitarent. Audiens autem Ringo, Siuardum interim ab expeditione regressum, Sialandenses magna manu petitos, ni se dederent, ferro perituros edixit. At Sialandici, quibus aut
 10 rubor aut periculum imperabatur, viribus ob paucitatem diffisi, deliberande rei inducias poposcerunt. Quibus impetratis, cum nec Siuardi graciam colere liberum nec Ringonis amplecti uideretur honestum, diu inter metum pudoremque solliciti iactabantur. Qua in re ne senibus
 15 quidem consilio suppetente, Regnerus, tunc forte concioni presens, Breuis, inquit, arcus subito spiculum iacit. Ego uero, tametsi puerili ausu maiorum ora precurrere uidear, ignoscendum erratis ueniamque immature editis precor. Verum prudencie monitor, tametsi despabilis uideatur,
 20 respuendus non est. Docili quippe animo sorbenda est utilium disciplina. At quoniam, ut desertores ac trans fugas notari turpe, ita supra vires audere temerarium est, et utrobique par culpa subesse conuincitur, simulata transacione petendus est hostis, idemque, cum primum
 25 facultas obuenerit, opportuna desercione linquendus. Sacius ergo erit aduersarii iram obsequii figmento precurrere, quam negacione eundem in nosmet ipsos acrius incessendos armare. Quid enim foreioris imperium detrectantes agimus, nisi quod ipsi in iugulum nostrum arma sponte
 30 prestamus? Sepe inuolucioribus studiis efficacissima fraus alitur. Astu illa* queanda est uulpes. Cuius consilii salubritate et fluctuancium ciuium cunctacionem discussit et hostilibus castris noxiū robur adiecit. Concio quoque, infancie eius non facundiam minus quam ingenium mirans,
 35 egregie indolis decretum habitu annorum excellencius cupide amplexata est. Nec rubori fuit defectis consilio senibus puerilibus obsequi monitis, que quanquam a tenero manassent, integerrimo discipline || pondere redundabant. Auctorem uero consilii instanti periculo obiicere ueriti,
 40 educationis gracia Noruagiam transtulerunt. Breui post

p. 441

xc.

(169)

conserta pugna Ringonem Syuardus aggreditur; quo occiso,
ipse, immedicabili plaga perstrictus, paucis interiectis diebus
ex uulnere decessit.

Cui Regnerus in regnum succedit. Quo tempore rex
 5 Suetie Frø, interfecto Noruagiensium rege Syardo, con-
iuges necessariorum eius prostibulo religatas publice con-
stuprandas exhibuit. Quo Regnerus audito, auite uleionis
studio Noruagiam petiuit. Eo ueniente matrone com-
 10 plures, que corporum suorum ludibria aut nuper passe
fuerant aut in proximo pudicicie periculum uerebantur.
uiriliter culte cupide castris eius adproperare ceperunt,
profitentes, se fatum contumelie prelaturas. Nec erubuit
futurus muliebris improperii uindex aduersum au^{lectorem}
 15 turpitudinis, quarum ignominiam ulcisci uenerat, auxil*(i)*a
mutuari. Inter quas affuit et Lathgertha, perita bellandi
femina, que, uirilem in uirgine animum gerens, immisso
humeris capillcio, prima inter promptissimos dimicabat.
Cuius incomparabilem operam ammirantibus cunctis, (quippe
 20 cesaries tergo inuolare conspecta feminam esse prodebat,) Regnerus, aui interfectoro prostrato, de puella, quam in
acie preuiam prenotauerat, commilitones plurimum percon-
tatus est, unius femine uiribus uictoram sibi constitisse
professus. Quam cum illustri inter barbaros loco natam
 25 cognouisset, per internuncios procari perstitit. Illa, lega-
cione tacite spreta, consensum simulat. Cumque datis
fallaciter responsis anhelanti proco pociendo uoti fiduciam
attulisset, adiectum urso canem in edis sue uestibulo reli-
gari precepit, contra omne amatoris studium per obiectas
 30 beluas proprium tutatura conclauet. Regnerus uero, fau-
rabili nuncio recreatus, nauigium scandit, emensusque
fretum, comitibus apud Gølerdal (id ualli nomen est) sub-
sistere iussis, solitarius puelle penates accedit. Vbi ex-
ceptus a beluis, alteram telo traiicit, alteram faucibus
 35 apprehensam obtorto gutture strangulauit, uirginemque
uicti periculi premium habuit. Ex cuius matrimonio ge-
minis filiabus, quarum nomina memorie prodita non sunt,
filioque Fridleuo susceptis, triennium feriatus est.

Cuius ob recentes nupcias reditu desperato, Iuti,
gens insolens, Scanis in societatem contractis, Sialandos,
 40 qui Regneri fidem propensioni caritate colebant, bello

lacessere tentant. Quo | comperto Regnerus tricenas in-
 struit puppes, uentisque nauigacioni parentibus, Scanos
 apud Whiteby uicum bellum ausos obtruiuit, exactaque
 hyeme cum Iutis prope Lymfiorthinum eius regionis fretum
 5 habitantibus secundis euentibus dimicauit. Tercio item ac
 quarto Scanis, Halandisque felici auspicio domitis, in
 Thoram, Herothi regis filiam, nupciarum amore conuerso,
 sibi ac Lathgerthe repudium interiecit. Damnabat enim
 coniugis fidem, quam olim in perniciem sui summe fero-
 citatis beluas admouisse meminerat. Interea rex Sueonum
 10 Herthus, siluas forte uenacione complexus, repertas a
 comitibus angues filie detulit nutriendas. Illa paterno
 ocius obsecuta precepto, *uipereum genus uirgineis mani-
 bus educare sustinuit. Quin eciam cure habuit, ut integrum
 15 bouis cadauer earum cotidie sacietati suppeteret, ignorauis-
 se priuato pabulo publicam sustentare perniciem. Que
 cum adulte pestilentissimo alitu uiciniam urerent, rex,
 inertis opere penitens, potitum filia, qui pestem amouisset,
 edixit. Quo non minori fortitudinis quam libidinis incita-
 20 mento frequens iuuentus adducta, periculosam *inaniter*
 operam erogabat. Cuius rei summam Regnerus ab inter-
 meantibus expertus, lanceum a nutrice sagulum uillosoaque
 ad modum femoralia, quibus inflictos anguium morsus eli-
 deret, expetiuit. Nam ut munimenti gracia referto pilis
 25 cultu utendum creditit, ita agilitatis causa tractabilem
 sumpsit. Cumque nauigio Suetiam appulisset, incidente
 gelu, aquis de industria corpus iniecit, humefactamque
 uestem, quo minus penetrabilis redderetur, brume duran-
 dam prebuit. Qua amictus, salutatos comites ad fidem
 30 Fridleuo seruandam hortatus, | solus procedit ad regiam.
 Qua uisa, ensem lateri nectens, dextre telum inserit amen-
 tatum. Procedenti || inusitate magnitudinis obuius allabitur
 serpens. Huic alter granditate par priorisque prolapsum
 insecutus arrepsit. Qui iuuenem modo caude uoluminibus
 35 quatere, modo pertinaci uomitu ac ueneno conspuere
 decertabant. Interea aulici, tuciora complexi latibula,
 perinde ac pauentes puellule rem eminus inspectabant.
 Ipse rex, pari metu perterritus, in angustum cum paucis
 conclaue refugerat. At Regnerus, gelati cultus duricie
 40 fretus, non armis modo, sed eciam amictu uirulentos

p. 443

xcv

p. 444

(170)

frustrabatur assultus, solusque duarum rictum pertinaci spiritu virus in se profundencium infatigabili congressione sustinuit. Quippe morsus clypeo, uenenum ueste respuit. Ad ultimum excussum manu telum strenue incessencium 5 se beluarum corporibus adigit, eoque utriusque precordia lacerans, felicem pugne euentum habuit. Cuius cultum rex curiosius contemplatus, cum hirtum atque hispidum animaduertisset, precipue tamen occidue uestis horrorem, maximeque incomptam braccharum speciem eludens, Loth-
10 brog eum per ludibrium agnominauit. Quem eciam, ut ex laboribus recrearet, cum amicis epulaturum accersit. Ille prius reuisendos sibi, quos reliquerat, arbitros aiebat. Profectusque eosdem future epulacionis gracia nitidius cultos adducit. Ac demum peracto conuiuio prefixum
15 uictorie pignus accepit. Ex qua Rathbarthum Dunwa[r]-t[hn]umque, egregie indolis pignora, procreauit. Hisdem Syuardus, Biornus, Agnerus, Iuarusque natura fratres adiecti sunt.

Interea Iuti ac Scani, insopibili sedicionis face succensi, abrogato Regneri titulo, Haraldo cuidam rerum 20 contribuunt summam. Aduersum quos Regnerus, legatis Noruagiam missis, cum amica precaretur auxilia, Lathgertha, pristini amoris pertinaciore haustu exuberans, cum viro ac filio nauigacionem arripuit. Centum ac uiginti nauium classem ei, a quo olim repudio acta fuerat, exhibere sustinuit. Qui eciam uniuerso opis egenum se iudicans, ab omni etate presidium mutuari curauit, robustisque imbecilles agglomerans, forcium cuneis senum puerorumque partes inserere non erubuit. Igitur apud campum, qui Latialiter Laneus dicitur, in primis Scanorum res obterere 30 orsus, graue cum facciosis bellum habuit. Vbi Iuarus, septimum agens annum, insigni pugna edita, puerili corpore grandeum robur exercuit. Syuardus uero, dum hosti uim aduerso corpore ingerit, humi collapsus prono uulnus exceptit. Que res inspectantibus sociis grauissimam circunspiciende fuge sollicitudinem attulit, nec Syuardum modo, sed et omnia fere Regnerice partis arma deiecit. Verum hunc attonitarum mencium lapsum Regnerus uirili opera hortatuque firmauit, paratosque uinci uictoriam conari per pulit. Lathgertha quoque, teneris membris incomparabilem 40 sortita spiri*tum, trepidantis milicie studium specioso forti-

p. 415

xcia

tudinis exemplo contexit. Militari namque discursu inopinatorum terga circumvolans, socialem metum in hostilia castra conuertit. Ad ultimum laxata Haraldi acie atque ipsó per summam suorum stragem fugato, cum domum ex acie reuertisset, spiculo, quod toga occultauerat, noctu mariti iugulum attentauit, tociusque potencie eius ac nominis summam inuasit. Insolentissimus namque femine spiritus absque uiro regnum gerere, quam fortune eius communicare iocundius duxit.

10 Interea Syuardus oppido, quod in uicinia erat, allatus curandum medicis corpus prebebat. Quibus ad summam usque desperationem proiectis, dum uulneris immanitas adhibita fomentorum genera frustraretur, quidam stupenda magnitudine egri lectulum adire conspectus, si sibi illorum, 15 quos armis oppressurus foret, animas dedicasset, protinus incolunitate gauisurum promittit. Nec nomine quidem suppresso, Rostarum se dici subiunxit. Animaduertens autem Syuardus, paruule promissionis impendio ingens comparari beneficium posse, petitis cupide paruit. Tunc 20 senex attrectate tabis liuorem repentina manus auxilio dispulit, subitamque uulneri cicatricem intendit. Postremo pupillas eius puluere perfundens abiit. Qui, maculis repente coortis, eximiam uermiculorum similitudinem obstupescen- tibus oculis ingenerauit. || Crediderim, huius miraculi aucto- 25 rem futuram iuuenis seuiciam evidenciori lumen testimonio prodere uoluisse, ne perspicacior corporis pars sequentis uite presagio uacula maneret. Quem anus, que pocionibus eius preerat, uermiculatas ore notas preferre conspiciens, inusitato iuuenis horrore permota, subito lapsu decidens, 30 linqui animo cepit. Quo euenit, ut Syuardo serpentini oculi uulgatum late cognomen accederet.

Interea nuptam Regneri Thoram violentus morbi casus absumpsit, eaque res amantissimo coniugis uiro infinitam egritudinis molestiam peperit. Quam optime negocio dis- 35 cuciendam ratus, solacium ab exercicio mutuari doloremque labore temperare constituit. Miliciam itaque detra- hende egritudinis pariendique solaminis gracia meditatus, statuit, ut unusquisque paterfamilias, quem inter liberos contemptissimum duceret, aut siquem pigrioris opere ac 40 minus spectate fidei seruum haberet, stipendia sibi meriturum

p. 446

(171)

p. 447

offerret. Quod edictum tametsi parum proposito competens uideretur, inualidissimos Danice gentis aliarum nacionum fortissimis prestare docuit, magnumque iuuentuti profectum attulit, delectis certatim socordie notam abstergere cupientibus. Preterea, ut omnis controuersiarum lis, semotis accionum instrumentis, nec accusantis impetione nec rei defensione admissa, duodecim patrum approbatorum iudicio mandaretur, instituit. Cuius legis beneficio temeraria licium contraccionem summota, improborum calumnie sufficienter obuiatum existimans, arma in Britanniam erexit, regemque eius Hamam, Helle, nobilissimi iuuenis, patrem, pugna perstrictum occidit. Inde Scotie ac Petie insularumque, quas australes uel meridianas uocant, ducibus interfectis, Syuardo ac Rathbartho filiis uacuas gubernatore prouincias in potestatem addixit. Noruagiam quoque principe suo uiolenter exutam Fridleuo parere precepit, eundemque Orchadibus proprio duce defectis preferre curauit.

Interea Danorum quidam, pertinacioris erga Regnerum odii, obstinatis ad rebellanduni animis, Haraldi quondam profugi partibus aduoluti, prostratam tyranni fortunam attollere conati sunt. Qua temeritate insolentissimos belli ciuilis aduersum regem spiritus excitauerunt externisque liberum domesticis implievere periculis. Ad quos constringendos Regnerus cum insularium Danorum classe profectus, rebellium agmen elisit, Ha*raldumque, superati exercitus ducem, fuga in Germaniam actum, honorem improbe partum impudenter abiicere compulit. Captiuos quoque, simplici morte afficere non contentus, tortos necare maluit, ut, qui ad deserendam impietatem adduci non poterant, ne spiritum quidem nisi per summam penarum uiolenciam deponere sinerentur. Ceterum latifundia eorum, qui cum Haraldo profugerant, secum stipendia peragentibus partitus est, eo patres puniciores iudicans, quod ad liberos, quos suo iudicio repulissent, carioribus patrimonio spoliatis, honorem hereditatis sue translatum uiderent. Sed ne sic quidem ulcionis sacietate perfusus, insuper Saxoniam, quod eam asylum hostium Haraldique profugium crederet, oppugnare constituens, implorato filiorum auxilio, Karolum tunc forte illis imperii sui finibus immorantem offendit.

Cuius cum, interceptis | uigilibus preiectas fefellisset ex-

p. 448

xcib

p. 449

cubias, atque ob hoc cetera factu leuia duceret conatunque
 prompicio speraret, subito diuina futuri muliercula, tan-
 quam celeste quoddam oraculum aut diuine uoluntatis
 interpres, salutari regem predicione permonuit, aduentan-
 tisque periculi malum felici uaticinio precucurrit, Syuardi
 classem ad Sighuini fluminis fauces appulisse denuncians.
 Imperator, attente accepto monitu, hostilem interpretatus
 aduentum, significatos sibi barbaros pugne oppositu con-
 stringendos curauit. Qua in Regnerum habita, non simi-
 liter, ut diseriminis cautelam hausit, belli actum impleuit.
 Itaque infatigabilis ille tocius pene Europe domitor, sere-
 nissimis amplissimisque uictoriis tantam terrarum partem
 e[m]ensus, tot ciuitatum, tot gencium uictorem exercitum,
 auersis bello pectoribus, unius prouincie paruula manu
 profligatum aspexit. (172)

Cumque Regnerus, oneratis tributo Saxonibus, de
 morte Heroddi certum e Suetia nuncium accepisset, libe-
 rosque suos Sorli, suffecti regis, calumnia auitis bonis exutos
 cognosceret, Biorni, Fridleui atque Rathbarthi collegium
 apprecatus, (nam Regnaldus, Withsereus et Ericus, quos
 ex Suanlogha progenuerat, nondum habilem armis etatem
 impleuerant) Suetiam peciit. Cui occurrens cuin exercitu
 Sorlus, publice an priuatum dimicandi opcione facta, singu-
 larem diligentи conflictum Scarehdhum, spectate audacie
 pugilem, cum septena filiorum manu ex prouocacione pu-
 gnaturum admouit. Cum quibus Regnerus, tribus filiis in
 certaminis societatem assumptis, utroque exercitu inspe-
 ctante congressus, agone uictor excessit. Biornus uero,
 quod integer hosti cladem ingesserat, tanquam a ferrei
 lateris firmitate sempiternum usurpauit agnomen. Qua
 uictoria Regnerus omnis periculi superandi fiduciam nactus,
 Sorlum cum uniuersis, quas ductauerat, copiis impetum
 occidit. Cumque, Biorno ob conspicue fortitudinis meritum
 Suetica prelacione donato, aliquanto bellorum intersticio
 quieuisset, cuiusdam forte muliercule amancior factus, quo
 prompциorem sibi pociende eius aditum strueret, patrem
 ipsius amplissimo beneficie cultu officiosissime captan-
 dum curauit. Sepe enim numero accersitum ad epulas
 plurime comitatis officiis prosequebatur. Nam et uenientem
 assurgendi reuerencia discubentemque proximo sibi con-

sessu ueneratus est. Sepe etiam donis, interdum benignissimo recreauit alloquo. Qui cum tante honoracionis causam a nullo suo merito profectam animaduerteret, cogitatione uarie deflexa, ex amore filie sue tacitam principis liberalitatem descendisse cognouit, libidinosum propositum humanitatis nomine colorantis. Quam, ut exactissimum amantis ingenium frustraretur, tanto impensius obseruandam curauit, quanto eam latencioribus studiis ac peruicioribus modis ambiri comperit. Verum Regnerus, certissimo consensus eius nuncio recreatus, uillam, in qua asservabatur, accessit, nihilque amori inuium putans, in uicino quendam rustice uite solitarius hospicio peciit. Mane, com*mutata cum feminis ueste, amice laneum opus explicanti muliebriter cultus astitit, uirgineoque operi rudes artificii manus callide, ne proderetur, admonit; nocte uero uotis virginem amplexatus indulxit. Cumque, matuscente partu, temerate pudicicie facinus tumidiore puelle gremio proderetur, incertus pater, cui se filia polluendam dedisset, ignoratum stupri auctorem ex ipsa maxime cognoscere perscuerauit. Qua se, neminem preter pedissequam lecti participem habuisse, pertinacius affirmante, rem regi cognoscendam mandauit. Ille, insontem famulam inusitata criminacione notari non sustinens, proprii sceleris professione alienae innocencie fidem facere non erubuit. Qua humanitate et muliebris calumnie partes reppulit et, ne ridiculus rumor apud improbas aures sereretur, effecit. Preterea gignendum ex ea filium sui sanguinis esse, quodque eum Vbbonem nuncupari uellet, adiecit. Qui cum aliquatenus excreuisset, tenere etatis ingenio mature discrecionis habitum apprehendit. Matris enim dilectionem, quod excellenti se thoro miscuisset, amplexus, ueneracionem patris, quod ad obscuriorem iusto copulam descendisset, abiecit.

Post hec Regnerus, expedicionem in Hellesponticos parans, uocataque Danorum concione, saluberrimas se populo leges laturum promittens, ut unusquisque paterfamilias, sicut ante, quem minimi inter liberos duxerat, militaturum exhiberet, ita tunc ualencioris opere filium aut probacionis fidei seruum armaret, edixit. Quo facto, omnibus, quos ex Thora procreauerat, filiis, preter Vbbo-

p. 451

XII^a

p. 452

nem, assumptis, Hellespontum eiusque regem Dian uariis contusum bellis lacessendo perdomuit. Ad ultimum eundem creberrimis discriminibus implicatum extinxit. Cuius filii Dian et Daxon, olim Rutheni regis filias maritali sorte 5 complexi, impetratis a socero copiis, ardentissimo spiritu paterne vindicta negocium rapuerunt. Quorum Regnerus immensum animaduertens exercitum, diffidencia copiarum habita, equos eneos ductilibus rotulis superpositos ac uer-
(173)
10 satilibus curriculis circunductos in confertissimos hostes maxima ui exagitari precepit. Que res tantum ad laxan-
dam aduersariorum aciem ualuit, ut uincendi spes magis in machinamento quam milite reposita uideretur, cuius intolerabilis moles, quicquid impulit, obruit. Altero ergo ducum imperfecto, altero fuga sublapso, uniuersus Helles-
15 ponticorum cessit exercitus. Scithe quoque, Daxon ar-
etissimo materni sanguinis uinculo contingentes, eodem obtriti discriminē referuntur. Quorum prouincia Withserco attributa, Ruthenorum rex, parum uiribus fidens, formidolosa Regneri arma fuga precurrere maturauit.
20 At Regnerus, ceteris prompta sibi deditione sub-
stratis, cum quinquennem prope modum piraticam ex-
pleuisse, Biarmos nuper deuictos inualida subiectionis
fide palam imperium detrectantes inuenit. Qui cum aduen-
tum eius compertum haberent, carminibus aggressi celum,
25 sollicitatas nubes ad summam usque nimborum uiolenciam impulerunt. Que res Danos aliquandiu nauigacione pro-
hibitost alimentorum facultate defecit. Eosdem quoque,
subito remissa tempestate, estuosissimi ferooris flagrancia torruit. Nec ea quidem pestis concitati frigoris magnitudine
30 tolerabilior extitit. Itaque anceps gemine intemperancie malum uicissim affecta corpora immoderata utriusque status accessione corrupit. Ceterum laxi uentris profluuum com-
plurimos examinauit. Ita Danorum plerique, dubia celi
qualitate conclusi, passim oborta corporum pestilencia de-
35 cesserunt. Cumque se Regnerus adulterina magis quam uera aeris ui prepeditum animaduerteret, utcunque nauigacione producta, in Curorum Semborumque regionem accessit; qui maiestatem eius perinde atque honoratissimi uictoris amplitudinem impensius uenerati sunt. Quo bene-
40 ficio rex magis aduersus Biarmorū insolenciam efferatus,

sprete maiestatis sue uin*dictam inopinato petiuit assultu. Quorum ignoti nominis rex, subitanea hostium irrupcione percuslus simulque conserende cum ipsis manus fiducia uacuus, Matullum, Finmarchie ducem, perfugio peciit.

5 Cuius peritissima sagittariorum opera fretus, Regneri apud Biarmiam hiberna peragentem impune lacerauit exercitum. Quippe Finni, lubricorum stipitum celeri allapsu cursum intendere soliti, arbitraria uelocitatis potencia rapiuntur, promptissimamque propinquitatis uel absencie facultatem

10 obtinere creduntur. Mox enim, ut hostem leserint, eadem celeritate, qua subeunt, auolant, nec proculsu languidius redditum tentant. Itaque et uehicularum et corporum agilitate instandi fugiendique expertissimam obtinent potestatem. Credendum est, tunc Regnerum fortune sue im-

15 becillitatem ammiranter tulisse, cum se, olim Romani culminis triumphatorem, ab inermi inconditoque agmine ad ultimum usque dissermen abripi peruidereret. Itaque qui splendidissimum Romane milicie decus maxime ac serenissimi ducis insignes copias excellenter obtruerat, agrestis

20 et ignobilis uulgi sordidissimo atque tenuissimo apparatu cessit, isque, cuius bellicam antea claritatem fortissime gentis uis hebetare nequuerat, despicibilis populi paruulam manum sustinere non ualuit. Quo euenit, ut ea manu, qua clarissimam orbis pompam ac grauissimum militaris

25 roboris instrumentum fortissime contudit, qua tot peditum, tot castrorum, tanti equitatus fragorem apertissime subruit, uilem obscuramque plebeculam furtim et quasi per latrocinium incessere sustineret, illustremque gloriam suam, palam atque interdiu partam, nocturna fallacia maculare

30 non erubesceret, manifeste fortitudinis loco clandestinas amplexatus insidias. Que res ut opere deformis, ita exitu utilis fuit. Nec Finnorum quam Caroli fuga parcus gratulatus est, plus se uirum in nudissima plebe, quam in instructissimo milite repperisse confessus; siquidem grauissimam Romanorum armaturam, quam leuia pannose gentis spicula tolerabilius ferre potuit. Vbi Biarmorum rege imperfecto, Finnorum uero fugato, Regnerus saxis rerum gestarum apices pre se ferentibus hisdemque superne locatis, eternum uictorie sue monumentum affixit.

40 Interea Vbbo, per auum suum Hesbernum ad sacrilegam

regni cupiditatem adductus, abiecta paterni respectus uere-
 eundia, capiti suo regium arrogauit || insigne. Cuius cum
 Regnerus insolenciam ex Suetio ducibus Kelthero Thor-
 killoque cognosceret, Gothiam uersus perpropere nauiga-
 cionem exercuit. Quos Hesbernus Regneri partibus singu-
 lari fide deuinctos expertus, premio | sollicitatos regis de-
 sertores efficere laborabat. Illi, non flexo e sentencia
 proposito, ex Biorni arbitrio suum consistere retulerunt,
 confessi, Sueonum neminem, quod ab eius placito desti-
 10 tisset, ausurum. Nec segniter ipsum Hesbernus benignis-
 simis legatorum alloquiis captavit. Qui se perfidie quam
 bone fidei propiorem fore denegans, piissimi patris amori
 improbissimi fratris graciam anteferri perquam nefarium
 iudicabant. In ipsos uero legatos perinde ac grauissimi
 15 criminis hortatores laqueo animaduertit. Sueti quoque de
 reliqua legatorum turba pari clade noxie exhōrtacionis
 penas sumpserunt. Igitur Hesbernus, occulto clandestino-
 que paratui parum prosperum ratus constare progressum,
 adcitis palam copiis, manifeste procurrit ad bellum. At
 20 prefectus Iutie Iuarus, neutram sacrilege pugne partem
 pietati propinquā autumans, impium bellum uoluntario
 precucurrit exilio. Regnerus uero Hesbernum apud sinum,
 qui Latialiter uiridis appellatur; aggressus occidit, exani-
 misque ab(s)cisum caput prora excipi mandans, terrible
 25 facciosis spectaculum edidit. Vbbo uero, profugio usus,
 itemque patrem reuocato apud Sialandiam bello adortus,
 dum, laxata suorum acie, undique solus impetratur, tantum
 aduersi agminis fudit, ut hostilium cadauerum excremento
 perinde ac munitione firmissima circumactus *facile pro-
 30 uocancium inhiberet accessum. Ad ultimum frequenciori-
 bus hostium globis obfusus comprehensnsque publicis uin-
 culis onerandus abstrahitur. At ille, immensa ui extricatis
 recisisque catenis, inditos sibi nexus disiicere ac lacerare
 adorsus, nullis obicem modis effugere potuit. At ubi Iuarus
 35 tumultum patrie facciosi sup|plicio discussum comperit,
 Daniam peciit. Quem Regnerus, quod inter seuissimas
 parricidiorum procellas integerrimum se pietatis cultorem
 gesserat, amplissima ueneracione suscepit.
 Interea Daxon Withsercum, Suetie principantem, diu
 40 nequicquam superare conatus, tandem facte pacis commento

(174)

p. 455

xciii.

p. 456

circunuentum aggreditur. Conuiualiter ab eo exceptus,
 armatum subornauit exerceitum, qui simulata mercacione
 in urbem rhedis aduectus hospitis domum nocturno lace-
 raret assultu. Cuius latrocinii manum tanta Withsercus
 5 strage perculit, ut hostilium corporum cumulo circumfusus
 nisi scalis superne admotis comprehendendi nequiret. Duodecim
 quoque comites eius pariter ab hoste capti, facta sibi repe-
 tende patrie potestate, deuotis pro rege capitibus, alienum
 participare periculum, quam suum abiicere maluerunt. At
 10 Daxon, egregie Withserci forme miseracione permotus,
 orientem speciosissime indolis florem conuellere passus non
 est. Cui non tantum salutem, sed et filiam dimidio regni
 sui dotatam in matrimonium obtulit, ac decori incolumi-
 tatem quam fortitudini penam afferre maluit. Ille uero,
 15 precarie uite usum animi magnitudine floccipendens, im-
 punitatem perinde atque paruulum aliquod beneficium
 respuit, mortis sentenciam sua sponte complexus, prefatus,
 Regnerum [in] uindictam filii remissius exacturum, si eum in
 eligendo mortis genere proprio usum arbitrio comperisset.
 20 Cuius temeritatem ammiratus hostis, ea fati specie, qua
 ipse in se animaduertisset, consumendum esse promittit.
 Quam libertatem iuuenis ingentis beneficij loco suscipiens,
 uinctum se cum sociis cremari petiuit. Nec segniter Daxon
 25 auidis fati precibus obsecutus, pro beneficio optate mortis
 supplicium erogauit. Quo auditio Regnerus, obstinato ad
 moriendum luctu, non modo merorem induit, uerum et per
 summam animi egritudinem lectulo corpus affixit, dolorem-
 que conceptum gemitu patefecit. Quem coniunx , uirilem
 30 supergressa fiduciam, imbecillitatis increpitum uirili adhor-
 tacione firmauit, reuocatumque a merore animum arma
 impensiis celebrare perdocuit, affirmans, fortissimum patrem
 cruentos filii cineres iustius armis quam lachrymis expia-
 turum. Monuit quoque, ne muliebriter lugens tantum sibi
 ignominie fletu paareret, quantum antea claritatis uirtute
 35 contraxerat. Ad hanc uocem ueritus Regnerus, ne pristinos
 fortitudinis titulos effeminato merore contereret, discusso
 mesticie habitu depositisque doloris insignibus, promptissima
 uindicta spe iacentem reuocauit audaciam. Adeo interdum
 ab inualidis forcia roborantur ingenia. Iuaro ergo regni
 40 tutelam deferens, Vbbonemque pristine gracie redditum

p. 457

(175)

paterna caritate complectens, traiecta in Rusciam classe,
 comprehensum Daxon catenarumque pena choeritum apud
 Vtgarthiam custodie relegauit. Siquidem tunc Regnerum
 aduersus carissimi filii interfectorum clementissima animi
 5 moderacione usum esse constabat, cum ad concupite ulcio-
 nis sacietatem exilium santis quam necem sufficere maluit.
 Qua quidem humanitate magnus Ruthenis iniectus est
 rubor ulterius aduersus eum seuiendi regem, quem ne in-
 iuriarum quidem acerbitate ad infligendam captiuis mortem
 10 impellere potuerunt. Eundem quoque Regnerus breui in
 graciā reductum patrie redidit, pollicentem, se ei annuo
 nudatum pedes cum duodecim patribus discalciatis suppli-
 citer tributa pensurum. Enim uero in captiuum* ac
 supplicem leniter animaduertere, quam cruentam securim
 15 distringere, superbamque ceruicem sedulo mulctare serui-
 cio, quam semel elidere sacius duxit. Inde prouectus filium
 suum Ericum, Ventosi Pillei cognomen habentem, Suetie
 prefert. Vbi, Fridleuo atque Siuardo apud se stipendia
 merentibus, Normannos Scotosque duobus aliis falso regis
 20 nomen irrogasse comperiens, in primis Noruagice rei usur-
 patorem sustulit, eamque Biorno fruendam tradidit.

Deinde, eo atque Erico accitis, Orcades populatus,
 ad ultimum Scotorum finibus appulit, eorumque regem
 Murial triduano exhaustum prelio interfecit. Verum filii
 25 eius Dunuat atque Rathbarthus, pugna spectabiliter edita,
 ab hoste necati sanguine suo cruentam patri uictoram
 pepererunt. Cumque in Daniam reuersus coniugem Suan-
 logam interim morbo cognouisset absumptam, protinus
 sollicitudini remedium solitudine quesivit, egreque mentis
 30 luctum intra penacum suorum claustra cohibere passus
 [non] est. Verum hanc meroris acerbitatē Iuari regno
 pulsi repentinus detraxit aduentus. Quippe Galli, fugato
 eo, in Hellam quendam Hamonis filium falsam regis con-
 tulerant potestatem. Quo duce Regnerus perinde atque
 35 locorum perito usus, edi*c*ta classe, portum, qui Noruicus
 appellatur, accessit, ubi expositis copiis, Hellam, Gallicana
 uirtute subnixum, post extractam in triduum pugnam fuge
 amantem effecit, eaque res creberrimo Anglorum, rarissimo
 Danorum sanguine constitit. Cumque ibidem Regnerus
 40 annum uictor explesset, consequenter, excitis in opem

p. 458

xciii_b

p. 459

filii, Hiberniam petit, occisoque eius rege Melbrico, Dufflinam barbaris opibus refertissimam obsedit, oppugnauit, accepit; ibique annuo statius habitis, mediterraneum fretum pernauigans ad Hellesponticum penetrauit, interiecta regionum spacia clarissimis emensus uictoriis, continue felicitatis progressum nusquam interpellante fortuna.

Inter hec Haraldus quorundam astipulacione Danorum, Regneri miliciam languidiore studio comitancium, recidiuos patrie tumultus incuciens, regii nominis usurpator emersit.

Qui Regneri ab Hellesponto redeuntis armis exceptus, cum, rebus infeliciter gestis, exhausta domestice opis presidia animaduerteret, Loduicum, Maguntie constitutum, auxilia petiturus accessit. At Loduicus, summo amplificande religionis ardore confertus, condicionem barbaro intulit,

opem spondendo, si Christi cultum exsequi consensisset. Nullam enim posse aiebat animorum interuenire concordiam dissona sacra complexis. Quamobrem petitorem opis primum religionis contubernio opus habere, neque magnorum operum consortes existere posse, quos superne ueneracionis formula disparasset. Qua sentencia et salutem hospiti et sibi pietatis preconium peperit. Haraldum enim, solenni laua|cro usum, consequenter Saxonis roborauit auxiliis. Quibus is fretus, in territorio Slesuicensi dicandam deo edem sollicita moliebatur impensa. Hic itaque sanctissimi tenoris || specimen a Romanis ritibus mutuatus, profanato perfidorum errore, delubra diruit, uictimarios proscriptis, flaminium abrogauit, atque incondite patrie Christianismi sacra primus intulit, reiectoque demonum cultu, diuinum emulatus est. Supremo, quicquid ad custodiam religionis attinuit, scrupulosissima cura seruauit. Sed non tam efficaciter quam pie rem auspicatus est. Superueniens enim Regnerus inductaque per eum sacra temerans, uera religione proscripta, pristino adulterinam loco restituit, ac suo ceremonias honore donauit. Haraldus uero profugus fortunam ad sacrilegium transtulit. Nam ut precipuum inchoate religionis specimen, ita primum neglecte spectaculum fuit, atque ex splendido sanctitatis auctore infamis eiusdem desertor euasit.

Interea Hella ad Hibernos collatus, omnes, qui se Regnero propiore fide deuinixerant, ferro suppliciisque

p. 460

(176)

muletauit. Quem Regnerus classe ad*ortus, iusta omnipo- xcliii
tentis animaduersione manifestas detracte religionis penas
pependit. Comprehensus enim atque in earcerem coniectus,
noxios artus colubris consumendos aduertit, atque ex ui-
5 scerum suorum fibris tristem uiperis alimoniam prebuit.
Cuius adeso iocinore, cum cor ipsum funesti carnificis loco
coluber obsideret, omnem operum suorum cursum animosa
uoce recensuit, superiori rerum contextui hanc adiiciens
10 clausulam: Si sucule uerris supplicium scirent, haud dubio,
irruptis haris, afflictum absoluere proper<ar>ent. Quo dicto
Hella | adhuc nonnullos filiorum eius uiuere interpretatus,
quiescere carnifices amouerique uiperas iubet. Cumque p. 461
satellites peragende iussionis gracia accurrisse, Regnerus
imperium regis funere suo precesserat. Quem quid aliud
15 quam duas inter se fortunas partitas esse dicemus? alteram,
que ei incolumem classem, propensum imperium, precipuas
piratice uires adiiceret, alteram, que claritatis ruinam,
commilitonum necem, acerbissimum uite exitum irrogaret,
cum ipsum carnifex, uenenatis beluis circumfusum, eo corde,
20 quod aduersus omne discriminem immobile gesserat, aspides
exsaciantem uideret. Itaque ex speciosissimo uictore ad
miserabilem captiui sortem deductus, ne quis nimium fortune
credat, edocuit.

Quem casum Iuarus, dum forte ludos inspectaret,
25 accepit. Sed nihilominus uultum in eodem habitu con-
tinens solitoque nulla ex parte infraccior non solum nun-
ciatam parentis cladem doloris dissimulacione suppressit,
sed ne strepitum quidem exoriri passus, attonitum rumore
populum theatro discedere uetus. Itaque neque oris hil-
30 ritatem depositit, ne cessato ludo scenam interrumperet,
neque oculos a publico plausu ad priuatam mesticiam flexit,
ne ex summo tripudio repente in ultimum prolapsus | mero-
rem pocius calamitosi filii, quam iocabundi ducis partes
egisse uideretur. Siuardus uero, eodem nuncio accepto,
35 propior paterne caritati quam priuate passioni, hostile,
quod forte in manu habebat, alcius pedi stupefactus immer-
sit, tristicie salebra corpoream negligente molestiam. Ut
enim animi uulnus pacientius ferre potuisset, corporis
partem grauius afficere studuit. Quo facto simul fortitu-
40 dinem meroremque detexit, fortunam suam inter calamitosum

filium constantemque partitus. At Biornus, inter tesserarum
 iactus delato ad se paterne mortis nuncio, tanta ui corruptum manu calculum pressit, ut tabule quoque cruentum
 5 digitis extortum infunderet; ubi nimirum fortune iactum
 ipsa, quam uersabat, alca leuiores esse didicit. Quod audiens Hella, hunc trium parentis obitum forciori animi
 robore sustinuisse iudicauit, qui nihil pictatis eius funeri
 prestitisset, ideoque sibi Iuaru suspectissimam haberi uirtutem. Iuarus uero, petitis Anglie partibus, cum classem
 10 suam conserendi cum hoste belli impotentem animaduerteret, astum audacie preferens, Hellam acumine tentat,
 spaciū arui, quantum equino tergore complecti potuisset,
 in sequestre pacis pignus expostulans. Et quidem, || quod
 pecuit, impetravit. Rex enim, paruo preces stare autumans,
 15 a tanto hoste exiguum magne rei loco expeti gratulatus
 est, ratus, perquam breue tergus paululum ruris occupatum.
 At Iuarus, corio in exiles ad modum corrigias
 scissim extracto, habilem exedificande urbi agrum implicuit.
 Igitur Hella, prodigalitatis penitencia succedente, magnitu-
 20 dinem corii sera estimacione collegit, diuisam cuticulam
 rececius quam incolumem mensus. Quām enim exiguum
 soli cincturam credidit, amplissima iugera laciū occupantem
 aspexit. Iuarus uero condite urbi abunde suffecturos ob-
 sidioni commeatus inuexit, ab inedia perinde atque hoste
 25 defensam haberi cupiens.

Interea Siuardus ac Biornus cum quadringentarum
 nauium classe superuenientes, bellum regi manifesta pro-
 uocacione significant. Idque *statuto tempore exsecuti,
 comprehensi ipsius dorsum plaga aquilam figurante affici
 30 iubent, seuissimum hostem atrocissimi alitis signo profligare
 gaudentes. Nec uulnus impressisse contenti, laceratam
 saliuere carnem. Taliter perempto Hella, Biornus ac Siuardus
 regna sua reduces expetiuerere. Iuarus Angliam biennio
 tenuit. Interea Danii, perseverantissima bellum faccione
 35 complexi, Siardo cuidam atque Erico, regia gente creatis,
 publicam detulere tyrannidem. Quos Regneri filii com-
 muniter mille septingentarum nauium classe apud Slesui-
 cum adorti, semestri deleuere pugna. Colles indicio manent.
 Nec minus is, apud quem belligeratum est, sinus Siuardi
 40 funere inclaruit. Iamque preter Regneri filios regius prope

(177)

p. 463

XCIIIIB

modum interierat sanguinis. Exinde Biorno atque Erico
 domum reuersis, Iuarus atque Siuardus, quo tenaciores
 rebellibus frenos imponerent, in Dania resederunt, Agnerum
 Anglie preferentes. Qui repulsa prouocatus Anglorum,
^{p. 464}
 5 opitulante Siuardo, contempricem sui prouinciam incolis
 uacuefaciendo tenacia situ iugera cultore carere, quam
 insolentem alere maluit, pinguissimaque insule rura teter-
 rima uastitate perfundens, deserte quam superbe regioni
 imperitare sacius autumauit. Post hec Ericum apud
 10 Suetiam Osteni cuiusdam malignitate sublatum ulcisci
 cupiens, dum aliene uindicte arcuus incumbit, suum hosti
 sanguinem erogauit, dumque cesi fratris penas audius ex-
 petit, proprium fraterne caritati funus impendit.

Itaque Siuardus summis tocius Danice concionis suf-
 15 fragiis paternum apprehendit imperium. Hic autem post
 editas late strages domestica claritate contentus, toga quam
 armis illustris haberi maluit; omissoque castrorum cultu,
 ex acerrimo tyranno exactissimum pacis custodem agere
 cepit, tantum decoris in ocio atque uacacione constituens,
 20 quantum ante in uictoriarum frequencia repositum au-
 mabat. Adeo autem studiorum eius mutacionem fortuna
 fauorabiliter prosecuta est, ut, sicut ipse neminem, ita nec
 ipsum quisquam hostiliter laceraret. Idem fato functus,
 Ericum ad modum infantulum nature magis quam regni
 25 aut pacis heredem habuit. Quippe Ericus, Haraldi frater,
 tenerrimam eius etatulam spernens, irrupta cum sedicioseis
 patria, regium occupauit insigne; nec erubuit, lassita
 legitimi ducis infancia, adulterinam arripere potestatem,
 hoc se regno indignorem comprobans, quod imbellem eo
 30 spoliare sustinuit. Igitur illum sceptro, se ipsum uirtutibus
 exuit, et, dum armis incunabula appetit, omni pectus uirili-
 tate nudauit. Neque enim, ubi cupiditas ambicioque fla-
 grauit, consanguinea caritas sedem habuit. Sed hanc in-
 humanitatem superne ulcionis ira pensauit. Inter ipsum
 35 namque ac Guthormum, Haraldi filium, subito tanta clade
 confectum est bellum, ut eorum utroque cum innumeris
 aliis interempto, regia Danorum stirps, atrocissimis ex-
 hausta cedibus, ad unicum superioris Siuardi filium redigeretur.

Hic consanguineorum iactura regnandi fortunam adep-
 40 tus, utpote propinquorum nece quam incolumente felicior,

relictis aliorum exemplis, per aucti negocii uestigia decurrit. Repente namque studiosissimus piratici munieris executor apparuit. Et utinam in abolendo Christianismi cultu[m] temerarium Regneriani spiritus non egisset heredem. Si quidem religiosissimum quenque || aut suppliciis insequi* aut rebus exuere exilioque multicare perseuerauit. Sed frustra principium causer, cuius exitum | probem. Laudabilior enim est uita, cuius inicium turpe speciosus finis abripit, quam cuius probable exordium in culpas flagicia-
 que decurrit. Siquidem Ericus ad salutares Ansgarii monitus sacrilege mentis errore deposito, quicquid per eiusdem insolenciam commiserat, expiauit, tantumque in excolenda religione se gessit, quantum egerat in aspernanda. Itaque non solum sanioris discipline haustum docili animo traxit, uerum eciam primeuas maculas finali puritate pertersit. Hic filium Kanutum ex Guthormi filia, eademque Haraldi nepte, progenitum superstitem moriens dereliquit.

Huius infancia manente, regni pupillique tutor exponscitur. Verum quoniam huiusc muneris aduocationem prestare plerisque uel inuidio um uel arduum uidebatur, sortitione uirum legi placuit. Prudentissimi namque Danorum, in tam excellenti negocio arbitrario delectu uti pertimescentes, plus aliene fortune quam suis sentenciis permiserunt, eleccionis euentum fortuito magis quam solido consilio delegantes. Quo euenit, ut Ennignupus quidam, amplissime atque integerrime uirtutis, tam onerose funcioni humeros suos submittere cogeretur, decretamque sorte amministracionem ingressus, non minus uniuersorum res quam singularia regis incunabula tueretur. Vnde et ei quidam parum annalium periti medium in fastis locum tribuunt. Cumque Kanutus, decursis adolescencie spaciis, ab annis uirilitatem traxisset, amotis, qui sibi beneficium educationis impenderant, ex pene desperato adolescente auctor insperate probitatis euasit: hoc uno deflendus, quod absque Christiane religionis insignibus e uita ad mortem transitum habuit.

Sed mox ad filium eius Frothonem rerum summa concessit. Cuius fortuna, armis belloque alita, eo felicitatis excessit, ut prouincias, que a Danis quondam defecerant, pristino adactas iugo uetustis alligaret obsequiis. Qui

(178)

xcv*

p. 466

p. 467

eciam se ipsum apud Angliam, iam pridem Christianismi peritam, solennibus aquis humectandum exhibuit. Ceterum priuatam salutem suam in publicam exhuberare cupiens, ab Agapito, qui tunc ciuitatis Romane sacris preerat, 5 Daniam diuinitus erudiri petiuit. Quod antequam uotis exsequeretur, absensus est. Nam fatis suis Romane legacionis precucurrit aduentum; animo certe quam effectu superior, tantumque superne compensacionis ob pietatis propositum assecutus, quantum ceteris prestatur ex opere.

10 Huius filius Gormo, cui, quod ex Anglia oriundus extitit, Angli cognomen incessit; patre extincto, promptiore fortuna quam diuturniore, apud insulam regiam adeptus est arcem. Dum enim Daniam disponende eius gracia petisset ex Anglia, longam paruuli secessus iacturam experitus est. Quippe Angli, libertatis sue fortunam in eius absencia reponentes, publicam a Danis defecctionem molliendo precipitem rebellandi fiduciam induerunt. Sed quo eum Anglia inuidens spretuit, hoc Dania fidencius coluit. Itaque dum ad duarum prouinciarum utramque auidas 15 imperii manus porrexit, altera potitus. alterius irreuocabiliter dominacionem amisit, nihil umquam fortiter pro ipsius recuperacione conatus. Adeo difficile pregrandia continentur imperia.

Post quem filius eius Haraldus Danie regnator in- 25 cessit, ob hoc quidem obscurioris apud posteros memorie egregiorumque operum monumentis uacuuus, quod regiarum opum seruator magis quam propagator extiterit.

Post hunc Gormo arcem obtinuit, semper infensi erga religionem animi, Christicolarum perinde ac teterri- 30 morum hominum respectum extinguere cupiens. Omnes huiusc norme participes uario iniuriarum genere fatigatos, quibus potuit, calumniis insequi non quieuit. Quin eciam ut priscum delubris cultum restitueret, templum in fundo Slesuicensi a religiosis conditum, tanquam sacrilegum 35 aliquod impietatis domicilium, ab imis fundamenterum partibus demolitus est, quos suppliciis non attigerat, sacre celle strage puniens. Hic tametsi proceritatis habitu eximius pultaretur, parum respondentem corpori animum gessit. Ita enim mores suos intra regnandi societatem 40 continuuit, ut seruata pocia quam aucta maiestate gauderet,

p. 468

xcv^b

(179)

p. 469

saciisque tueri proprium quam alienum incessere duceret,
 magis de acquisitorum custodia quam acquirendorum incremente sollicitus. Hie a maioribus coniugalia sacra celebrare permonitus, Anglorum regis Hedelradi filiam,
 5 Thiram, nupciali studio insecutus est. Illa, ut erat grauitate atque industria ante alias prestans, condicionem proco attulit,
 non ante se ei nupturam prefata, quam Daniam sub dotis nomine recepisset. Eoque pacto intercedente, Gormoni desponsa, nocte, qua prima genialem thorum concendit,
 10 sponsum perseverantissimis precibus aggressa, in triduum se uirilis concubitus expertem dimitti petiuit, non ante rebus Venereis indulgere constituens, quam matrimonium creandis liberis efficax futurum aliquo per quietem presagio didicisset. Itaque simulacione continencie matrimonii
 15 experientiam interpellabat, cognoscende posteritatis propositum pudicicie specie colorando, commerciumque libidinis distulit, | uerecundie figmento fortunam propagande successionis explorans. Alii eam, ut temperancia sua thori socium Christianismi sacris ad⟨s⟩ciseret, maritalis lecti
 20 blandicias detrectasse coniectant. Verum, quanquam iuuenis amori eius flagrantissimo animo inhereret, aliena tamen continencie quam proprie uoluptati obsequi pretulit, speciosiusque nocturnis motibus imperare quam lachrymosa amice uota repellere arbitratus est, profectas
 25 ab industria preces pudicicie propinquas autumans. Euenitque, ut, qui mariti partes agere debuerat, pudicicie custodem prestaret, ne in capite nupciarum stuprose mentis nota afficeretur, quasi plus libidinis uiribus quam proprie indulsisset uerecundie. Ceterum, ne inconcessum uirginis
 30 amorem libidinoso complexu preridere uideretur, uicina latera non solum alterius complexibus exuit, sed eciam destricto mucrone secreuit, atque ex cubiculari lecto suum ac sponse diuiduum contubernium reddidit. Sed uoluptatem, quam gratuita humanitate distulit, mox leta somnii
 35 specie delibauit. Quippe, profuso in somnum animo, existimauit, duos alites coniugis sue genitali parte prolapsos, sed alterum altero grandiore, corpora superne librantes prepeti celum uolatu petere, exiguoque tempore interiecto reuersos suis altrinsecus | manibus insedisse. Secundo p. 471
 40 quoque ac tertio, paruula quiete recreatos, propassis alis

aeri se credidisse, tandemque minorem ex his ad se pennis
cruore oblitis comite uacuum remeasse. Ea opinione
attonitus, ut erat somno pressus, indicem stuporis questum
edidit, ac totos penates tumultuoso clamore compleuit.

5 Quam speculacionem eo,* percontantibus famulis, expli-
cante, Thira, felicem se prole futuram autumans, omissa
differendarum nupciarum proposito, castimoniam, quam
cupide precata fuerat, audius remisit; celibatumque ad
uenerem transferens, sponso gratam suimet pociende co-

10 piam tribuit, continentis animi uirtutem admissi concubitus
societate pensando, prefata, minime se ei nupturam fuisse,
nisi ex his adumbrare quietis imaginibus cerciorem fecun-
ditatis sue fortunam hausisset. Itaque ut uafro, ita inu-
sitato consilio pudicicie simulacio in future prolis agni-

15 cionem transiuit. Nec sors opinionem eius frustrata est.
Breui enim Haraldi atque Kanuti felix prole mater ap-
paruit. Qui cum uirilem attigissent etatem, exerta classe
effrenatam Selauorum insolenciam domuerunt. Nec Angliam
quidem immunem ab hoc uexacionis genere reliquerunt.

20 Quorum Edelra[n]dus ingeniis delectatus, illatam a ne-
potibus uim uoluptatis loco habuit, amplissimi beneficij
nomine teterimam amplexatus iniuriam. Multo enim
amplius uirtutis in eorum fortitudine quam pietate repo-
suit. Ideoque ab infestis lacessi quam ab ignauis coli-

25 speciosius duxit, tanquam ex ipso fortissimo indolis habitu
futurum uirilitatis eorum specimen peruideret. Non enim
ambigere potuit, quin extera quandoque impetituri essent,
qui materna tam si audacter exigerent. Adeo autem in-
iurias officiis anteposuit, ut, preterita filia, Angliam iisdem

30 testamento legaret, autum nomen paterno preferre non
dubitans, nec imprudenter, quoniam aliquanto speciosius
mares quam feminas regni usum decere nouerat, imbellis
filie ac fortissimorum nepotum condicionem separandam exi-
stimans. Quo euenit, ut Thira filios suos paternorum

35 bonorum heredes non inuidenter exheres ipsa consiperet.
Prelacionem enim eorum honorabilem sibi magis quam
contumeliosam fore arbitrata est. Iidem, crebris piratice
questibus locupletati, summa cum fiducia spes suas ad
iniiciendum manus Hibernie promouerunt. Cuius rex,

40 Duflina, que prouincie caput habebatur, obsessa, cum

xcvi.

(180)

p. 472

paucis ad modum sagittarie artis peritis coniunctum urbi
 nemus ingressus. Kanutum, magna cum militum frequencia
 nocturnis ludorum spectaculis interpositum, insidiosos
 fraudis circuitu, uulnifica procul sagitta petiuit, que in
 5 aduersum regis corpus incidens, mortificum ei uulnus in-
 torsit. Veritus autem Kanutus, ne periculum suum hostes
 effuso gaudio insequerentur, atque ob hoc cladis sue for-
 tunam dissimulanter haberi cupiens, uoce supremos anhe-
 litus reddente, ludos absque tumultuacione peragi iubet.
 10 Qua arte prius Danos Hibernie potiores quam suum
 Hibernis exitum notum reddidit. Quis autem extinctum
 non plangeret, cuius disciplina militum suorum uictorie
 consilio quam spiritu diuturniore suffecit? Salus namque
 Danorum in ultimas angustias deducta ac pene despera-
 15 cionis periculis implicata, quia morientis ducis iussui paruit,
 breui, quos timuit, triumphauit. Quo tempore Gormo,
 ad ultimum etatis sue finem prouectus, ingentem anno-
 rum seriem luminibus captus exegerat, senectam ad ulti-
 mos humanae condicionis terminos prorogando, magis de
 20 filiorum uita et incrementis quam reliquo spiritu suo
 sollicitus. Tanta autem maioris filii caritate tenebatur,
 ut a se occidendum iuraret, qui prior ipsius exitum nun-
 ciasset. Cumque forte Thira haud dubium de eiusdem
 exicio nuncium accepisset, nemine id Gormoni palam in-
 25 sinuare audente, presidium calliditatis amplexa, casum,
 quem ore prodere timuit, opere explicauit. Maritum
 namque regio cultu exutum tetriore circundedit, aliaque
 doloris insignia, per que causam luctus aperiret, admouuit,
 quod antiqui talibus inter exequiarum acciones uti con-
 30 sueuerant, acerbitatatem meroris habi*tus asperitate testantes. xcvi
 Tunc Gormo: En michi, inquit, Kanuti fatum publicas?
 Et Thira, Id ipsum, ait, tuo pocius quam nostro declaratur
 augurio. Quo dicto marito mortem, sibi uiduitatis causam
 prebuit, nec ante filium quam coniugem planxit. Itaque
 35 dum uiro nati fortunam exprimit, alteruni alterius funeri
 sociauit, amborumque exequias paribus prosecuta lachry-
 mis, huic coniugales, maternos illi planctus impendit;
 quanquam tunc temporis magis solaciis erigenda, quam
 cladibus obter[g]enda fuisset.

SAXONIS GRAMMATICI

p. 475

HISTORIE DANICE

LIBER DECIMVS.

Defuncto Gormone, Haraldus, hereditarie dominacionis fortunam conspicue fortitudinis operibus prosequi cupiens, traiecta in Orientem piratica, circumpositum laces-
sivit Oceanum. Sed absumpto interim Hedelrado, quam-
quam sedulos questuosi negotii fructus decerperet,
aliquanto plus tamen in aucto fato amaritudinis quam ex
tyrannide uoluptatis accepit. Dum enim eum fortuna (181)
cumulacius barbaris ditauit opibus, Anglicis exuit, externa-
que donatum preda domestica atque hereditaria spoliauit.
Siquidem Hedelradi filius Adelstenus, patris testamento
preter[r]itus, indignacionem suam literis, quibus Haraldus
heres scribebatur, opposuit, re(s)cissoque parentis arbitrio,
proprium emulatus est. Igitur Noruagie rex, obtusi cordis
homini amplissime rei sum|mam cessisse ingemens, pociende
eius spe armata insulam classe peciit. Cuius cum se
Adelstenus uiribus minorem animaduerteret, conficiende
pugne fiducia uacuus bellum ad obsequium transtulit,
beniuolenciam hostis, quem armis propulsare nequierat,
officiis capessere cupiens. Non solum enim regem ami-
cissimo uultu benignissimoque exceptit alloquio, sed eciam,
quo salubrius patriam armis hostilibus liberaret, filio eius
Haquino, ad modum tenero, educationis impensam pollici-
tus, regnum se pariter testamento legaturum promittit.
Quam rem maxime, ut Noruagieis armis aduersum Haral-
dum uteretur, oblatu dignam putauit. Eius namque

p. 476

ferociam pertimescens, orbitatem suam gratuito herede solari quam uiolentum expectare sacius existimauit. Rapuit hostis condicionem preceps, propositamque paccionem amplexus, tantum de offerentis humanitate presumpsit, ut 5 filium proprio spiritu cariorem inexplorate eius fidei credere non dubitaret.

Post hec Haraldus, reductis ab Oriente copiis, quanquam ad impetendum auunculi factum precipuis iuris uiribus inuitari poterat, nihilominus impunitam eius 10 ambicionem dissimulate indignacionis pacienza preterire sustinuit, iustisque op[er]ibus pie carere quam crudeliter potiri maluit. Post paululum uero temporis Haquinus, audito paterni fati nuncio, cum proficisciendi gracia uelis nauigacionem instrueret, magno superuenientis Adelsteni 15 impetu reuocatus, paulisper omisso uentorum usu, proprius littori nauigium egit. A quo post cetera morum documenta, quibus cotidie informabatur, noui quid accepturum se ratus, ne inter epulas obscuro se uultu gereret,* sed xcvii.
p. 477

20 uteretur, audiuit. Quem enim Adelstenus compluribus aliis honestatis preceptis imbuerat, eciā aptos conuictui mores ignorare passus non est. At cui parentis mors Noruagiam cessit, paulo post preceptoris occasus Angliam patefecit.

Veritus ergo Haraldus, ne iniuriarum tolerancia, que hactenus consanguinee caritatis respectui dabatur, deinceps in ignauie uerteretur opprobrium et, quod moderationis esset, uicio applicaretur, Noruagine rei turbacione primam Haquino iacturam inferendam constituit, domesticis eius uiribus debellatis, externas facilius obterendas existimans. Cum itaque res barbaras regia execucione tractasset, in Daniam reuersus occursu Haraldi, Gunnilde filii, aduersus eundem Haquinum auxilia petentis, excipitur, pollicentisque, se tributa daturum, si Danice opis 30 beneficio efficacia parcium suarum adiumenta sumpsisset. Enimuero inter acerbissimos rerum casus clementissimam regis humanitatem expertus est. Heuindo enim atque Karlho[l]ftho pugne adiutoribus receptis, LX. nauium classe donatus petiti presidii compos abscessit, euenitque, 35 40 ut plus spei in auxilio Danorum quam metus in sua

aduersitate reponeret. Igitur nauigacionem remensus,
 aduersus hostem, naualis pugne copia non suppetente,
 terrestrem exercuit. In qua Heuindus Haquinum, ut in
 primos prelianum globos progrederetur, hortatus, ipsum,
⁵ clarius sui indicium exhibentem, inusitate magnitudinis
 securi peciit, attigissetque, ni satellitum quidam adactum
 regi ferrum proprii corporis periculo fefellisset. In quem
 Heuindus tanta ui destricte bipennis aciem egit, ut ferrum
 medio corpori elapsum nullum inter artus obstaculum
¹⁰ reperiret. Quod cum terre aleius illapsum genibus nixus
 abstrahere conaretur, ab Haquino, imperfecti militis corpus
 concidente, perfoditur. Incertum ergo, uter alteri plus
 pietatis impenderit. Ille enim salutis sue impendio regis
 fatum repulit, iste seruatoris sui cladem speciosissima
¹⁵ ulcione pensauit, cuius beneficio fatum effugerat, exicum
 ultus. Et quid huius militis opera clarius, qui, aliene
 incolumitati quam sue propior, uoluntarium pro duce
 spiritum erogauit priuateque mortis || obiectu, ne publica
 sociorum salus pericitaretur, effecit? Interea Thoraluus,
⁽¹⁸²⁾
²⁰ quem Haquinus ad exturbanda hostium terga in insidiis
 collocauerat, superueniens, edito in aciem impetu, Karl-
 ho[!]ftho mortem, Danis fugam inflxit. Enimuero ceterorum
 fortunam unius inclinavit occasus. Haquinus autem,
 palantes pertinacius urgere ueritus, effusas sociorum habenas
²⁵ salutari consilio | reuocauit, nequa improaudi militis incuria
 effici posset, ut in uictricem uictae partis fortuna recide-
 ret. Igitur equalis ambarum parcum strages parem utro-
 bique belli successum effecerat. Nam etsi altera uictorie
 propior uidebatur, cladibus uictam equabat. Repetente
³⁰ uero classem Haquino, incredibile memoratu monstrum
 incidit. Iaculum namque uago ancipitique discursu superne
 inter auras oberrare conspectum non minore intuentes
 metu quam ammiracione compleuit. Siquidem in diuer-
 sas partes dubiis reflexibus agitatum figendi unlheris locum
³⁵ exploracius prospicere uidebatur. Quod miraculum cunctis
 immani stupore prosequentibus, incertisque, quidnam res
 tam inusitata portenderet, subito casus in solius Haquini
 caput suspectum omnibus periculum transtulit. Arbitrantur
⁴⁰ quidam, matrem Haraldi Gunnildam procurato maleficiis
 spiculo uicti filii penas a uictore sumpsisse. Haral-

dus itaque, insperato hostis exicio regnandi fortunam adeptus, triennio promissum Danis bone fidei uestigal exhibuit.

Ea tempestate Sturbiornus, Suetici regis Biornonis filius, a patrui Olaui filio, Erico, regno spoliatus, petendi auxilii gracia ad Haraldum, cui Thyra mater extitit, cum sorore Gyritha supplex migrauit, tantoque apud* eum paraciorem amicicie locum repperit, quanto illi eiusdem sororis sue matrimonium liberalius permisit. Post hec 5 Haraldus, armis Sclauia potitus, apud Iulinum, nobilissimum illius prouincie oppidum, Sturbiorno duce, competencia militum presidia collocauit. Quorum piratica, egregio animorum robore celebrata ac finitimis paulatim tropheis alita, eo deinceps ferocitatis excessit, ut continua 10 nautarum cladibus septentrionalem repleret Oceanum. Ea res plus Danico imperio quam ullum terrene milicie negotium attulit. Inter quos fuere Bo, Vlff, Karlshefni, Siualdus, aliique complures, quorum prolixam enunciaciacionem, tedium quam uoluptati propinquiores, stilo prosequi super- 15 p. 480
20 sedeo. Inter hec Sturbiornus, ulcionis aculeo la]cessente, acceptam iniuriam pensare cupiens, Ha]raldo in opem accito, memorem daninorum iram aduersus inuisam Erici dominacionem destrinxit. Cuius rei gracia Haraldus Hallandiam proficiscens, Teutonico irrupcionis nuncium, 25 que a Cesare Othono gerebatur, accepit. Igitur alienae rei impeticionem quam proprie defensionem languidiore studio prosecutus, externe pugne proposito domestice curam anteposuit, reflexoqe in Iutiam cursu, ad opem oppressis ferendam precipiti celeritate contendit. Sed eo superueniente, Cesar, Iutiam, utpote regio ductu uacuam, nullo resistente permensus, cum Lymici sinus obiectu, tunc temporis Wendalam aquis claudentis, ulterius excurrere uetaretur, coniecta in undas lancea, non solum iter ad Eydoram reflexit, uerum et simillimum fuge redditum habuit. 30 Siquidem hastam, cuius usum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gracia iaculatus, suum freto uocabulum indidit. Verum ut impetu grauis, ita exitu uanus apparuit. Haraldus quippe, ardentissimo cursu abscedentes hostium reliquias inseguutus, Epponem, extremi ag- 35 minis ducem, cum iis, quos repperit, trucidauit. Interea 40

Sturbiornus, contumeliosa militum adhortacione compulsa,
fortunam suam temere sociorum fortitudini credidit, inque
proprium exicum ruens, regiarum parcium redditum stolida
precessit audacia. Bellum enim preopere ausus, rebus
5 Sueonum per incuriam lacessitis, occiditur. Et sanc hosti-
libus gladiis ultro iugulum subiicit, quisquis in urgenti
aliquo discrimine magis aliena temeritati quam proprie
obsequitur prouidencie.

Post hec Thyra, quo patriam a clandestinis exterorum

10 irruptionibus tucorem prestaret, quantum a Slesuico ad
occidentalem Oceanum patet, uallo fossaque proscindere
agressa est, superque iacto aggere tenacissimi operis ter-
renum molita est munimentum. Cui post modum Walde-
mari regis Absalonisque, || Da|nice gentis antistitis, consi-
15 milis erga patriam pietas murum cocti lateris superiecit,
uti pocius ueteris ualli occiduos lapsus solidior noue molis
structura refic[ic]eret, quam debilem eius situm crebrior in
posterum ruina submitteret. Siquidem priori munitione
fundamenti loco usi, imperfectum feminine uirtutis propo-
20 situm uirili prudencia compleuerunt, tanto excellencius
opus edentes, quanto se muliebri nouerant industria
clariores. Eadem quoque, cum sub specie feminine uirilem
animum gereret, Sciam Suetica dominacione compressam
prestandi tributi onere liberauit. Itaque hinc muro, inde
25 armis hostem repellens, diuersis patrie finibus par tutele
beneficium peperit.

Interea, defuncto apud Noruagiam Haraldo, filius
eius Haquinus, patriam hereditarie pensionis ignominia
30 exuere cupiens, cum Haraldum, auditis, que Cesar apud
Iutiam gesserat, Germanicis diutile bellis implicandum
speraret, palam detractande stipis audaciam prebuit, plus
spei ac fiducie ex Saxoniceis armis quam suis uiribus
capiens. Veruni Haraldus, rebus cum imperatore compo-
35 sitis, consorciu[m] catholice religionis amplexus, diuinam
humanamque pacem regno* suo conciliauit; sieque **XCVIII.**
Haqui|num concepte inaniter spei irritum reddens, se
ipsum errore, patriam preliis liberauit. Comperta uero
Haquini defeccione, tanto in Noruagice iuuentutis contu-
maciam asperius animaduertendum putauit, quanto eam
40 aduersum se ceruicem insolencius extulisse cognouit.

(183)
p. 482

p. 483

Missa igitur aduersus hanc Iuline piratice manu, Bo atque Siualdo ducibus contemptus sui ulcionem mandauit. Quorum Haquinus perspectis copiis, cum intolerabile rebus suis onus imminere cognosceret, excipiendo eius materia 5 non suspectente, tanquam humane opis diffidencia diuinam amplexus, superos inusitato piaculo propiciandos curauit. Duos siquidem prestantissime indo'is filios hostiarum more aris admotos pociende uictorie causa nefaria litacione mactauit, nec sanguinis sui interitu regnum emere du-
 10 bitauit, patrisque nomine quam patria carere maluit. Sed quid hoc rege stulcius, qui geminam carissimorum pi-
 gnorum stragem incertis unius pugne euentibus impendendo fortunam belli parricido petere et orbitatem suam muneric
 loco diis bellorum fautoribus erogare sustinuit? Quo
 15 quenit, ut Dani manum cum eo nauali certamine conse-
 rentes, quounque militaris discursus impetum contulissent,
 infestam nimbi uim, qua tanquam ab hoste lederentur,
 exciperent. Ceterum cohorti imbris maleficium ita no-
 strorum uertices inusitatis grandinis ictibus conuerberauit,
 20 ut eorum oculi, ueluti quibusdam nimborum spiculis laces-
 siti prospiciendique penitus facultate defecti, grauiorem
 ab elementis pugnam quam ab hoste sentirent. Accidit
 ergo, ut Noruagienses, celi quam suis uiribus feliciores,
 Danos, districtam aduersum se numinum iram haut
 25 dubie sencientes, ante fuga quam cedibus implicarent.
 Inter quos Karlshefni ac Siualdus a uictoribus capti, quanquam
 dimicando speciosissimam rei militaris operam edidissent,
 aliquanto tamen plus laudis in uinculis quam prelio
 meruerunt. Haquinus enim, celeberrimam Danice iuuentutis
 30 fortitudinem exploracius nosse cupiens, duos, qui capti-
 uorum pacientiam plenius experientur, admouit. Tantum
 enim uirium animis eorum a natura insitum esse fama
 fuerat, ut eciam, receptis in uultum ictibus, ne leues qui-
 dem superciliorum nutus ederent, atque aduersus omne
 35 percussoris irritamentum in eodem animum habitu contine-
 rent. Cuius experiencie gracia prior Siualdus ingenti
 satellitis fuste percussus, oculos motu uacuos prebuit.
 Quin eciam eo minus fortune cessit, quo miserius uirtutis
 sue experimentum habuit. Nec minus in reliquo mentis
 40 robur apparuit. Karlshefni enim alium districta securi

capiti suo imminentem pulsu pedis humi prostrauit, applicatunque ceruici sue ferrum manibus ferire conantis excuciens, ut erat uinculatus, arripuit, quemque lapsu afficerat, capite spoliauit. Enimuero ut strennuo, ita im-
 5 pigro nisu periculum audacia precucurrit. Neque enim captiui uirtus inter uinculorum stridorem uigore suo exui potuit; quin et inter grauissimas contumelias eo clariorem fortitudinis sue experientiam prebuit, quo incitaciorem fortune aduersum se fremitum sensit. Sed nec illi aut
 10 mortis propinquitas aut catenarum contumelia, quo minus liberum fortitudinis opus ederet, obstarre ualuit. || Quorum constanciam ammirans tyranus, ut utroque pocius bono milite uteretur, quam in utrunque animaduerteret, remissionem pene, dum modo partes suas fide atque amicicia
 15 colerent, pollicetur. Illi uero, uiolentum obsequium uite respectui erogare indecorum putantes, utpote aliene fidei quam proprie saluti propiores, condicione insolencius spreta, turpi pacto prorogandi spiritus beneficium expetere noluerunt. Quo uiso Haquinus, ne paciencie punitor magis
 20 quam probator existeret, uirtuti eorum incolumitatem tri- buendam putauit.

Haraldum uero duos ex Gerytha filios sustulisse memorie proditum est. Quorum* maior Haquinus excellente-
 25 lentissime indolis habitu ac felicissimis nature incrementis fratri Suenonis fulgorem suppresserat. Idem Sembos ag- gressus, cum militum animos periculosi belli respectu aliquanto infractiores animaduerteret, quo melius fluctuantibus fuge spem demeret, ignem subducte classi subiecit, eoque necessitatis duramento imbecillitatis ignauiam rep-
 30 pulit. Efecit enim, ut, nauigiorum facultate defecti, redditum uictoria struendum animaduerterent. Itaque quo equiore animo se ipsum classe spoliauit, eo tuciore hosti spolia detraxit. Miserta est tunc profecto fortuna Danici ducis, a nauigiorum iactura nautarum presidia mutuantis,
 35 cum summam classis inopiam opem uictorie cerneret. Igitur ut prudenti, ita periculo consilio salutarem ministrauit euentum. Potiti enim Sembia Dani, necatis mari- bus, feminas sibi nubere coegerunt, rescissaque dome- sticorum matrimoniorum fide, externis audius inherentes,
 40 suam cum hoste fortunam communi nupciarum uinculo

p. 485

(184)

xcviii

partiti sunt. Nec immerito Sembi sanguinis sui contextum
a Danice gentis familia numerant. Adeo enim captiuarum
amor uictorum animos cepit, ut, omissa redeundi cupiditate,
barbariem pro patria colerent, alienis quam suis
5 coniugiis propiores.

p. 466

Post hec Thyra, Danice maiestatis caput, absumpta est. Cuius corpus Haraldus amplissimo funere elatum magno cum omnium plangore non longe a patris tumulo sepulture mandauit. Neque enim tam acri iactura cuius-
10 quam penates meroris expertes esse poterant, priuato funere publicam patrie fortunam exspirasse credentes. Vbi nunc quoque sacrarium perspicere est, duorum coniugum socialibus bustis intersitum.

Nec silencio implicandum, quod sequitur. Toko
15 quidam, aliquandiu regis stipendia meritus, officiis, quibus commilitonum studia superabat, complures uirtutuin suarum hostes effecerat. Hic forte, sermone inter coniuas temulencius habito, tam copioso se sagittandi usu callere iactabat, ut pomum quantumcunque exiguum baculo e distan-
20 cia superpositum prima spiculi direccione feriret. Que uox, primum obtrectancium auribus excepta, regis eciam auditum attigit. Sed mox principis improbitas patris fiduciam ad filii periculum transtulit, dulcissimum uite eius pignus baculi loco statui imperans, cui nisi promissionis
25 auctor primo sagitte conatu pomum impositum excussisset, proprio capite inanis iactancie penas lueret. Vrgebat imperium regis militem maiora promissis edere, alienae obtrectacionis insidiis parum sobrie uocis iactum carpentibus. Itaque ex dictis eciam non dictorum effectui obli-
30 gabatur, euenitque, ut conatus | suos ad id, quod minus presumebat, erigeret, et, quod parum professione coluerat, plenius experientia celebraret. Neque enim solida uirtus, tametsi detractionum laqueis implicata, iustum animi fiduciam abiicere potuit. Quin eciam eo cercius, quo
35 difficilius experimentum accepit. Exhibitum itaque Toko adolescentem attenciois monuit, ut equis auribus capiteque indeflexo quam pacientissime strepitum iaculi uenientis exciperet, ne leui corporis motu efficacissime artis experientiam frustraretur. Preterea demende formidinis con-
40 silium circunspiciens, uultum eius, ne uiso telo terreretur,

p. 487

auertit. Tribus deinde sagittis pharetra expositis, prima,
 quam neruo inseruit, proposito obstaculo incidit. Cui si
 fortuna caput adolescentis obiecisset, haut dubie in patris
 periculum nati pena recideret, spiculique error percussorem
 percussi exicio sociasset. Virtutem ergo patris an ingenium
 filii impensiori ammiracione prosequar, ambigo, quorum
 alter artis sue prudencia || parricidium cauit, alter corporis
 animique pacienza sibi sospitatem peperit, patri pietatem
 seruauit. Enimuero iuuile corpus senilem animum
 10 roborauit, tantum fortitudinis in expectando iaculo ex-
 hibens, quantum pericie pater in emitendo prebuerat.*
 Itaque constancie sue beneficio, ne sibi spiritus, patri
 salus eriperetur, effecit. Interrogatus autem a rege Toko,
 cur plura pharetre spicula detraxisset, cum fortunam
 15 arcus semel duntaxat experimento prosequi debuisset,
 Vt in te, inquit, primi errorem reliquorum acumine uindi-
 carem, ne mea forte innocencia penam, tua impunitatem
 experiretur uiolencia. Quo tam libero dicto et sibi forti-
 tudinis titulum deberi docuit et regis imperium pena
 20 dignum ostendit. Sed iis necessitatum procellis erutum
 paulo post par mali tempestas implicuit. Haraldo enim
 eius se artis, qua Finnii niuales saltus peragrant, pericio-
 rem iactanti Toko in consimili genere laudis suam ausus
 conferre uirtutem, apud Collam rupem | edite professionis
 25 experimentum prebere compellitur. Sed quod minus
 exercicio celebrauerat, plenius a uirtute mutuatus est.
 Eminentis enim scopuli cacumine concesso, exiguo se
 fusti credidit, lubricasque plantis tabulas adaptando ra-
 pidum in preceps uehiculum egit. Cuius precipiti raptu
 30 in preruptos silices actus, nihilominus debitum eius
 regimen intrepida manu continere suffecit. Neque illi aut
 periculi magnitudo aut ullus animi stupor, quo minus
 firmo se corpore contineret, officere potuit. Exterruisset
 alium conspecta precipicii immensitas, atque ante ipsum
 35 periculi ingressum plena metus hebitudine confecisset.
 Tandem illiso cautibus uehiculo, cui insistebat, excussus
 fortuito fustum fragmento solidum incolmitatis presidium
 reperit, fatoque alioqui propinqu[i]us felici naufragio in-
 speratam salutis anchoram apprehendit. Enimuero acrius
 40 cliuo impactus, perfracti uehiculi damno tutum cursitandi

(185)

xcix.

p. 488

euentum habuit. Nisi enim impetum eius inuia petrarum robora uasteque uoragini interpellassent, haut dubie procursum subiectum rupi pelagus excepisset. Vbi a nautis exceptus, inuiso regi tristiorum fortuna sua famam reliquit. Vehiculi quoque fragmenta a nauigantibus inter undas reperta falso periculi eius fidem auxerant. Ipse uero, suspectam Haraldi presenciam reputans, quod uirtuti sue premiorum loco pericula proponi cognosceret, studiorum suorum exercicia ad filii eius Suenonis militiam contulit.

p. 489

Post hec Haraldus totam regni classem exerens, ne paruo apparatu magne molis pondus aggredetur, iunctis hominum boumque copiis inusitate magnitudinis saxum, Iutico littore repertum, quo matris tumulum insigniret, abstrahi iussit. Interea, qui cum Suenone classi preerant, Haraldi imperium, tum quia diuino cultui fauorem tribuerat, tum quia inusitatis plebem oneribus adigebat, perosi, quendam compositum et subornatum, qui Suenonem, an arma aduersus patrem sum[m]ere regnoque potiri uellet, callide percunctaretur, inducunt. Quo mandato Sueno ad regnum parricidio petendum adductus, percunctanti grates habuit, libenterque se patrie dignacione usurum respondit. Quo accepto, maiores, exploratam eius cupiditatem securius amplectentes, occultis animorum commentis audacter euidenciam prebuerunt. Enimuero, quod clandestinis motibus texerant, apercius exsecuti, continuo regem cum publica acclamacione decernunt. Inter hec Haraldus circa tractum lapidis occupatus, quendam suorum e classe superuenientem arceius percunctari cepit, an tantam alias molem mortali manu tentatam conspexerit? Ille se maioris ponderis ductum humanis uiribus effectum recenter oculis subiecisse commemorat. Quod rege crebris percunctacionibus prosequente, Nuper, inquit, cum Dania tibi subduceretur, intereram. Ipse, uter onerosior tractus extiterit, penses. Ita Haraldus, cum alieno iudicio cepti gloriam querit, erepti regni nuncium accepit. Penituit tunc regem pecudalibus iugis humanas alligasse cervices. Nam cum, omisso uehende molis proposito, tractum saxi in belli apparatum conuer*tere uoluisse, grauissimum militis supercilium expertus est.

XCIX^b

p. 490

Exercitus namque, tam probrosi officii contumelia lacessitus,
 pro quo iugum tulerat, arma capere recusauit. Neque enim
 maiestatis || imperio aut prece adduci potuit, ut eius capiti
 incolumitatem quereret, qui omnium cœruiices erubescenda
 5 iussione damnasset. Nonnulli tamen, popularis sentencie
 expertes, inter publice consternacionis procellas consueta
 se erga regem caritate gesserunt. Quibus adiutoribus
 usus, dum filii conatus armis elidere nititur, acrius sanguini-
 nis sui uiribus oppugnatur. Siquidem bello a Suenone
 10 uictus, fugam suam Sialandie credidit, contractisque ex ea
 uiribus, rursum consimilem fortune habitum nauali ex
 certamine retulit. Iamque domesticis exuto copiis externa
 manus imploranda restabat. Igitur, relictâ patriâ, Iulinum,
 Danicis armis refertum, utpote fidissimum milicie sue
 15 gremium exilio petiuit. Interea Sueno, nondum paterno
 odio pietatem uiolasse contentus, conciliande sibi plebis
 gracia effusis impietatis habenis delendorum sacrorum
 curam animo pertinacius sumpsit, omnique diuinitatis cultu
 patria electo, uictimarios templis, aris libamenta restituit.
 20 Quem rursum pater mixtis Danorum Selauorumque copiis
 apud Helgenes littus aggressus, diem prelio tam fuge
 quam uictorie alienus extraxit. In quo defatigati exercitus
 necende pacis gracia posteram lucem colloquio tribuunt;
 cum forte Haraldus, creande compositionis fiducia licen-
 25 cius euagatus, in angustiores nemoris partes concessit.
 Vbi cum exinanidi uentris gracia arbustis insideret, a
 Tokone, iniuriarum suarum ulcionem siciente, sagitta vul-
 nus exceptit, idemque saucius a suis Iulinum relatus,
 celerem uite exitum habuit. Corpus eius Roskildiam
 30 missum apud sacrarium nuper | ab ipso conditum solennem
 sepulture locum recepit. Ingrata enim olim bonorum
 suorum patria piissimi ducis opera sera animaduersione
 complectens, quod minus uite eius prestiterat, funeri plenius
 deferendum putauit, omnibusque humanitatis neruis exe-
 35 quiarum cultui insistens, cuius spiritum superbe oderat,
 clementer cineres amplexata est.

p. 491

Defuneto Haraldo, Sueno, prosperam sibi in diuina
 seuiendi occasionem uenisce gauisus, totam religionis stir-
 pem ab radice conuulsit, eoque auctore Dani susceptum
 40 diuinitatis cultum repetita superstitione mutarunt, hoc

liberius erroris sui recursum complexi, quo cercius amarissimum eius reprehensorem occidisse cognouerant. Quam temeritatem uindex contemptus sui diuinitas non parua rerum acerbitate pensauit, auctorem eius tristissimis fortune
 5 uicibus insecura. Ipsum namque deserende religionis ducem perquam grauiter affectum uiolentissimis casibus impicare non destitit, letisque successibus spoliatum amarum uite usum experiri coegit. Quippe a Iulini oppidi
 10 accolis, piratica Daniam incessentibus, captus, facta sibi redimendi potestate, corpus suum auro semel, argento bis rependendum promisit. Ea summa a Danis ob deserta sacra nimio eum fauore prosequentibus contributa, patrie restitutus, nihilominus oculos densissimis ignorancie tenebris obfuscos conspicue lucis radiis admouere contempsit.
 15 Enimuero plenum nequicie portentum paternoque animo parum respondens ab eximio eius splendore in profundum caliginis secedere non erubuit. Sed cui propria damno labes extitit, aliena usui benignitas fuit. Idem secundo consimili fortuna affectus, nobilium liberis uadibus pro se
 20 datis priorisque summe paccione interposita, redempcionis presidium impetrauit. Sed cum promissum* es ex proprio fisco soluere nequiret, omnibus, qui pro salute eius filios proprio spiritu cariores predes dederant, nunc publice, nunc priuatim saltus ac nemora uenditabat, corumque
 25 precium protinus captiuitatis sue auctoribus numerauit. Enimuero Scani ac Sialandenses communes siluas publico ere comparauerunt. Apud Iutiam uero non nisi familiis propinquitatis serie coherentibus empcionis communio fuit.
 Eo tempore piratice usus nostris creber, Sclauis
 30 perrarus extitit, qui ob hoc lacius ad eos manare cepit, quod Iulini oppidi pirate, patrie studiis aduersum patriam usi, eo maxime Danis, quod ab ipsorum ingenii traxerant,|| nocuerunt. Quem incursacionis morem nostris annis Waldemari regis maximique pontificis Absalonis propense
 35 pro ciuibus excubie domuerunt. | Quorum strenuo interuentu tranquillus terris cultus geritur, tuta aquis nauigacio celebratur.
 At Sueno, oppressionum suarum uindictam siciens maximeque Iulinum, perinde ac sclestissimi contubernii
 40 domicilium, armis euertere cupiens, sinum, quo Mœn

p. 492

ca

(187)

p. 493

insula a Falstria secernitur, regia classe compleuit. Qui cum se mox in Scelauorum effusurus prouinciam uideretur, qui Iulini constiterant, audacter callidi, impetum hostis arte precurrendum duxerunt. Nam cum muniende classis 5 gracia nocturnas a Danis circuiri uigilias nossent, delectos remiges subornauerunt. Qui mane, anticipato uigilum more simulatoque ab excubii reditu, frequentem liburnis portum breui lintre permensi, cum ad regis usque nauigium processissent, esse gubernator dixit, quod secrecius eum 10 nosse ad modum oporteret. A quo rex noctu explorante rei nuncium afferri ratus, detracto nauigii tegmine capite que exerto, ueluti familiaris colloqui gracia acclue uocanti corpus prebuit. Quem ut ille insidiis opportunum animaduertit, subito ceruicem eius perquam uolento amplexu corripuit, liburneque detractum apparitorum ope myoparoni suo iniiciendum curauit. Nec segniter fugam naute concitatis remorum ictibus expetebant. Ita presidium strenue calliditatis amplexi, quod armis nequibant, insidiis promouerunt. Igitur qui paulo ante in maiestatis 15 fastigio fulserat, tunc barbarorum miserabile mancipium contumelioso ludibrio fortune effectus, nescio, patris maior an religionis injuria, prouinciam, quam parentis exilio uiolauerat, ministram careeris ultricemque parricidii sénxit; patriam, quam sacris spoliauerat, eciam opibus exuere 20 necesse habuit. Neque enim ocios a suis iuuari poterat, utpote quibus primum detrahenda nauigiis tegmina, aptandi foris remi extollendeque undis anchorae fuerant. Cessit 1 igitur expedicio fraudi; nec barbariem absque regio ductu petere ausa, soluta classe, domesticis militem 25 littoribus reddidit.

In qua fortune uiolencia Sueno, uirili defectus auxilio, femineum expertus est. Nam cum, exhaustis regni opibus, ne aurum quidem redempcioni eius suppetere uideretur, tanta ei matronarum humanitas affuit, ut, detractis aurium 30 insignibus ceteroque cultu, certatim digestam pondere summam explerent, plus commodi in salute principis quam amenitatis in ornamentorum suorum specie reponentes. Adeo in liberando eo uterque sexus unius humani uoti curam habuit. Ita matronali[s] stole publicum culmen 35 priuatis facultatibus emere uoluptati magis quam oneri

fuit. Neque enim eius capiti incolumitatem publice stipis impendio petere dubitatum est, qui primus deserende religionis constantem se gessisset auctorem. Enimuero ignara perditionis sue patria summum scelus amplissimis beneficiis rependere pietatis loco duxit, parentis ac numinis uiolatorem indebito gratulacionis officio prosequuta, quodque penis expiandum fuerat, obsequiis pensans. Quanto enim Haraldi odio tenebatur, tanta Suenonis caritate flagrabat, auctorem religionis fastidio, aspernatorem beniuolencia insequendo. Ita populus, sacrilegi animi probator, religiosi punitor, quantum in patris sanctitatem contemptus, tantum in filii labem honoris* congesserat, cultumque eius, quia sacrorum morem abrogauerat, copiosa fauoris indulgencia prosequutus, ter regem a piratis captiuum, interposita munerum paccione, receperat. Nec illi quidem ad premia matronarum obsequio exsoluenda ingrata mens fuit. Nam feminis deinceps participandarum hereditatum ius, a quibus ante lege repellebantur, indulxit. Ut autem argentum priori summe debitum contraheret, agros ac latifundia uenire iussit, utque ab exteris ipse ueniit, ita uenalem suis patriam fecit. Ita nescio macie miserior an felicior fuerit, que quantum eius corpori detraxit, tantum censui pepercit, opesque artuum consumpcione seruauit. Ceterum barbari, nondum rebus eum exuisse contenti, truculencius affectum iurare eciam, iram remissurum, compellunt, gemina miserum paccione torquentes. Sed alteram exhibere difficile, alteram || admittere turpe. Opes enim hosti fundere necessitatibus conuenit, iniurie uero respectum abiicere penasque impunitate pensare uicinum rubori beneficium est. Siquidem ut uiolencie cedere infirmum, ita uindictam eius abdicare probrosum. Quippe supra uires cogi quam uiribus remisse uti speciosius. Nec segniter, exuende captiuitatis cupidus, sacramento omittende uclionis exhibito, propositae condicionis partes admisit; hostemque non minus fruende securitatis beneficio quam auri impendio locupletauit, hoc magis seruilem se exhibens, quo turpius libertatem impetrare sustinuit. Tantum autem transfugarum erga patriam caritas ualuit, ut, cum regiam Danorum stirpem ad unicum Haraldi filium redactam esse cognoscerent, quo minus alienis

C^b

p. 495

(188)

summa cederet, saluti ipsius parcendum existimarent. Quam obrem opes eius, non exitum sicientes, egestatem suam censu solari quam sanguine maluerunt.

Nec tamen erga desertorem sacrorum principem
 5 diuine correpcionis aculei quieuerunt. Nam Suetiam quoque Danorum rebus infestam fecere. Cuius rex Ericus, agnomen a uictoriis mutuatus, per Haraldum iampridem latam Sty(r)biorno aduersus Sueones opem memorie subiiciens perquam grauiter in Suenonis caput exarsit.
 10 Vtque sui vindictam perageret, exercitum in Daniam traiecit, expugnacione filii parentis noxam pensare cupiens. Quanquam enim eum arcciore materni sanguinis nexu contingeret, iram tamen affinitati pretulit, eo quidem fiden-
 15 cius, quod Suenonis fortunam sepius egram atque fractam ac crebris detrimentorum incurribus lacescitam, suam iu-
 giter in summo felicitatis | cardine uersatam nouerat. A quo Sueno bello Scanico uictus, relicta excellentis pul-
 20 critudinis filia Thira, auie nomen referente, (que qua matre orta fuerit, ignoro,) Olauum Thirgonis filium, Noruagie regimen gerentem, exilio petuit, eo quidem ampliori spe,
 quod patrem eius iampridem regno exactum Haraldi suc-
 cursu restitucionem impetrasse meminerat. Is quanquam
 25 regio nondum titulo censeretur, regiis tamen partibus pleno procuracionis officio fungebatur. Quo beneficio quanquam obligatus esset Olauus, nihilominus debitam patris eius meritis graciam referre negligens, profugum ac supplicem spreuit, omniaque momenta petite opis abnegans,
 nullum pene misero suffragium prebuit. Neque enim exuli succurrit, nec aspernatur illum a se repelli, a cuius parente
 30 suus patrie redditus fuerat. Cuius repulse Sueno contumelia suggillatus, ad Anglorum presidia conuolauit. Quorum rex Ethuardus, etate ad modum tenera, au|xilii peti-
 torem ambitionis nota perculit, existimans, non tam opem
 35 a profugo peti, quam exilii simulacione regnum a callido repeti; fortuneque inopiam argumentum astucie reputans, obseratis exulem auribus auersatus est. Adeo paterna felicitas suspectam natu miseriam fecerat. Ita maligni animi ducibus spes suas precesque frustrantibus, in Scotiam profectus, clemenciam, quam in aliquanto micioire gente
 40 non reperit, apud efferata barbarorum ingenia sensit.

Adeo enim uolubilis fortune uarii atque ancipites motus existere consueuerunt, ut interdum humana mens, ubi speratis fallitur, insperata facilius assequatur.

Hac fortune seuicia Sueno ad amplectendam reliquias caritatem adactus, abstractos* caligine oculos salutari lucis contemplacione suffudit. Nam cum duos maxime reatus suos, parricidium atque sacrilegium, totidem grauisimis suppliciis, captiuitate atque exilio, abunde mulctatos animaduerteret, piam neglecte salutaris discipline uerecundiam egit, conuersoque in curam sacrorum animo, utriusque delicti contagium plenis penitencie lachrymis expiauit. Quin eciā, cunctis circa se rite peractis, lauaci usum promptissimo religionis tenore percepit. Cuius quanta prius labes extiterat, tantum postea robur ac columnam euasit. Nec segniter penitencie beneficio permulsa deitas propicii numinis fauore pristinum ei fortune splendorem conciliavit, amorque ipsius, septimo, decedente Erico, promptum regni introitum struxit pro exilio patriam, pro paupertate amplissimum decus ac summam largita potentiam. Nam Erici filius Olauus cum matre Syritha Suetiam repetiuit, ibique degens regnum materno arbitrio subiectum habuit. Ita Sueno eodem pene tempore et religioni paruit et patria potitus est. Ne autem, quorum fauorem impietate contraxerat, sanctitatis irritamento odia in se repente traiceret, publice dissimulata religione, priuatim exhibita, pium mentis habitum texit. Itaque diuersi motus hisdem precordiis inclusi, summa formido ac sanctissima deuocio, animum eius perplexa cunctacione distractum ad ultimam pene hesitacionem redegerant. Hinc enim perdendi regni, inde ledendi numinis metus pectoris eius munimentum anticipati periculo uulnerabat. Fastidite siquidem religionis ultorem deum, plebem culte uindicem metuebat. Que tam dissona studia attenciore animi comparacione expendens, plus diuini quam humani timoris uiribus indulgendum prouidit. Priuatim itaque maiores aggressus, clandestina ammonitione sacris ritibus subiictere perseuerabat, disserendi officium, quod a literis doctrinaque non traxerat, rudi atque impolito ingenio prosecutus. Adeo preceptoris partes, quas solertia ac consuetudine parum complexus fuerat, a fundande religionis cupidine mutuabantur. Verum medele

CL^a

(189)

p. 498

salubritatem, ab incolumi capite quesitam, ab aridis atque
 indignantibus membris euomi crederes. Neque enim ama-
 tor ueterum populus docilem inusitatis animum prebere
 sustinuit. Quin eciam externi cultus tedio patrium emu-
 latus est. Igitur cupidus sed inefficaci serende religionis
 auctori numinis sui illustrator deus Popponem, ingenio ac
 sanctitate conspicuum precipuaque literarum sciencia ex-
 cellentem, preclari operis consortem adiecit. Hic Danorum
 concione publice apud portum, cui glaciei frequencia
 agnomen peperit, habita, cum eos, ne fana excolere uellent,
 sermone flectere nequiret, euidenti indicio certissimum
 assercioni sue argumentum prebuit, doctrineque fidem
 conspicuo sanctitatis miraculo publi'cauit. Percontatus
 enim, an monitis suis obsecuturi essent, si ad flagrantis
 ferri tactum manum eius lesionem uacuam conspexissent,
 uniuersis haud dubie parendum respondentibus, carentem
 ferri laminam chirothece formam habentem expediri iussit,
 eique brachium cubito tenus inseruit, ac protinus per
 omnes interrite circumlatam ante principis pedes excusso,
 dextramque nulla ex parte corruptam in eodem incolumi-
 tatis colorisque habitu religiose omnium ammiracioni con-
 spiciendam monstrauit. Quo tam mirifico spectaculo alio-
 qui inexorabiles studio suo consentaneos reddidit, effectique,
 ut periculum non impedimentum monitorum eius esset, sed
 experimentum. Enimuero ipsam rerum naturam audacis
 uoti constancia superauit. Quin eciam ea miraeuli cele-
 britate e[x]ternum genti nostre religionis spiritum ingene-
 rauit. Quo euenit, ut Dani, abrogata duellorum consue-
 tudine, pleraque causarum iudicia eo experimenti genere
 constatura decernerent, controuersiarum examen reccius ad
 arbitrium diuinum quam ad humanam rixam relegandum
 putantes. Quam ob rem Poppo a maximo ponti*fice Bremensi
 Adaldago apud Arusium honorem gerendi pontificii, uite
 atque operibus suis perquam debitum, impetravit. Eodem
 officii nomine Ha<in>rico S<l>e<s>ui[scus]cum, Lefdago Ripe
 cesserunt; Gerbrandus Roskildie claruit. Adeo religio-
 sissimi principis exactissima sanctitas Christianis[si]mi cultum
 nouis sacerdotiis auxit, cellis atque sacrariis decorauit.
 Prius enim quatuor hec religionis domicilia externis sacro-
 rum contenta presulibus domesticeque prelacionis expercia

fortuito magis quam solido pontificum ordine nitebantur.
 Nec minus Noruagia Bernardi ex Anglia profecti saluberrima ammonicione profecit. Cuius regi Olauo tanta sumendorum auspiciorum annotandorumque ominum cura acta
 5 est, ut eciam aquarum sacrarum liquore | perfusus, cum p. 501
 par*(i)*ter religiose discipline rudimenta sorpsisset, nullo tamen sanctitatis exemplo, nullius auctoritate doctrine, quo minus augur*[i]*um monitus consecaretur futuraque per pullarios disceret, || uetari posset. Itaque sanctitate uacuus
 10 nec non inanem eius umbram complexus, susceptam reli- (190)
 gionis speciem fucosa superstitione damnabat. Consimilis eiusdem pontificis industria Suetie regem Olauum ad Christiana sacra perductum Iacobi nomine uenustauit,
 morum profectui decus uocabuli tribuens. Vtrum autem
 15 idem rex ab eo, an a Bremensium pontifice Vnnone sa- p. 502
 crorum usum disciplinamque percepit, parum comperi. Eo tempore Lundenses, sacrarium moliti, sub Gerbrando,
 Roskildie presule, rem diuinam domestici templi religione gesse|runt. Ceterum Vnnonis corpus Byrce, oppidum ueteri
 20 fama inclytum, Bernardi Lundense hypogaeum tenet.

Interea rex Noruagie Olauus, adhuc celebs, fruende claritatis pociendeque Danie cupidine instinctus, quo facilius uoti se compotem redderet, petitis Syrithe nupciis, Sueticas partibus suis uires applicare curauit. Ne ergo
 25 Sueno duorum regum iunctis copiis geminum patrie latus incursum preberet, perquam callido consilii genere usus, duos peruicioris animi satellites subornauit, qui, simulata damnacione, Olauum supplices petierunt. A quo exulum more indulgencius habiti, cum post aliquante familiaritatis
 30 usum proposito licencius utendum animaduerterent, Suenonis uituperio Thyre commendacionem impensi|oribus uerbis sociare ceperunt, quantum patris mores conuicio, tantum filie speciem laudibus insecurti. Adeo falsum proscriptorum nomen complexi, mendacii noxam beniuolencie simulacione
 35 texerunt. A quibus Olauus probabilis forme irritamento virginem petere persuasus, legacionem preces suas Suenoni porrecturam instruxit. Qua aditus Sueno petitas proco nupcias pollicetur. Quo nuncio Olauus ad summam usque gratulacionem euectus, matronali stole illibatas pudicicie
 40 faces preferendas existimabat, uirgineumque adulatus am-

plexum, adolescenciam suam intra uiduitatis gremium ob-
 terere passus non est. Igitur quantum alteri contemptus
 alterique ueneracionis deferret, aperuit. Syritham namque
 colloquii simulacione celebriter accersitam, nauigium con-
 serendi secum sermonis gracia subintrare petiuit. Cuius
 5 precibus regina, quo uerecundie munimento tucior fieret,
 aliquandiu reluctata, ad extremum imperio cessit. Igitur
 uix atque egre obtemperanti lignum pensilibus uncis sub-
 nixum pontis loco scandende puppis gracia sternitur.
 10 Quod cum regem aditura concenderet, eodem per insi-
 diosos subdueto, preceps fluctibus obuoluta est. Nec con-
 tentи naute amplissimam maiestatem ultimo dedecore con-
 fudisse, quo clarius libidinosum ei animum exprobrarent,
 inflicti casus turpititudinem clamore sub hinnitus specie edito
 15 persecuti sunt. Hec est Noruagica humanitas, dolis ac
 derisione instructa, que splendidissime femine fidem pro-
 brosis insidiis circunuenire, matronale decus contumeliis
 proculeare, amoremque ignominia rependere non erubuit.
 Et sane quisquis ei populo humanitatem atque obsequium
 20 erogat, ingratis be*neficium prestat. At regina, pene peri-
 culo prellocata, magno cum Sueonum rubore egre littori
 restituta est. Tandem recepto spiritu, impudiciciam sibi a
 rege exprobratam iudicans, ruborem periculi tacita ferre
 nequivuit, opprobrii deformitatem minis, quibus potuit, in-
 25 secura. Neque enim, duabus grauissimis calumniis, peri-
 culo ac rubore, affecta, lacesisti pudoris irritamentum equo
 animo tolerare sustinuit, utpote que ex integerrime maie-
 statis regina ad insolentis proci plenum ignominie ludibrium
 redacta fuerat. Ita uersuti ducis acumen, ammirabilis
 30 uaframenti inuolucro tectum, uires, quibus Olauum exuit,
 sibi sagacissime conciliauit. Continuo namque petite in
 matrimonium Syrithe eo benigniorem animum, quo Olauo
 infestiores, expertus est. Nec inerter ruborem coniugis
 negata mox proco filia uindicauit. Interiecto tempore
 35 Kanutum ex Syritha suscepit.

Ita Olauus duobus splendidissimis coniugiis destitutus,
 dum alterum temere respuit, ab altero turpiter repellit
 meruit, utque hoc repulsa, ita illud insolencia perdidit.
 Verum || quia Suenonem parum prospere bella gerere soli-
 40 tum nouerat, facta non uirium eius, sed fortune estimacione,

instructoque nobilis fame nauigio, armis | ulcionem exequi
 parat. Contra Sueno, adeita priuigni manu, maritimo
 hostem certamine excipit. In quo Olaui sagittarius Enarus,
 magno corporis artisque robore preditus, tanto rigore
 5 mirifici arcus tormentum intenderat, ut excussum ab eo
 iaculum nulla rerum duricia sisteret, quo minus citato
 motu uniuersum penetraret obstaculum. In malum nauigii
 incidens lignum uiolencia sua peruum habuit. Eadem,
 interiecto regis elypeo, tabule ratis illapsum uix inter undas
 10 impetus sui finem repperit. Itaque grauius hostem solus
 quam tota sociorum manus afficere ualuit. Ceterum adeo
 certo ietu destinata feriebat, ut, quicquid impetebat, offendere
 15 ret. Quo euenit, ut Sueno, tormenti monstro territus,
 plus metus in unico stipite quam tota hostium classe re-
 poneret. Cumque solum in eius corruptione remedium
 animaduerteret, non tam sagittarium quam artis sagittarie
 instrumentum ab eius rei peritis impeti iubet, uiolata arcus
 fortuna tueius bellum gerere cupiens. In quo(d) delectis
 20 certatim tela congerentibus, unum forte arcui impactum
 artificem ingenio, hostem uictoria spoliauit. Cumque late-
 rupcionis eius fragor obstreperet, stupens Olauus, quidnam
 25 esset conminutum, interrogat. Cui Enarus, Conuulsam,
 inquit; abs te Noruagiam puta. Plus namque opis in arcu
 quam exercitu repositum iudicabat, futurum pugne exitum
 abscisa responsi sagacitate complexus. Nec secus, quam
 30 predixerat, accidit. Fraccio namque arcus insecuram
 Noruagiensium cladem ominata est. Vt autem Olauus
 hostium manus arbitrario fato precurreret mortemque sibi
 ipse con(s)ciseret, armis onustus precipiti saltu profundum
 peciit, tanquam uita feliciter excessurus, si non auiditate
 35 lucis uictorem intueri cogeretur. Cumque Sueno hostium
 uires in suam redactas potestatem uidisset, quos armis ad
 fugam inclinauerat, oracione ad obsequium flectere cupiens,
 insignem rei bellice successum ad blandicias transtulit,
 uictorque cum uictis pacisci deforme non duxit. Nec
 40 Noruagiam sibi subiecisse contentus, petita Anglia, pactum
 cum Adalstano habuit, ut, eo decedente, regis bonis ac
 nomine frueretur.

Iisdem temporibus Popponi Rimbrandus, Henrico
 Marcus pontificii religione successit; pro Lefdago Fulbertus

p. 505

p. 506

sacerdocio fulsit; post quem Othincarus Albus, splendidissimo lo^{co} natus, infulas sumpsit. Cuius liberalis in deum animus, ne paruula quidem sibi summa retenta, amplissimum patrimonium necessariis templorum usibus erogauit,
 5 cellasque ante id rei familiaris inopes uberrimis agris ac latifundiis locupletes effecit, adeo ut excellentissime tocius Iutie ciuitates, quicquid pene prediorum possident, a religiosa eius donacione percepient. Itaque propior publice deuocioni quam priuate facultati solideque magis quam
 10 fluxe laudis appetens, momenta* neo rerum impendio manus animi delicias comparauit; seque patrimonii quam religionem rei familiaris inopem esse maluit, ad eum hereditatis sue honorem transferens, a quo pia dona perpetuis bonis rependenda cognouerat. Nec possessionem sacris
 15 impendisse contentus, ut omnes uirtutis partes ac numeros exsequeretur, eciam rerum beneficiis uirtutum adiumenta subtexuit. Siquidem Sialandiam et Scaniam officio pie erudicionis aggressus, mirificum sacri dogmatis auctorem agere cepit. Ac ne parcius animi quam corporis officium
 20 amministraret, tantum se in amplificanda religione gessit, quantum egerat in locupletanda, pro quo patrimonium erogauerat, eciam morte paratus occumbere.

Ceterum Sueno, senilis anime laboribus fessus, diuinis rebus infatigabilem ultimi temporis curam tribuit, nec
 25 spiritu | quam religione diuturnior fuit. Siquidem omni humana concussione uacuus in ipso perfectissime uite fulgore decessit. Hunc igitur due inter se diuisere fortune, quem uaria sors in ludibria ac decora alterna uice traiecit, regno illius captiuitatem, captiuitati exilium substituendo.
 30 Quis enim crederet, illum a maximo solio ad Sclauorum peruenturum catenas? Quis rursus existimaret a Sclauicis uinculis ad regni redditum insignia? At tamen ex rege captiuus atque ex captiuo rex est factus. Ita nunc miseris, nunc felicissimis par, diuerso condicionis habitu ge-
 35 minam utriusque fortune mensuram equauit.

Mortuo Suenone, Angli ac Noruagienses, ne rerum summam alieno imperio subiectam haberent, reges ex suis legere quam a finitimis mutuari sacius rati, abrogato Danici nominis respectu, Eduardum atque Olauum in maiestatis
 40 fastigio locauerunt. Quorum preualidum robur Kanutus,

p. 507

CII^b

p. 503

(192)

Danorum solio functus, inter rerum inicio aggredi ueritus, ne tamen regnandi usum intra patrie metas clausum haberet, dissimulata magis quam omissa paterni imperii recuperacione, primum Sclauie ac Sembic, perinde ac debilioribus
p. 509
⁵ regnis, ferrum iniicere statuit. Quarum alteram Sueno, tametsi graues iniurias passus, obstante religionis uinculo, concutere formidabat; altera, ab Haquino oppressa, absumpto eo, rebelles Danis manus exercuit. Solerter igitur a Danici regiminis successore prouisum est, ut in hac paterni grauaminis, in illa defecctionis noxam puniret. Neque enim ignorabat, bone indolis habitum ad maiorem uirtutem capessendam leuiori rerum conamine roborari, ideoque in ipso milicie tyrocinio adolescenciam suam aliquo preclaro opere auspicari cupiuit. Nec eo quidem segniiores deseritoribus manus intulit, sed nescio an ideo prompctiores, quia strenua ingenia, quo plus experimenti sumunt, hoc ad insignem operam edendam maiorem ausu proficiunt. Cuius propositi compos spes suas, duabus splendidissimis uictoriis alitas, terciam ab Anglis expetere docuit. Quod ut promptius expediretur, Olauum, Noruagie potitorem, cum fratre Haraldo, | tectis dissimulacione odiis, aduersum defecctionis sue consortem armauit. Enimuero ut prudenter, ita periculose hoste in hostem usus, ambicione coniunctos armis diuiduos fecit. Igitur Danorum Anglorumque exercitibus
p. 510
²⁰ acerrima pugna consertis, Tymmo, genere Sialandicus, cum hostili impetu socie partis aquilas ad modum inclinatas uideret, leuemque, et quem sors obtulerat, ramulum hasta sustulit, eoque uexilli loco usus atque in eum uociferatus modum, quo Kanuti milites mutue adhortacionis gracia
²⁵ acclamare consueuerant, aduersas in fugam turmas felix antesignanus auertit. Itaque non tam signi quam animi uirtute salutarem suis aquiliferum gessit, nutantemque Danorum fortunam ad uictoriam usque, ne laberetur, erexit. Nec solum fortitudinem ipse plenissimam prebuit, sed etiam
³⁰ ex sociorum animis pene profugam reuocauit. Cuius facti decus post modum cognomine usurpauit, insuperque uirtutis titulo honore primipili a rege donari meruit. Nec puduit Danorum partes, splendidissimo aquilifero defectas, plebei hominis ductum, ut obscurum specie, ita preclarum
³⁵ euentu, recreatis animis, salutis premium consecrari. Igitur
⁴⁰

Eduardus, contusis suorum animis, intolerabilem Danici exercitus spiritum animaduertens, quia manum non poterat, pactum cum hoste conseruit, ut, quoad ipse uiueret, Kanutum dimidii regni consortem haberet, extinctus omnium bonorum heredem relinqueret. Ita uictor a uicto extudit, ut is sibi consorcione imperii uiuens cederet, totum moriens testamento legaret. Eodem tempore Alwiuam, ab Olauo adamatam, Kanutus, eximia matrone | specie delectatus, stupro peciit. Igitur Olauus, siue quia concubine facibus spoliatus, siue quia promissa Anglie parte per Kanutum fraudatus fuerat, priuatam offensam publice milicie pretulit, peractisque stipendiis, ira pariter ac dolore instinctus Noruagiam rediit, non ineongruum, eius desertorem agere, ratus, a quo plena turpitudinis iniuria uexatus fuerat.

Septenis post modum interiectis annis, quidam triclinium, in quo Kanutus epulabatur, ingressi, tocius Anglie regem salutare ceperunt. A quibus || rex sibi ictum cum Eduardo fedus per inuolucrum exprobrari ratus, nihil eius se pudere respondit. Sed neque ab ira animum neque uultum a rubore continuit, profectas a scelere uoces ludibrio propinquas existimans. Tum illi, funestum ministerium incauto confessionis officio prosecuti, Eduardum sua interemptum opera iactitabant, eo se regi placituros rati, quo summam ipsius offensam accenderant. In quos rex, perinde ac maiestatis insidiatores, preparati premii loeo suspendio protinus animaduertendum curauit, deterrium opus deformi vindictae specie puniens. Quanquam enim se acri emulo liberatum cognoseeret, sceleri tamen penam quam utilitati graciam referre maluit. Memorant alii, Eduardum clandestino Kanuti imperio occisum, eiusdemque iussu penam a maleficiis gracia de mende suspicionis exactam. Ut enim innocencie sue fidem astrueret seque ei culpe affinem fuisse negaret, grauius in sceleratos consulendum putauit. Ea tamen res primum regis apud domesticos fauorem quassauit. Qui cum, Anglorum rebus obtentis, nectendam cum finitimis amiciciam decreuisset, Normannie prefecti Roberti filiam Imman matrimonio duxit, eiusque fratri Rykardo sororem Estritham coniugio pociendam permisit. Igitur ex Imma Kanuto Gunnildaque suscepta, duorum

p. 511

(193)

p. 512

populorum concordiam communi sanguinis uinculo stabiliuit.

Ceterum quo prompecius habilem expeditamque crientam contraheret, splendidis miliciam tyrociniis auxit,
⁵ amplissima fortibus stipendia proponendo. non tam numero quam robore militum uenerabilius imperii sui decus futurum existimans. Itaque militaris alacritas, cuius maxime premiis honos alitur, certatim in eius contubernium defluebat. Cuius munificencie gracia Vluonem quendam, e Suetia
¹⁰ accersitum, dolis magis quam uiribus insignem, in militarem ordinem allici contigit. Cuius quoniam incidenter mencionem egi, ortum summatim disseram. Cuiusdam patris familias in agro Suetico filiam liberalis forme, cum ancillulis lusum egressam, eximie granditatis ursus, deturbatis comitibus,
¹⁵ complexus rapuit, exceptamque unguibus pre se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportauit. Cuius egregios artus nouo genere cupiditatis aggressus, amplectendi magis quam absumendi studium egit, petitamque laniatui predam in usum nefarie libidinis uertit. Continuo
²⁰ enim ex raptore amator effectus, famem concubitu soluit, ardoremque gule Veneris saciatate pensauit. Quoque eam indulgencius aleret, crebris incursionibus uicinum acrius incessabat armentum, nec nisi laucioribus ante uesci solitam sparsis sanguine dapibus assuefecit. Adeo enim cap-
²⁵ tive species efferatam raptoris seuiciam fregit, ut, quem sanguinis sui cupidum extimescebat, amoris audum experiretur, pastumque ab eo perciperet, cui <se> fore protinus alimonie metuebat. Quo non penetrat, aut quid non ex- cogitat amor? cuius ductu* eciam apud efferatam beluarum
³⁰ rabiem gule irritamentum libidinis imperio cedit. Tandem gregis possessor, exhausti pecoris inopia prouocatus, obseruacione adhibita, circunuentam canibus beluam cursu ac clamore uehemencius urgere perstitit, fugacemque sectatus, eo forte loci, quo puella seruabatur, accessit. Siquidem domicilium eius inuis paludibus clausum perplexa ramorum series continentis frondium umbraculo texerat.
³⁵ Vbi mox fera a recialiis circunuenta ac uenabulis occupata confoditur. Ut ergo duplicitis materie benigna artifex natura nupciarum deformitatem seminis aptitudine coloraret,
⁴⁰ generacionis monstrum usitato partu edidit siluestremque

p. 513

CLIV

sanguinem humani corporis lineamentis exceptit. Nato itaque filio paternum a necessariis nomen imponitur. Qui tandem, agnita sue ueritate propaginis, a patris interfectoribus funesta supplicia exegit. Cuius filius Thrugillus,
 5 cognomine Sprageleg, nullo probitatis uestigio a paterne uirtutis imitacione defecit. A quo Vluo genitus, originem ingenio declarauit, auitum animo sanguinem representans.

Ceterum ut ad diuerticulum, quo excessi, redeam,
 Olauum cum Haraldo fratre Danis atrociter imminentem
 10 Kanutus, | classe ex Anglia petitum, ad socerum Geritha-
 slauum, Orientalium ducem, exilio migrare compulit; recu-
 perataque Noruagia rediens, Rikardum, acerrimum uxoris
 osorem effectum, patria exegit; sed et sororem Sialandie
 15 redditam regiarum parcium funkcione donauit. Interea,
 absumpto Sueonum rege Olauo, succedit Omundus, a uite
 diuturnitate cognomen sortitus. Cuius fato Olauus Nor-
 uagiensis repetende patrie fiduciam nactus, contracta Sueonum
 ope, Noruagic summam audaci usurpacione corripuit, quod
 20 Kanutum fraterne opis cassum ac celeberrima uirium
 parte defunctum aduerteret. Idem ignarum iuris populum
 passimque et | agresti more uiuentem legibus salubriter editis
 ad melioris uite habitum perduxit; quarum uetusta moni-
 menta plebs Norica presenti ueneracione compleotitur. Nec
 minus in deum uenerabilis memorabili exemplo seruate
 25 religionis inclaruit. Nam cum prima feria cultello fustem
 per incuriam secuisset, atque ab his, qui proxime con-
 stiterant, solute a se religionis fuisset ammonitus, continuo
 dexteram suam, quod eius ministerio lapse mentis errorem
 complessit, exosus, sparsas repente scindulas legit, factoque
 30 ex eis foculo, subiectam palmam cremandam prebuit, for-
 tuitum culpe modum solido cruciatus genere puniens.
 Adeo scrupuloso cultu leuia quoque religionis momenta
 seruauit, cuius detracte tristem a se ipso penam exigere
 cunctatus non est. Nam cum reos penas apud inferos
 35 manere persuasum haberet, leui ad modum cruciati grauiorem
 precurrere statuit, manumque ad presentes penas preferendas
 pacientie duramento firmare quam animam futurarum metu
 suspendere tucius duxit. Ita, ne ceteri a diuinitatis cultu
 auocarentur, ne sibi quidem ignoscendum putauit, et, quod
 40 pie dissimulare licuit, suppliciter expiauit; cumque presidio

(194)

p. 514

p. 515

negligencie errorem tueri possét, nequa religioni fraus fieret, penitenciam magis representare curauit, penamque correcciónis sue fidem, quam impunitatem delicti testimoniū esse maluit. Ita prudencia ac deuocione instructissimus p. 516
5 propior publice religioni quam priuato reatui fuit. Cuius facti circunspectissima sanctitate eternam cognomine memoriam usurpauit. Ab eodem quoque pauperibus proteccio, pupillis tutela, sacerdotali ordini ueneracio, detrimentorum uiolencia laccisitis subsidia prebebantur. Preterea ex 10 gremio eius, ueluti quodam munificencie fonte, complura alia uirtutum spectacula manauerunt. Hec hactenus, quia publico cultu consecrata pietas priuate laudis egena non est.

At Vlfo, ob uirtutis emulacionem grauibus in Kanutum odiis efferatus, quia tuto inimicicias gerere nequibat, quo 15 efficaciores insidias necteret, instrumentum doli simulatione officii texit. Suetis enim assidue Scaniā irrumpentibus, primus ad constringendos eos proficiisci proposeit; impetratis que petiti ministerii partibus, Est[e]ritham, quecunque imperasset, exequi literis si*gnatorio anulo impressis iuberi 20 petiuit. Quibus acceptis, continuo matrimonium eius postulare aggressus, rei bellice mandatum ad nupeciarum preces transtulit, libidinosumque quam strenuum legacionis ministrum agere sacius duxit. Quam rem Estritha arcano fratris imperio consentaneam rata, perseveranti 25 repugnare passa non est. Ita uersuti ducis animus, impulsu capri odii instinctus, corrupto legacionis officio, lingue uolubilitate, qua plurimum ualuit, fratris ac sororis credulitatem nefariis perfidie laqueis circumuentam oppressit, bellumque aduersus Daniam professus, structis callide dolis 30 audacter euidenciam prebuit. Et ne Kanutum in Dania ultorem opperiretur, declinande uindictae gracia in Suetiam sibi cum coniuge transeundum prouidit. Vbi inuadende Danie propositum pertinacius animo uoluens, Omundo Olaquoque consilii participibus factis, alteri maritimis Sialandiam copiis, alteri Scaniā terrestribus impetendam proponit, ipse se classem e Suetia ducturum promittit. Cuius rei molitione || detecta, Haquinus quidam e uilla Stangby, amantissimus regis, arrepta quam celerrime nauigacione, Kanuto cuncta ex se cognoscendi copiam tulit, 35 eaque humanitate, quanta principis ac patrie caritate 40 (195)

teneretur, aperuit. Rex tante conspiracionis nuncium exercitu subsecutus, ne rumoris auctorem premio uacuum preteriret, fidei, nuncii, quod et longam et periculosam nauigacionem egerat, premii loco duum iugerum agri
5 Scanici donacione pensauit.

Interea Olauus, classe sua apud insularum unam acquiescere iussa, habili expeditoque nauigio Sialandiam peciit. Vbi accersitum concionis nomine populum ad dedicionem, quam potuit, disertissimo prouocabat eloquio,
10 modo uniuersorum, modo singulorum compositis blandiciarum figmentis animos demulcendo, eam demum tuciores potenciam credens, que pace magis quam prelio constitisset. Igitur a maiorum quodam astu benignissime responsionis exceptus, simulatum plebis fauorem spe eximia complectebatur.
15 Tandem inter uarium plebis tyrannique sermonem speculatorum unus ex maritimis superueniens, grandia terris uela propinquare narrabat. Igitur fluctuantem Olauum senior, regis aduentum opperiens, interrito se animo gerere cohortatus, consuetam littoribus mercem aduchi predicabat,
20 non aliam premendi inimici occasionem apciorem futuram ratus, quam si odium be[n]iuolencie specie suppressisset, spemque eius uano sermone protrahere potuisset. Secundo quoque pari nuncio accepto, eoncionantis metum consimili affirmacione discussit. Tum demum Olauus assercionem
25 eius suspicione insecurus, emissum in littus speculatorum explorare iubet, Kanutusne esset, an negotiatorum aliqui uenientis exercitus speciem prebuissent. Quo reuerso seque frequens classe pelagus prospexit perhibente, continuo senem mendacii damnans colloquium soluit. Ille
30 nihilominus uera se omnia retulisse contendens, eos aduentare dicebat, a quibus Daniam ferro comparare quis posset. Olauus, uix fuga usus, pertinaci remigio sociam repetit classem. Subinde Kanutus portum classe complexus, uictum labore remigem nocturna quiete firmauit. Vbi ab incolis,
35 Omundum terrestri agmine Scaniam. Vluonem nauali fluuium Helgam occupasse, cognoscit. Ipse igitur Omundum excipit, classem ad opprimendos, qui ad amnem appulerant, mittit. A quo cum nauium duces Omundum apud Stangam montem insigni pugna obrutum comperissent, ipsi quoque
40 conser[taneam fortitudinis operam edere cupientes, ne, rege

p. 518

p. 519

audacter agente, ignauum gessisse militem uiderentur, quo
 prompcius in eam, quam hostes occupauerant, insulam
 traiicerent, aliam eidem uicinam ingressi, medium amnis
 spacium contabulatis molibus sternunt. Illic siquidem flu-
 5 uis, lacus manantibus aquis, amnis modum excedens, in-
 gentis stagni speciem prebet. Tum Vluo suos, ne hostem
 cepto deturbarent, ammo*nitos, traiicientem telis eminus
 ac sagittis incessere iubet, futurum taliter inquiens, ut ipse
 sua sibi manu ultimam fati semitam strueret. Progresso
 10 uero longius opere, ueluti nostros transitu prohibiturus, in
 aduersa ripa phalangem explicat. Quo uiso Dani, traiiciendi
 cupidiores effecti, frequentes onerauere pontem. Vbi dum
 conserti, sed, in quam periculosum iter progrederentur,
 15 ignari bellum instanter appetunt, subito desidente congerie,
 inter undas auidum pugne spiritum deposuerunt. Siquem
 uero (ut in eo discrimine accidere solet) semel ad summum
 fluctus retulit, protinus alterius amplexibus implicatus, in
 profundum periturus abstrahebatur. Ita dum mixti atque
 20 aliis alii coherentes inuicem opem exigunt, mutuo sibi
 excium pepererunt, et, quem salutis quis auctorem peciit,
 infelicem fati comitem habuit. Neque enim, armorum
 pondere pressi, tutum natandi euentum assequi potuerunt.
 Ita Vluo, Danorum deceptor magis quam uictor, aliena
 25 temeritate, quod propriis uiribus nequibat, obtinuit, certis-
 simam hostium uirtutem salubrius cunctacione pugne quam
 impetu proculando. Cuius facinoris insecuritam metuens
 ulcionem, quod sibi hinc classem obstarere, inde regem im-
 minere si consiperet, salutis obtinende consilium ut uiribus
 30 difficile, ita arte promptissimum repperit. Fugam namque
 diligencius animo circunspectiens, cum unicum eius diuerti-
 culum in classis deserione restare animaduerteret, noctu,
 maioribus nauigiis relictis, in proximam ripam uniuersum
 scaphis traiecit exercitum, sique clandestino secessu usus
 potum latebris agmen abducit. Diluculo Dani, socie
 35 cladir ulcionem auidius sientes, dum in hostium nauigia
 ruunt, eadem propugnatore uacua reperiunt. Rex, laeu
 lustrari iusso, mersorum corpora uncis aut euerriculis capta
 apud Asum, contiguum amni oppidum, supremis procurauit
 officiis. Olauum uero per Noruagiensium quosdam pecunia
 40 a se corruptos domestico bello opprimendum curauit. Ita

CIIII^b

p. 520

(196)

egregii animi dux suorum auaricia lacessitus, quos foris propugnatores habuit, domi percussores inuenit. Cuius frater Haral|dus, consimilem gentis perfidiam ueritus, adito Bizantio, suspectam patrie fidem longinquo declinauit
5 exilio.

p. 521

Igitur Kanutus, sex prepollencium regnorum possessor effectus, eximio sui fulgore eciam Romanum illustrauit imperium. Enimuero eius principi Henrico filiam Gunnildam nuptum tradidit, eundemque paulo post Italica conster-
10 nacione perculsum auxilio prosecutus pristine fortune, pressa rebellium conspiracione, restituit. Inde reuersus Haraldum, natu maiorem, Anglie, Da|nie Kanutum, Nor-
uagie Suenonem, quem ex Alwiua sustulerat, absque ulla maiestatis sue diminucione prefecit. Nam etsi tres
15 prouincias totidem filiorum regimini tradidit, nihilominus commune sibi trium imperium reseruauit, neque summam penes alium consistere uoluit. Preterea teneris adhuc du-
cibus in officiorum tutelam fortissimorum presidia sociauit. Post hec Hestridha, filium Suenonem enixa, sobolis inter-
20 cessu uiro fratris graciam conciliauit. Beniuolenciam enim, quam Kanutus perfidis Vluonis meritis denegauit, consan-
guine sibi prolis respectui tribuendam putauit. Quin eciam sororem Anglorum satrape Godewino nupciis iunxit, gen-
tem genti animis atque affinitate conserere cupiens. Ex
25 qua Haraldum, Biornonem Tostonemque ortos memoria proditum habemus. At Cesar ex Gunnilda filium eque fortuna ac uocabulo Magnum suscepit, a quo illustrium Teutonicorum imagines splendidaque Germanie lumina successionis serie pullulasse produntur.

p. 522

Eo temporis Guthscalcus Sclauicus, eximie indolis adolescens, commilicium regis stipendia meriturus accessit. Is a Pribigneuo patre, Christiani cultus amantissimo defi-
cientemque a religione Sclauiam nequicquam reuocare conante, preter nacionis suc morem percipiende literarum
35 discipline gracia doctoribus traditus, ut eum a* Saxonibus pociende Sclauie cupidis interemptum cognouit, efferatum ingenium leni studio mitescere passus non est. Repente enim armis scholam mutauit, et, ne alienigeni ingenii exercita-
tione patrios ritus pigrius prosequeretur, literarum cul-
40 tum in tyrocinium uertit, omissoque doctrine studio,

p. 523

cv*

strenui uindicis quam ignauit discipuli partes agere maluit, audacter quam industrie animo uti sacius autumans. Itaque nature magis quam preceptoris monitis obsecutus, parta tandem ulcione, Kanuti commilicium expetiuit. Ita adolescentis mens, in ipso doctrine limine seuicie stimulis intercepta, studiose racionis elementis ingenitum sanguini suo rigorem expugnare non potuit.

Eodem tempore apud Daniam sacrorum antistites aliis alii successisse traduntur. Nam Gerbrando substitutus Auaco; Othynkarus iunior Ripensis pontifex creatur. Ceterum Kanutus, tria prememorata regna circuiens, clientelam suam, sex milium numerum expletam, sexaginta nauigiis culcius apparatis eorumque quolibet centenos armatos capiente distinxit. Eandem, estate pro tuendo

imperio excubantem, hyeme contuberniis discretam alere consueuit. Mensibus stipendia nouabantur. A quo Vluso tempore, quo rerum auctor nobiscum immortalitatem suam partiri uoluit, annuo feriarum circuitu repetito, apud Roskildiam conuiualiter accersitus, postquam industriam temula uicerat, merse nuper milicie cladem nocturnis laudum suarum cantibus celebrabat. A quo rex suorum sibi pericula palam exprobrari iudicans, uehementis ire procursum aduersum contumeliosum eius carmen destrinxit, indignum ratus eo conuua uti, cuius ductu se fortissimis propul-

gnatoribus spoliatum cognouerat. Igitur Vluso inter ipsa mense sacra ab astantibus interfici iussus, precipitis lingue iusta supplicia peperdit. Ita, dum aliena fata parum sobrie meminit, sua cecinit, siccatosque cupide calices proprii sanguinis liquore compleuit. Merito enim ex tam petulanti ingenio amaritudinem pocius quam uoluptatem percipere debuit, quod glorie sibi loco arrogasset, ductu suo precipuis regis viribus ultimam incessisse iacturam. Quo peracto, Kanutus uiolate necessitudinis iniuriam ac sororis uiduitatem duarum prouinciarum attribucione penituit, quas eadem post modum sacrosancte Trinitatis edi, precipua apud Roskildiam ueneracione culte, decimarum nomine parciendas curauit.

Iamque frequens ad Kanutum miles defluxerat, animis quam impensis onerosior. Plerisque enim amplior virium quam morum grauitas inerat, qui que se splendidius bello

p. 524

(197)

p. 525

gesserant, obscurius pacis decora intuebantur, adeo ut,
 qui foris insignes exstarent, domi ignobiles uiderentur,
 uixque eadem et honesta et acria ingenia reperiebantur.
 Igitur complures ad uim et rixam usque in aula perniciosi
 esse consueuerant. Quos cum rex nacione, linguis, in-
 geniis quam maxime dissidentes animaduerteret, (quippe
 uariis ac perplexis inuicem affectibus urgebantur; nam
 petulancia alios, alios inuidia, quosdam eciam ira uexabat,) p. 526
 5 esse | minus sediciose se gererent, saluberrimum castrensis
 discipline tenorem, qua tante uarietatis discordiam rumperet
 debitamque militi maturitatem monstraret, exactissimis
 edidit institutis. Itaque circumspectissima eiusdem delibe-
 racio, Oponis Sialandici, ceteros prudencia atque auctoritate
 prestantis, monitis persuasa, ne externa forte domestiō
 10 crimine turbarentur, socialis odii tempestatem repressit,
 legesque seuerissime cauendo sediciosum milicie spiritum
 ueluti fraterna quadam caritate choereuit. Atque ut au-
 dacie comitatem adiiceret, fortissimo militi speciosissimum
 moris habitum ingenerauit, clientelam suam effrenium ac
 15 litigiosorum coniuctu tanquam erubescenda aliqua sentina
 uacuefacere cupiens. Vt ergo improborum frequenciam a
 curie ualuis repelleret, statuit, ut in capessendo discubitu
 ordine, quo quisque militaris muneris aduocacionem sortitus
 fue*rat, uteretur, locoque antecelleret, qui prior obsequio
 20 foret. Adeo milicie uetustatem honore mense rependi
 par duxerat, ne promiscuis sedendi locis confusa meritorum
 series uideretur. Eum uero, qui, cena inita, aliqua mora
 interpellante tardior superuenisset, inter considentes excipi
 oportebat. Qui si tam arcto se concessu iunxit, ut
 25 ob nimiam eorum frequenciam, qui superuenerat, sessum
 recipi nequiret, qui eius loco insederat, exsurgens prox-
 imum occupabat, eo usque inuicem se assurgendi officio
 uenerantibus, donec, laxato tocius concessionis ordine, legi-
 timum recipiendo spacium patuisset, mensaque, | qui
 30 postremus residuebat, abscederet. Siquis uero alieno discubitu
 uti per insolenciam perseuerasset, qui eo spoliatus fuerat,
 proxime circunsedentibus iniurie querelam detulit, hisdem-
 que testibus in concessionem productis, aduersus reum accione
 contendit, effecitque, ut, qui cedere iussus contumaciter
 35 supersedisset, contumeliose stipendiis amoueretur. Ter
 40 supersedisset, contumeliose stipendiis amoueretur. Ter

p. 526

cvb

p. 527

tamen regi tali culpa affectis necessitatem pene remittendi
 fas erat; nec aliter, quam ut tot gradibus quis discubitu
 indignior fieret, quot uicibus sodalem digne sedis negacione
 spreuissest. Ita enim legis temperamentum inter seuerita-
⁵ tem ac mansuetudinem medium rigori clemenciam so-
 ciauit, ut nec penitenciam repelleret nec impunitatem
 excessui daret. Quod si quarto se quis eodem reatus
 genere maculasset, discreto a milite loco, mensc alienus
 fiebat, commilitonum nemini catino aut calice communi-
¹⁰ cabat. Neque enim ter ueniam experto ulterius ignoscen-
 dum putabat, quia sua iam noxa penam meruit, qui se ea
 tocies affecit. Adeo contumaciam contemptu mulctari
 placuit. Valuit enim apud regem sprete militaris dignitatis
¹⁵ indignacio, eumque, qui parem uenerari nesciret, parum
 superiori || delaturum esse, existimatum est. Eodem pene
 genere in minutos quoisque animaduertebatur excessus, ut
 quis alium conuicio insecurus fuisset aut pocione per
 contumeliam respersisset.

Ceterum rex maritimam sepius quam terrestrem
²⁰ miliciam agere consueuerat. Igitur, quocies equitatu opus
 erat, milites equis omnibus uacui pro asseruandis equis
 alternis uicibus excubabant. Qui uero adaquandi tempore
 ita sodalis equo usus fuisset, ut ipsum continue, nec modo
 suum, modo illius uicissim | insidendo premeret, predictum
²⁵ pene modum expleuit. Tanto enim studio rex uerecun-
 diam a suis seruari uoluit, ut eciam paruulo impudencie
 excessu deuios castigacionis remedio coercendos putaret.
 Qui uero, tribus fasciculis in stabulum coniectis, equo suo
 communis pabuli spicam, alieno stipulam admouisset,
³⁰ iuxta priorem formulam milicia aut turpiter uti aut de-
 formiter exceedere cogebatur. Ac nequis socio flumen
 transequitanti ita equo concurreret, ut ad ipsum turbu-
 lencior unda deflueret, pari industria cautum. Adeo scru-
 pulosa cura paruula quoque societatis officia pensabantur.

³⁵ Ei uero, qui stacioni addictus ita se somno onerasset, ut
 uestes aut arma dormienti detrahi possent, consimile uin-
 dicte genus mulcte nomine irrogabatur. Neque enim regio
 profuturus imperio putabatur, quem priuatus torpor publico
 excubiarum officio submouisset. Verum aduersus grauiora
⁴⁰ prefractione accio constituta fuerat. Siquis enim commilito-

(198)

p. 528

num suorum quempiam manu, ferro uel fuste lesisset, aut
 si quicquam uiolenter eius manibus extorsisset; comamue
 alieni capitis uiolasset, postremo si maiestati insidias
 struxisset. abundeque de facto testium astruccione con-
 5 staret, tanquam capitalis criminis reus clientela amotus
 militari munere defungebatur. Is namque, qui grauiter
 ab eo affectus fuerat, in primis regem, sella posita, ius
 militi dicere postulabat; deinde reum, ut in concionem
 ueniret, tercio citatorum ordine prouocabat. Vnumquen-
 10 que bini dntaxat commilitones explebant: A quibus, si
 reus in questionem publicam deducendus rem familiarem
 possedisset, domi semel, | bis in curia apud discubitus sui
 locum presens absensue postulari solebat. At si fundo
 careret, eo loci, ubi in aula accubare consueuerat. ter-
 15 sponsione prouocandus fuerat. Concione inita, qui prouo*-
 cauerant, syncere se reum postulasse nihilque in ea cause
 diccione fauoris aut offense respectui indulsisse iurabant,
 simulque et citatorum et testium partibus inseruiebant.
 Consequenter in re principalis facti testimonium a duobus
 20 denunciandum restabat, iuramento prefari iussis, nec
 actoris amo: nec rei odio quicquam se preter oculis aut
 auribus explorata dicturos. Nam in questione lese maie-
 statis propensiior auditui fides haberi consueuerat; ceterum
 testimonium in oculis reponebatur. Preterea obiecta de-
 25 fensionis presidio repellere non licebat; siquidem testium
 criminacio neque alieno patrocinio neque propria cuius-
 quam repulsione subrui poterat. Tantum quippe auctoritati
 ipsorum pondus inerat, ut assercionis eorum fidem eleuare
 proxima sacrileg*(i)* demencia putaretur. Ita reus aduer-
 30 sum testimonii fulmen nec culpam nec innocenciam ullo
 argumento tueri potuit. Sed neque ei, si sponsione pro-
 uocatus fuisset, restipulacione uti licuit. Racionem testium
 districta iudicium | insequebatur auctoritas, reum, ueluti
 euidenter noxiū nihilque iam pro se recusantem, honore,
 35 opibus, patria atque omni demum militari funcione da-
 mnancium. Hostibus eius honos atque impunitas adiudica-
 bantur. Iuxta in presentem absentemque sentencie fere-
 bantur. Sua nulli longinquitas presidio esse poterat, quo
 minus et accusacio testibus et damnacio sentenciis instrue-
 40 retur. Quarum utraque plene partes suas exhibente, reo

p. 529

CVI.

p. 530

defensionis amplecti presidium non licebat. Tum demum rex, cognacione suscepta, an ea ceteris pronunciacio placuissest, interrogat. Ipse enim auditoris tantum partem exequens, milicie iudicationis mandauit arbitrium, deforme
 5 ratus damnare uiros, quos ipse fouisset. Quapropter in eos, quorum egregia opera usus fuerat, aspere pronunciare ueritus, questionem ad se delatam ad curie cognicio[n]em relegauit, silenciumque moderacionis sue fidem quam sentenciam seueritatis testem esse maluit. Cumque demum,
 10 exaudita militum responsione, toeius concionis suffragia iudicacioni consentanea noscerentur, qui damnatus fuerat, interrogari solebat, terreno an maritimo secessu fugam petere decreuisset. Ita rex proscripcione suos quam nece puniri maluit, delectumque fuge, ne uiolenciam represen-
 15 taret, indulxit. Quodsi reus mari se credere delegisset, eo commilitonum frequencia prosequendus, dataque naue, remigiis, comineatu, uasculo egerendis aquis idoneo. tam diu in littore opperiendus fuerat, donec remi, si eis nauigacio gereretur, uel, si uelis, antenne extra conspectum
 20 abiissent. Tum denique, qui profugerat, superiori ab omnibus sentencia repetita, amarissimorum maledictorum uerberibus laceratus tristissimis tocius milicie suffragiis damnabatur. Qui si tempestate in littus relatus fuisset, continuo ut hostis habitus uiolate societatis penas pende-
 25 bat, diserimenque capitis eius funesto damnacionis incursu cupide a commilitonibus expetebatur. Ita non periculosa minus quam ignominiosa soncum euitacio fuit. At si milicie munere defunetus terra perfugere maluisset, ad nemus usque pari militum cura comitandus erat, cunetis
 30 tam diu in eius abitu expectantibus, quo usque procul ipsum abesse cognoscerent. Ac tunc demum magno cum tocius milicie fragore ter ualide edendus clamor cunetaque strepitu miscenda fuerant, ne fugiturus ullo ad eos errore referri posset. Tunc demum districta et iam inexorabilis
 35 omnium seueritas, cunctis solenni iure completis, ne de indemnato supplicium sumere uideretur, supremam reo damnacionem intendit, effecitque, ut, qui se a specioso milicie conuictu abruperat, turpiter uagam uitam proscriptus exigeret. Ita militaris discipline rei iudicialis ignominie
 40 grauitate in abiectissimorum condicionem relegabantur.

(199)

p. 531

Adeo enim rex contumeliam soncium, non sanguinem si-
ciebat, ut eos probroso castigacionis genere quam cruento
puniciores putaret. Siquis autem ei post modum commilito-
num, uno telo aut comite superior, obuio pepercisset,
5 ipsius se contumelie participem prebuit, cuius culpam uin-
dicta prosequi formidauit. Tali noxiis, quocies a curie*
moribus degeneratum fuerat, milicie munere defungendi
ius erat. Adeo quandam castrensis note dedecora iudiciali
repellebantur umbone. Quod si reus ab a[u]ctore testi-
10 monio superari nequiret, sex secum commilitonibus in
iusiurandum acc[e]dit, culpe, que obiiciebatur, alienum se
fuisse monstrabat. At si commilitonum quis eum, quem
milicie consortem nescisset, iniuria per ignoranciam affe-
cisset, ad conciliandam errori suo fidem predictum soda-
15 lium numerum in sacramenti societatem contrahere debuit.
Ceterum solenni iure conuictos ac superiori modo da-
mnatos felicitas deficiebat, occupabat aduersitas, eo quidem
cercius, quod trium regnorum pontifices aduersum talium
transgressionum reos solenni execracione usos esse con-
20 stabat. Ita disciplina eius, geminum amplexa columen,
partim regio, partim religionis presidio nitebatur, ut hu-
manam sentenciam diuino crederes iudicio comprobari.
Cuius rigor discordias rupit, simultates finiuit, sediciones
extinxit, pacacioremque regi militem reddidit. Post modum
25 uero seueritati eius siue ob inerciam siue ob clemenciam
principum pecuniarie mulcte temperamentum accessit. Quo
tamen sola ligni percussio caruit, quod eo canes quis
abigere soleat. Adeo maiorum uerecundia summam in
ictu probroso contumeliam reponebat. Contigit autem, ut
30 ipse rex sua primus lege caderet, iurisque firmamentum,
quod eatenus syncerum + atque incolume steterat, parum
sobrius proprii militis occisione laxaret. Cumque se legi-
bus, quas ipse tulerat, euidenter noxiu[m] animaduerteret,
penitencie acerbitate correptus, uocata militum concione,
35 regia sella descendit, inque omni[um] conspectu supplex
humi demissus milites commissi sceleris penas suo arbitrio
exigere iussit, libenter se decretam ab eis penam suscep-
turum promittens. Cumque factum maiestatis nomine tueri
posset, militari se animaduersioni substrauit, humilitatem-
40 que mansuetudinis sue documentum quam vires elacio[n]is (200)

p. 532

CVI^b

p. 533

indictum esse maluit. Illi concione lachrymantes egressi, deliberacione inita, tristem de rege sentenciam ferre ut minus honestum, ita parum utile peruerterunt; non ignari, sine eo esse se uacuus piritu corpus, predam, quibus ante 5 imperassent, futuros. Postremo uniuersum rei militaris statum, eo penam subeunte, conuelli inque unius omnes proscripcione damnari; lapsus eius ruinam suam, damnacionem commune omnium periculum fatebantur. Igitur in tam ardua re sentencie dubii, creditoque sibi iudicio equo 10 leuius austriusue uti neriti, proprio regem arbitrio decreuere muletandum, existimantes, plus nutui maiestatis quam priuatorum sentenciis deferendum. Emendabile enim credidere delictum, quod impetu magis quam industria nosceretur admissum. Igitur ex eo iudicem statuunt, penam 15 que prestolanti impunitatis potentiam largiuntur. Et pulchre quidem factam sibi iudicandi potestatem ipsius arbitrio reddiderunt, ne difficultatum negocium temere iacta | pronunciacione finirent, uel commilitonis ulcionem placide uel regis supplicium crudeliter expetentes. Ita 20 salus regis, pene suo scelere euersa, temporis difficultati donata est. Ad hec satis graues eum delicti penas dedisse arbitrabantur, qui se in tanto fortune fastigio tam suppli- citer abiicere sustinuisse. Tum demum uenerabiliter exceptum atque ex ancipiti reo securi iudicis partibus in- 25 seruire iussum selle restituerunt. Rex culpam ere redimi debere constituit. Cumque alias homicidiorum crimen quadragenis nummi talentis expiari soleret, ipse sibi trecenta ac sexaginta mulete nomine numeranda descriptis. Huic summe .IX. talenta auri doni nomine adiecit, ean- 30 demque mulete speciem consimilis culpe reis lege peren- niter irrogauit. Tocius uero pecunie partem regi primam, alteram militibus, terciam imperfecto sanguine coniunctis adiudicauit. Cumque ipse in presenciarum tam regis quam rei partes exequi debuisset, ascriptam sibi porcionem sa- 35 erorum presidibus egenisque diuisit, deum, perinde ac communem omnium principem, pio munere propiciandum existimans. Egit humanum* iudicem, reum liberalem, uenie genus, absolucionis spem debito emendacionis ordine complectendo. Ceterum eo uiuente militaris mos eque 40 uiolatore atque expiatore caruit. Igitur dum sic sediciosis

p. 534

CVII^a

occurritur, mens militum a litigiis aberat. In exequenda enim ulcione non sanguinis, non necessitudinis vinculo parcebatur, quo minus damnacionis partes legitimo rigore procederent. Nunc vero, solutis hebetatisque pristinis 5 milicie neruis, grauiora inter commilitones quam exteris dedecora pariuntur, cum et omnis aduersum improbos accio sileat et, qui culpe punitor esse debuerat, patronus existat, nec sit, qui dissolutos milicie mores prefractionis rigidiusque constringat. Hanc itaque militaris discipline 10 consuetudinem, diurna usurpacione firmatam, nostri temporis principes abrogare minime erubescendum duxerunt. Vbi enim domestica quies sedicionum fluctibus agitatur, prisca consuetudinis forma conuelliatur. Quippe aduersum effrenes concitatique ingenii tyrones seueritate pocie quam 15 nimio fauore ac profusa indulgencia utendum est. In quem modum Kanuti industria pro administrandis militaris discipline negotiis sincere acu alenter excubuisse cognoscitur. Preterea militi regem, uel regi militem, non nisi pridie Kalen. Ianuarias abdicandi fas erat. Eiusdem quoque 20 post modum obseruancie grauitas ab aula regum in aliquanto obscurioris familiie conuictum prorepsit, diuque superioris discipline eciam apud supparis condicionis viros imitacio ualuit.

Interea Suenonem, tutelle tunc Noruagie uacantem, 25 casus absumpsit, moxque ad patrem prouincialis ministerii summa concessit. Ut autem Kanutus a Richardo, quod sororis sue repudium egisset atque aduersus uxorem seuerius equo maritali supercilie usus fuisse, tanquam a coniugalia sacra contumeliose tractante, penas sumpturus 30 ac thori genialis iniuriam repulsus in Normanniam magna [se] classe traiecit. Vbi cum paulo post triste quoque de Haraldi fato nuncium accepisset, propior publice expedicioni quam priuato affectui, agmen eadem, qua prius, celeritate promouit, neque animo aut officio, quo minus 35 cepto insisteret, remissior fuit; sed neque oculos ad singularem luctum a generalis milicie contemplacione deflexit. Adeo rerum ac temporis statum inter fortē patrem ac strenuum ducem egregia animi moderacione diuisit, nec minus in toleranda filii morte quam in hostium appetenda

perspicui roboris spectaculum prebuit. Cuius impetum Richardus, Siciliam petens, fuga precurrere maturauit.

Interea Kanutus ob grauis milicie labores aduersa ualitudine pressus, cum se corporis firmitate defectum ac 5 mox spiritu caritatum animaduerteret, conuocatos proceres, non nisi bello confecto, domos reuerti iussit, haut dubie uictoria potituros, si funebri eius lecto humeros in acie subieeissent atque inter primos prelancium globos ducis nomine corpus suum exanime pertulissent, idque, fugato 10 p. 537 hoste, quo clarius cinerum suorum monumentum exstaret, apud Rothomagum, promissa indigenis libertate, sepulture mandarent; facile usuros condicione Gallos, si illico hostem finibus suis excessurum cognoscerent, paruoque impendio grandi patriam metu liberare quiuisserent. O immensam 15 perituri regis industriam, que suis in ultimas rerum angustias deuolutis disciplina quam spiritu uiuidior affuit. Enim uero superstitionis salus decedentis ingenio stetit. Nam corpus eius, funebri lecto a militibus in acie perlatum, ad Danorum usque uictoriam ueluti uiua adhortacione profecit, 20 ut non minus exticti quam superstitis fortune pondus inesse crederes. Cui mox sepulturam, discessuros se pacti, a Rothomagensibus expetierunt. Rapuere condicione hostes, cineribusque eius in urbe sua acquiescendi locum dederunt. Ita milites, suscepti monitus ratione pugnam, 25 paccionem, sepulturam atque exequias prosecuti, fato functum humeris suis regem in acie pertulerunt, uictoresque.* funerato eo, sumptis tantum commeatibus, ad propria redditum habuerunt. Hunc Kanutus exitum habuit, quo nemo nostrorum regum, tametsi plura alii uictoriis illustra- 30 uerint, splendidior fuit. Adeo enim operum eius magnitudinem propicie fame fides auxerat, ut, quos rerum genstarum gloria pares habuerat, amplitudine claritatis excellat. Cumque aliorum splendorem ignorancie obscuritas ac uetustatis rubigo perederit, huius decus, longa fame usur- 35 pacione subnixum, perpetuis memorie fructibus reuirescit, siquidem, sanctitate ac fortitudine instructissimus, non minus religionem quam regnum proferre cure habuit. Quippe, cum bellicis late titulis inclaruisse, placidiore studio usus, ex fisco suo compluribus in locis priuatorum 40 clericorum conuictu instituto, cellularum frequenciam nouis

CVII^b

p. 538

conuenticulis auxit, saerorumque ueneracionem, quam maximam semper exhibuerat, regiarum opum impendio stipendiis multiplicauit. Monachalem quoque ordinem uberiorum reliquit, ne ferocie propior quam pietatis officiis uideretur, equam sibi utriusque laudem adiicere cupiens.

5 Cuius studii industria ad tantum claritatis lumen accessit, ut, cum fortissimorum regum bellica uirtus antiquitate exoleuerit, eius famam glorie questu opulentissimam tene-

cissima posteritatis agnieio comprehenderit.

10 Interea Sueno Estrithe filius, expectato apud Angliam Kanuto, quo plenius incolis ausum defecctionis excuteret, miliciam presidiis sparsit, ne libera munimentorum occupacione suspectas Anglorum uires armaret. Vt autem Noruagiensibus mortis Kanuti nuncius adfuit, continuo,

15 pudore externi obsequii Danicum de(t)rectantes imperium, ad Olaui filium Magnum, cui bonitas sua cognomini erat, deficiunt, eique regnum imponunt. Quippe spectata patris sanctitas popularium ei fauorem conciliauerat. Neque enim parenti graciam impendisse contenti, in filium quoque

20 fauorem extenderant. || Interea Kanutus, haut leuius Noruagice perfidie quam paterni fati rumore percuslus, uereri cepit, ne, si finitimorum bello intenderet, ex dilacione rerum Anglia per absenciam careret, ideoque minoris regni defecctionem tolerare quam maiori consimilis ausus locum

25 tribuere consulcios duxit, leuiori malo solam grauioris formidinem preponderare iudicans. Itaque, dissimulata iniuriarum offensa, condicione defectorem aggreditur, iureiurando pactus, eius, qui prior decederet, superstiti regnum esse cessurum, ne priscam regnandi consuetudinem noua

30 regno|rum particio laceraret, rerumque quondam iunctarum diuiduam efficeret summam. Adeo enim Daniam Noruagiamque unius esse regiminis affectabat, ut alteram alteri subieci, quam utranque separatim regnum gerere preoptaret, patriaeque exteris imperitare, quam patriam sine exteris imperium

35 gerere mallet. Que nimirum condicio eo stoliditati propior, quo fortune subieccior, alterutri aut splendidum imperium aut sordidam paritura fuerat seruitutem. In hanc pacti fidem utraque pars sacramento conuenit. Deinde Angliam profectus, cum cuncta Suenonis industria pace plenissima

40 comperisset, Eduardum fratrem, quem eiusdem nominis

(202)

p. 539

pater ex Imme matrimonio sustulit, in regni societatem ad(s)ciscit, non quod fraterno illum affectu coleret, sed ut eius ambitionem munificencia ac liberalitate precurreret, regnique parte potitum totum cupere prohiberet. Itaque 5 non tam ueneracione carum, quam popularium ambitione paternique generis auctoritate suspectum, consortem imperii facit. Verum Eduardo humilior origine animus fuit; si- quidem, obtusi ad modum cordis, obsecuiriem indolis experienciam prebuit. Kanutus, cum biennio regnasset, 10 defungitur. Cuius Sueno propinquitate fisus, | relictis apud Angliam presidiis, Daniam nauigacione contendit, retinende insule spem non solum in Godouini filiis, quibus sanguine ad modum coniunctus fuerat, reponens, sed etiam ex ipsa consortis sui stoliditate desidiaque presumens. Quod audiens 15 Magnus, Daniam, perinde ac sibi mutue paccionis lege debitam ipsiusque Kanuti testamento legatam, equis popularium animis occupat,* Suenonique, cognacionis rationem edenti, pristinam federis condicionem opponit.. Nec dubitauit alienissimum [sibi] sanguini suo regnum legati titulo 20 postulare. Sed et Dani, pacti, cui se sacramento obligauerant, ratione permoti, constancius religionis quam familiaritatis fidem prestandam putabant; ideoque, facta competitorum estimacione, alienum domestico pretulerunt, curiosius federis pignus quam debitam regno prosapiam intuentes, 25 fideique sue quam patrie respectui propiores. Igitur alienigene partes religioso fauore complexi, preterita[m] Kanuti familia[m], regum suorum sanguinem repulse deformitate confundere quam iurisiurandi uinculum perrumpere maluerunt, suffragiorum iura non adulacionis, sed fidei in- 30 tuitu ponderantes, seque plus religioni quam regno debere confessi. Adeo promissionem suam sequestram periurii fieri noluerunt. Quanti igitur roboris fuisse tunc inter ciues iusticiam credimus, cum inter diuerse nacionis uiros tantum uirium possedisse cernamus? Et utinam adulte 35 iam religioni ea apud nostros uis auctoritasque constaret, quam inter antiquos tenera atque eneruis habuerat. Contra Sueno, subiectam stoliditati condicionem reputans, temera- rium consobrini pactum | nequicquam rescindere cupiebat, perquam stultum argumentando, quibus ante imperitassent, 40 obsequi, inque unius iuramenti imprudencia communem

p. 540

CVIII^a

p. 541

deponere libertatem atque ex fulgenti imperio repente in humillimam concedere seruitutem. Sed religiosa popularium sentencia superabat, quorum arbitrio pacti, non sanguinis habitus estimabatur. Verum ut Magni uotis Danica fides respondit, ita Sueonis credulitatem Anglica perfidia circunuentam oppressit. Nam post eius ab Anglia profec-tionem Godouini filius Haraldus spe improba tocius Anglie regnum complexus, participato cum incolis consilio, Danicum, ut || erat per presidia distributus, exercitum compluribus (263) separatim uicis uno eodemque tempore magnifico conuiuiorum apparatu per obsequii simulacionem excipi iussit, meroque ac somno sopitum noctu per insidias trucidandum curauit. Ea nox paruulo temporis momento | uetustam Danorum dominacionem diuque maiorum uirtute elaboratum finiuit imperium. Sed neque id postera nostris fortuna restituit. Ita Anglia dominandi ius, ignauia perditum, scelere recuperauit. Igitur Haraldus, Danice oppressionis simulque domestice libertatis auctor, Eduardo summam, facta non animi eius, sed sanguinis estimacione, permittit, 20 quatinus ille nominis, ipse rerum usurpacione regnaret, et, quo nobilitate peruenire non posset, potencia uallatus assurgeret. Eduardus nero, sola generis auctoritate, non prudencie ratione munitus, uano maiestatis obtentu praeorum ingenia maiorumque petulanciam nutriebat, titulo rex 25 patrie, condicione miserabilis procerum uerna, contentus, quod alii fructum, ipse umbram tantum ac speciem occupasset. Ita Anglorum inter se summam, nomen atque potentiam diuiserunt, titulique ius ac rerum dominium ueluti diuersis ab inuicem gradibus differebant. Sed nec 30 Haraldus alienum specie regnum gessisse contentus, propriam claritatis imaginem affectabat. Igitur Eduardo ipsum quoque nuncupacionis decus inuidit, omniaque regni insignia in se ipsum transferre conatus, cupiditati aditum scelere petiuit, occisoque rege, tituli, qui solus sibi deesse uidebatur, gloriam occupauit.

Interea Sueno, tamenetsi rara fautorum ope subnixus, belli cum Magno fortunam experiri decreuit, cumque paucis et incompositis aduersus multitudinem manum conserere cunctatus non est. Igitur in Iutia prius maritima, deinde 40 equestri pugna sinistris congressus auspiciis, utraque uictus

p. 542

p. 543

p. 543

concessit in Fioniam; nec armis maior quam agmine fuit. Cumque se omni auxilio desertum nec hostium tantum, sed eciam suorum contemptu perfusum uideret, Sialandiam Scaniamque pretergressus, Suetiam materne necessitudinis
 5 fiducia petere cogitabat. Quem Magno terra marique pertinacius insequente, in Iutiam se repente Sclauicus effudit exercitus. Quorum irruacio dubium uictori effecit, fugacem*ne hostem pellere, an imminentem excipere debuisset. Quidam enim gentis illius nobilissimus, XII.
 10 filii, maritimis predonibus, apud Daniam spoliatus, Iutorum fines ferro orbitatem ulturus inuasit. Quamobrem Magnus, perseverantissimis popularium precibus committendi prelii auctorem agere postulatus, omisso emulo, a domestico hoste in externum arma conuertit, et, quasi priuate affeccionis
 15 oblitus, publicam induit, ne suas quam regni partes curiosus egisse uideretur. Nec dubitauit alienigeni sanguinis dux, summa adhuc fluctuante, in se ipsum dubie potestatis transferre periculum. Nocte uero, quam belli dies insecutus est, quietem eius certe predicationis species adumbravit. Quippe somnum capienti imago cuiusdam obuersata predixit, hoste eum superiorem futurum, inque aquile nece uictorie fidem auspiciaque sumpturum. Expergefactus rex uisionis ordinem die postera magna cum omnium admiratione uulgauit. Sed et somn*(i)o* omen consentaneum
 20 fuit. Progresso namque exercitu, aquilam, que in quiete demonstrata fuerat, comminus considere conspectam pernici equo aduolans hasta petiuit, fugamque alitis ueloci iaculo precucurrit. Itaque nouitate rei ad spem uictorie spectatores erexit. Arripuit igitur omen exercitus, atque fortuito
 25 aquile occasu certissimam hostium ruinam interpretatus est. Cuncti quippe, euentum somnio congruisse cernentes, perinde atque securi rerum in fortunam suam accepte rei presagium referunt et quasi indubitatum uincendi sortem pari mencium alacritate presumunt. Quos eo audacie ipsa
 30 auspicii religio prouehebat, ut iam sibi uictoram ante oculos preponentes absque respectu periculorum certatim in prelium prosilirent. Quibus primam pugnandi occasionem corripientibus eodemque euentu, quo omine, dimicantibus, ceduntur funditus Sclavi. Victor Magnus felici pugna
 35 popularibus percarus euasit, eorumque propensiore subsidio
 40

CVIII^b

p. 544

(204)

roboratus, ad prosequendum regni emulum reddit, eo quidem
 instancius, quod rerum successus, quo plus sibi gracie
 peperit, hoc magis Suenonis fauorem absumpsit, auersoque
 uulgi animo, magnopere residuum eius debilitauit auxilium,
 5 nec solum contrahendarum uirium spem sustulit, sed etiam
 contractas excussit. Quin etiam Guthscaleus Sclauicus
 inter ceteros, qui infelicitis eius i milicie stipendia deseruerant,
 diu se sub alienis auspiciis rem infeliciter gessisse consi-
 derans, cum domino nihil spei relictum animaduerteret,
 10 militem exuens defectorem agere non erubuit, suamque
 experiri fortunam, quam alienam sequi, tucius duxit, ut,
 cum regem meliora speraturum diffideret, paterne saltem
 neci ulcionem non negaret. Consilio respondit euentus.
 Siquidem, gestis uarie bellis, Sclauiam sue dicionis effecit,
 15 utque externis rebus infractus, ita domesticis inuictus appa-
 ruit. Nec quesite dominacionis felicitate contentus,
 Saxoniam post modum, parentis necem ultus, obtrivit,
 parue glorie regnum aut diuicias reputans, si non ulcionem
 opibus adiecisset. Adeo autem Magnus ob uindictam finium
 20 suis carus haberi ceptus est, ut omnium consensu Boni
 cognomine censcretur, quodque aliorum moribus tribui
 assolet, fortune laudibus impetraret. Sueno uero, desperatis
 iam rebus, in Scaniam, ut diximus, profectus, Suetiam
 (nam paternum inde genus traxerat) reuisere proponebat.
 25 Quem Magnus concitato animi impetu subsecutus, cum
 oppidum Alexthathiam preteriret, deturbato per occursum
 leporis equo, trunco, cuius preacuti forte stipites eminebant,
 adactus extinguitur. Corpus eius Noruagiam relatum Thron-
 demi in regiorum monumentorum area i sepulturam posse-
 30 dit. Ita Suenoni, angustissimis fortune casibus implicato,
 omnique mortalium ope defecto, presidium superne pietatis
 affulsit, regnumque, quo illum fortune iniquitas spoliauit,
 eiusdem beneficium reddidit.

p. 545

p. 546

EXPLICIT LIBER DECIMVS.

SAXONIS GRAMMATICI

HISTORIE DANICE

LIBER VNDECIMVS.

Post hec Danie status uariis rerum casibus fluctuatus
 5 est. Quippe Sueno summam successu magis quam viribus
 capit. Sed neque ad restituendam Danici nominis fortunam
 quicquam eius suscepione profecit. Nam adeo nec fauore
 felix nec imperio efficax fuit, ut subiectorum animos, ueteris
 offense acerbitatem redolentes, ad syncretum sui cultum
 10 adduceret, aut ira abstractos ad placidiorem mentis habi-
 tum inclinaret. Tanta siquidem mole in Danorum pre-
 cordiis prioris odii reliquie conserderunt, ut priuatos motus
 rei publice usibus anteferrent, honoremque patrie sua de-
 perire socordia quam suscepti ducis auspiciis restitui pre-
 15 optarent. Neque enim facile propagata odiorum sementis
 stirpitus interit; quippe ut gracie in odium deflexus facilis,
 ita odii ad graciam difficilis esse transitus consuevit, raro-
 que animus, quem semel grauiter fastiduit, sincere
 fidei stipendiis excusat, aut, cum quo uehementes primum
 20 inimicicias gessit, affectuose post modum in graciam reddit.
 Cuius impotencie uis, a simultatis ardore profecta arcanis-
 que emulacionis flammis alita, non solum gerendarum
 preclare rerum spem sustulit, sed eciam magnifice gestarum
 gloriā corrupit. Verum ea res, ut noue maiestatis con-
 25 te(m)ptum, ita prioris fideliter culte indicium edidit, simul-
 que recentis iniurie crimen et pristine fidei perfeccionem
 exhibuit.

Principio regni Suenonis Roskildensium sacerorum (205) antistes Auachus moritur. Sufficitur Wilhelmus, quo Kanutus Maior et scriba et sacerdote usus fuerat, genere quidem Anglus, sed omnium virtutum partibus ac numeris abunde instructus, idemque pontificium sacerorum apprime peritus. Ad cuius usque tempora Scanie genti religionis priuilegio Roskildensis presidebat auctoritas. Ab eo uiro diuiduum esse sacerdotium cepit. Cuius Scania ueluti alteram partem 10 adepta, protinus inter coniuncta ad modum oppida nouam muneris potentiam partita est. Nam Lundia Dalbiaque protinus susceptum inter se sacerorum diuisere primatum, geminaque eiusdem dignitatis usurpacione certarunt. Nam alteri Henricus, Eginus alteri sacerdos ac cessit. Verum Henrico | ob immoderatum pacionis usum 15 absumpto, pontificatus eius uniuersum ius omniaque honoris insignia ad Eginum, Lundensium presulem, concesserunt, ac ueluti in unum corpus utraque sacerdotii summa confluxit; quanquam merito in ebriosi antistitis fato sobrius 20 ciuium honos expirare non debuit. Sed in gregis perniciem sordida pastoris intemperancia redundauit, innoxiaque ciuitas poti pontificis temulenciam deponendi sacerdotii causam habuit. Ita alterum inimica bibendi cupiditas abstulit, alterum salutaris continencie disciplina prouexit. 25 Indignum populari, nedum pontifice, excessum, cuius plenam ignominie sortem omnis cui derisus pleno cauillacionis ludibrio prosequitur. Ita bibulus presul candorem sacerdotii, turpissimis gule maculis obsoletum, quem uiuendo corrupterat, moriendo consumpsit, humanique calieis cupido 30 haustu diuini usum amittere meruit. Cumque ordini gloriam deberet, notam intulit, pro uirtutis conciliatore probri auctor effectus. Nec immerito, qui aliis continencie et frugalitatis specimen exhibere debuerat,* tam indecenti fato uiolate sobrietatis penas pendebat. Huius memoria 35 Danicis annalibus non parue est uerecundie, quoniam, perridicula morte consumptus, priuatum obprobrium publico rubore perfudit.

p. 549

CIX_b

Hoc loci splendida Haraldi memoria tempestiuam sui exhibit mencionem. Qui cum, fratre cassus, salutem 40 suam intra patriam tueri non posset, fugam Byzantio cre-

dedit. A cuius rege | homicidii crimine damnatus, domestico draconi lacerandus obiectari precipitur. Nihil enim eius morsu ad necandos reos ualencius ducebatur. Cui in carcерем eunti ingenue fidei seruus ultro sese damnacionis 5 comitem obtulit. Exuit uernam, ut socium ageret, mortemque excipere quam domino deesse maluit. Vtrunque is, qui custodie preerat, curiosus obseruatum per os antri inermem excussumque demisit. Itaque, nudato ministro, Haraldum uerecundie gracia lintheo tantum disceinetum 10 exceptit. A quo clam armilla donatus, pisceculis pauimentum instrauit, ut haberet draco, in quo prime famis procursum effunderet, reorumque carceralibus tenebris obfusi oculi uel paruulam perspiciendi copiam ipso squamarum nitore capesserent. Tunc Haraldus lecta cadauerum ossa 15 angustiis tele consercioris implicuit, hisdemque in unum globum coactis ueluti clauam effecit. Cumque allapsus draco in obiectam perquam auide predam irrueret, dorsum eius ueloci saltu condescendens, cultellum tonsorium, quem secum forte tectum attulerat, umbilico, qui solus ferro 20 patebat, immersit. Seccionem enim rigidissimis squamis obsitus serpens cetera corporis parte spernebat. Hunc cultellum Waldenarus rex, res gestas cognoscendi ac referendi cupidissimus, rubigine exesum vixque secandi sufficientem ministerio familiaribus sepe monstrabat. Sed 25 neque Haraldus ob sessionis eminenciam ingenti belue ore corripi denciumue acumine noceri aut caude uoluminibus elidi poterat. Minister uero, compacto gestamine usus, conuerberatum belue caput ad sanguinem et necem usque crebris ictum ponderibus contundebat. Quo cognito, rex, 30 ulcione in ammiracionem uersa, fortitudini supplicium remisit, salutemque animositati tribuendam putauit. Nec penitam remisisse contentus, addidit caritatem. Naugio enim sti pendioque donatos abire permisit. Cumque criminis supplicium deberet, fortitudini pepercit, uirtutemque colere quam 35 culpam punire maluit.

Reuersus Haraldus Noruagiam occupat; eaque potitus arma in Daniam transfert. Igitur Sueno, contractis Iutis, cupidius quam consideracius apud Dyursam fluuium totam Noruagiensium manum aggressus, ut classe, ita bello quo- 40 que inferior fuit, copiarum numero respondentे fortuna.

p. 550

p. 551

(206)

Siquidem tam infeliciter quam temere dimicauit. Maxima Iutorum pars ferri metu flumen insiluit, prereptoque hostis officio, sua ui quam aliena consumi tucius duxit. Itaque, quod ab hoste timebat, sibi ipsa conciuit, inque gemino 5 fati delectu unda, quam armis perire maluit. | Igitur dum alterum mortis genus timide declinauit, alterum cupide comprehendit, dumque aduersarii refugit, hostilem in se ipsa crudelitatem exercuit, tanquam spiritum placidius aquis quam aeri redditura ac uolenciorem exitum ferro 10 quam fluctibus expertura. Ita nescias, uiriliter mortem an effeminate petuerint, incertumque, utrum fati cupidis ignauia an uirtus incesserit, quoniam tam uehemens animi estus, fortisne an timidi spiritus sui raptore extiterint, ambigue existimacionis esse fecit. Breui post dux uicti agminis 15 Sueno, Scanie, Sialandieque ac preterea quarundam insularum uiribus recreatus, Niszam fluuum classe corripit, eademque superuenienti Haraldo obuiam in altum procedit. Cumque Dani paucitatem suam hostilis frequencie comparacione pensassent, raritati consercione succurrendum 20 rati, digesta in ordinem nauigia tenaculis sociare ceperunt, quatinus continentis nexus coherens classis expedicius opiniuicem ferende iter sterncret, cunctisque hac* necessitate C^{VI}(X) duratis, tam fuge quam uictorie indissolubilis communio foret, nec cuiquam a tanta collegii firmitate dilabendi fas 25 esset. Adeo imbecillitatem necessitate roborandam duixerunt.

Hic nobis, Aslace, Skyalmonis Candidi remex, ob immensam bellice uirtutis gloriā literarum preconiis inculcandus occurris. Danis siquidem aduersum Noruagien- 30 ses maritimo certamine decernentibus, non contentus clari- p. 553
fissimam pugnam intra proprium edidisse nauigium, omnibus corporis tui munimentis preter scutum abiectis, confertissimam hostium ratem insiluisti, queruque, quam in gubernaculi prius colligamentum excideras, uiribus 35 fretus hostium corpora conuerberasti, eiusque crebris et uegetis ictibus, quicquid obuium fuerat, obtruiuisti, ingenti- que uerberum fragore stupentes prelianum animos a propriis periculis ad tue uirtutis spectaculum deflexisti. Quin eciam fortissimos utriusque agminis bellatores operis 40 tui ammiracione suscepti certaminis immemores reddidisti,

pugneque ac periculorum oblitis audius te intuendi quam se ipsos tuendi studium incussisti, ita ut promptissimi qui-
 que, neglecto discriminis sui negocio, plus te uiso stuporis,
 quam ex dubia salute formidinis caperent. Itaque forceius
 5 fuste quam ceteri ferro rem gessisti, cunctaque intolerabili modo comminuens hinc Danicis, inde Noruagicis oculis incredibilem, nisi spectareris, operam edidisti. Adeo autem sociorum paucitatem hostium multitudini coequasti, ut
 10 disparem uiribus pugnam in noctem usque par belli successus extraheret, numeroque dissimiles copias fortuna persimiles reddidisti. Postremo cum omnem nauis remigem partim fuste, partim fluctibus obruisses, compluribus, sed leibus plagis perstrictus ex tot hostibus ammirabilem solus uictoriā retulisti. Que res ueri fidem excederet, si
 15 non Absolon auctor suis eam relatibus tradidisset. Verum Danis nullam uirium accessionem circunspicientibus, Noruagiensibus insperatus domestici ducis aduentus affulsit. Quo uiso, Scanienses, contusis debilitatisque animis, noctu, ne res strepitu proderetur, classis societatem soluere, re-
 20 cisisque uinculis ac perrupta nexum consercione, a cetero agmine intempesta se nocte subducunt. Deinde tacitis remorum ictibus fugam adepti, furtiuo discessu fluminis diuerticula, quibus excesserant, repetebant, ibique relictis nauibus, passim per auia profugere, merito | omnis||

p. 554
(207)

25 Danice etatis conuicio lacerandi. Cuius fuge deformitas, auctoriibus quam maxime erubescenda, ad posteros quoque probrosa descendit. Luce reddita, Sueno, fugitiue ad modum classis pudore percussum, pertinacissima resistendi uirtute fortunam suam armis quam fuge credere maluit.

30 Igitur, quanquam et classis et militum numero inferiorem se cerneret, exiguae bello reliquias applicat, uirtute sua sociale probrum abluere cupiens, bellaque animorum quam numeri robore forcius geri iudicans. Sed pestiferum temere initi certaminis exitum expertus est; quippe numero uictoria

35 paruit. Skyalmo Candidus, cuius nutu suo tempore tocius Sialandie uires regebantur, grauiter astrictus, immensaque hostium multitudine conclusus, capitur, non quod timide preliatus, sed quia, labente sanguine, uiribus prorsus vacuus extitit; tantumque eius apud uictores amplitudini donatum

40 est, ut, alias captiuis parcere insoliti, saluti ipsius custodie

presidium adhiberent. Quippe tam conspicue dignitatis uirum ferro aggredi passi non sunt. Neque enim presens illi fortuna preterite ueneracionem adimere ualuit. Sed hanc custodie uim apud Caprinum lacum profunda nocte 5 decepit. Ceterum Haraldus, non contentus Danorum uires duabus exhausisse uictoriis, iisdem hostili studio frequencius imminebat. Cuius cum Sueno instanter motibus urgeretur, lacescite patrie defensionem maiore fiducia quam fortuna parabat. Tercio tamen, bina prius clade aff*l*ictus, fortuna 10 nam suam publicis armis committere uerebatur, qui iam rem Danicam duarum pugnarum temerariis ingressibus a se conftractam* uidebat.

C[VI](X)

p. 555

Interea minores Godouini filii, regni emulacione maiorem perosi, uoluntario secessu inuisam eius dominationem uitarunt, ultroque exilii tenebras ferre quam fraterne intra patriam fortune splendorem conspicere maluerunt. Ad ultimum Haraldum Noruagie regem obsequii promissione conueniunt, suam patriaque subiectionem polliciti, si summa per eum potiri quiuisserent. Rapuit oblaciōnem exulum auida dominacionis ambicio, Anglieque littoribus Noruagica classis aduehitur. Eodem forte tempore Normannorum dux pari impetu diuersum insule latus aggreditur. Cuius rex Haraldus inter geminas hostium partes anceps, quam priorem exciperet, aliquandiu liberum utrius 20 procursum reliquit. Quam ipsius cunctacionem Noruagienses timori consentaneam rati, neglectis corporum munimentis, perinde ac securi periculorum ualidius prede incubuerunt. Sed dum incaucius ruunt, sparsi palantesque ab Anglis nullo negocio trucidati sunt. Ea res uictoribus maxima 25 queque audendi fiduciam ministrauit. Sed mox temere crescente audacia Normannos adorti, infelici pugna recentis uictorie titulum perdidērunt. Neque ullum uicti regis uestigium extitisset, nisi post modum ab agrestibus obscuero solitudinis loco repertus proderetur. Cuius filii duo 30 confessim in Daniam cum sorore migrarunt. Quos Sueno, paterni eorum meriti oblitus, consanguinee pietatis more exceptit, puellamque Rutenorum regi Waldemaro, qui et ipse Larizlaus a suis est appellatus, nuptum dedit. Eadem post modum nostri temporis dux ut sanguinis, ita et no- 40 minis heres ex filia nepos obuenit. Itaque hinc Britan-

p. 556

nicus, inde Eous sanguis in salutarem nostri principis ortum confluens, communem stirpem duarum genitium ornamentum effecit.

Extincto Haraldo, cui scelera Mali cognomen adiecerant, | Suenonis regnum, quod ante ad modum claudicauerat, perinde atque acerrimo hoste vacuum, prosperioris fortune gradibus incedebat, oppressumque Danie gubernaculum plena prosperitatis uela soluebant. Hie cum liberalitate illustris, beneficencia celeber, eunctisque humanitatis partibus perfectissimus haberetur, eciam sacrarum edium condendarum ornandarumque curam intentissime edidit, rudemque adhuc sacrorum patriam ad culciorem religionis usum perduxit. Verum hunc morum candorem sola libidinis intemperancia maculabat. Complurium namque illum strium puellarum castitate delibata, ut nullum ex matrimonio, ita complures ex pellicibus filios sustulit. || E quibus fuere cum Gormone Haraldus, cum Suenone Omundus. His accessere Vbbo et Olauus, Nicolaus, Biorno atque Benedictus, paterno quam maxime, materno minimum sanguini respondentes. Consimilis copule obscuritas Kanutum et Ericum, maxima patrie ornamenta, progenuit. Sed et filia Siritha, que post modum Guthscalco Selauico coniunx accessit, in sequentibus refrenda, pellice pariter orta proditur. Tandem rex animum suum ab illecebris luxurie et immoderato Veneris usu retractum genialis thori castitate cohibere constituit. Ut ergo multorum pellicatum experientiam licenti nupciarum usu uniusque matrimonii lege redimeret, nec talibus ulterius cubiculis maiestatis sue uigorem absumeret, Gutham, Suetico rege genitam, sanguine coniunctam | sibi, legitime prolis cupiditate complexus, simulata coniugii religione collegit, eiusque coitum pro matrimonio habuit. Ita [ut] dum ad coniugalia sacra celebranda animum induxit, eorum nomine flagicium colorauit, dumque ab uno se criminis retrahit, in aliud repente prouoluit. Sed tolerabilius, quod alieni sanguinis, quam quod sue propinquitatis copulam usurpauit; quanquam uterque huiusc Veneris usus impudicicie criminis sit obnoxius.

Quam rem Eginus et Wilhelmus intactam preterire passi non sunt. Quippe regem a tam illicito thalamo

frustra conantes abstrahere, monitisque dirimendi contractus perseuerantur aggressi, aduersum incestuosam eius libi* dinem debite reprehensionis amaritudinem destrinxerunt. Cumque, correpcioni insistentes, nihil se ea profecisse cognoscerent, apud Bremensium antistitem iniustas eius nupcias accusantes, maiori pontificio castigacionis arbitrium reliquerunt. A quo cum rex per sacram ac salutarem ammonicionem incesti reus ageretur, discipline minas opusuit, seque ferro correpcionis insolenciam repressurum edixit. Itaque uexacionis impaciens, plus crudelitati sue quam sacrosaneti iuris uiribus indulgendum putauit, religionisque quam nupte desertor esse maluit. Que res ab Hamburgensibus, maritimi periculi metu, ad Bremenses pontificium transtulit.

Hec uoluentem Wilhelmus propositum exequi monitis suis passus non est. Sanctitate enim consilii consentaneum furori impetum ab eius pectore submouit, maximaque doctrine sue perseuerancia studium eius a sentencia reuocauit. Itaque repente sanior affectus regis animum occupauit. Saluberrimo namque preceptoris imperio resipiscere coactus, continuo iniusti concubitus nexum rescidit, depositoque stuprose mentis ardore, nuptam repudio submouit. Nec solum ira abstinuit, sed eciam ab illicita connubii usurpacione mentem retraxit. Gyutha quoque, paternos penates repetens, susceptis uiduitatis insignibus, cum summa morum synceritate consenuit, castitatemque uotis professa uirilis concubitus experienciam abdicauit, et, quia iniusto se thoro maculauerat, nullum ulterius sibi iuri esse permisit. Sanctitatis siquidem amplexa propositum, reliquum uite tempus celebs exegit, ingentique pudicicie seueritate illiciti concubitus noxam licentis euitacione pensauit. Sed nec inerti ocio *(tempus)* effluere passa, cotidiana consuetudine exquisita sacrariorum ornamenta fingebat, inque eandem operam continuam ancillularum curam cogebat. Inter que chlamydem sacerdotalem su[b]tilibus sigillis excultam preioseque materie impensa ac mirifici operis arte elaboratam Roskyldensi sacrario doni nomine largita est. Alia quoque complura diuini cultus insignia sacrorum usibus operata est.

Sueno uero sacrorum amministratores quam maxime

conuersacione probabiles contrahebat. In quibus quamquam scienciam ueneraretur, morum tamen curiosius habitum intuebatur, indignum ratus, literarum suauitati summum familiaritatis consorcium tribui. Adeo igitur honestatis scholam literarum rudimentis preponderare credebat, ut in agendo clericorum delectu uirtutis pocius quam scientie elementa pensaret, lateraque sua fidis quam doctis obsequiis uallare mallet. Suenonem quoque, || Nor-
(209)
 uagice regionis uirum, cunctis uirtutis partibus ac numeris instructissimum, sed parum iusta noticia literarum monimenta complexum, in ius familiaritatis adciuerat. Hic ex prefectura ad sacerdotium translatus, tametsi Latine uocis penuria premeretur, domestici sermonis opibus abundabat. Quem ceteri ingenii suis ob uirtutem, qua ipsis prestabat,
p. 560
 a rege preferri uidentes, perridicula impericie exprobracione scurriliter cauillandum duxerunt. Rem enim diuinam acturo derisus gracia affectum litura codicem subiecerunt. Qui cum salutem regi uotis libello expressis solenni uerborum precacione debuisse exposcere, ipsum famuli nomine
 designaturus, uiciata ab emulis pagina, muli appellacione fedauit. Neque enim liture errorem correccions beneficio redimere nouerat. Igitur circumstantes lectoris impericiam iocabundo cachinnorum anhelitu prosecuti, immodico ora risu soluerunt; ipso quoque ioci irritamento religio in ludibrium abiit. Finita accione, rex a(d)motum are libellum complexus, cum et ipsum inuida manu corruptum et recentis liture uestigia causam inerter fuse precacionis asperceret, inuide societatis animos detestatus, insultancium fraudem coarguit, ipsosque obtrectacione uiciosiores quam
 Suenonem insicia comprobabat. Eundem quoque breui irrisoribus suis impericiam exprobraturum adiecit. Deinde scholam eum petere hortatus, sumptum se amministraturum promittit. Neque hac re quicquam de consueta eius familiari*itate decerpit, ne inuidie respondisse pocius quam
 obstitisse uideretur. Profectus Sueno efficacissime libera-
 lium arcium studiis operatus est. Quippe literarum, quibus parum inseruerat, documenta sumere cupiens, percipiende earum discipline gracia, omissa domestica, peregrine schole erudiendum se dedit, animumque doctrine capacis-
 simum excolens, Latino se sermone assuefecit. Cuius

studiis abunde instructus, uocabulorum uim ad summa quaque grammaticae rationis elementa animi docilitate percepit, abscisoque rustici rigoris crimine, facundiam suam ingenii exercitacione policiorem effecit. Itaque flagrantissima discendi cupiditate clarum sciencie magisterium retulit, breuique morarum processu, quos impericie | derisores habuit, ingenii ammiratores inuenit. Primum inter omnes Wilhelmus apud regem familiaritatis locum occupauerat, eiusque gracie mutua animi uicissitudine respondebat.

10 Etenim ab ipso ceteris impensius cultus caritatis dignacionem singulari fide pensabat. Horum fidei rex tanquam tutissimis obsequiis latera sua cingenda commiserat.

Sed et sequens casus in antistite seueritatis pulcherrimum, in rege certissimum moderacionis documentum exhibuit. Ipse namque sacro circuncisionis perugilio so'enni magnatuni conuiuio feriatus, cum quorundam principum clandestina obtrectacione parum honorate de se habitum comperisset sermonem, occultam eorum perfidiam temulencie laseiuis detectam existimans, ire aculeis actus misit, qui ipsos matutino tempore intra Trinitatis edem oratuos confoderent, tanquam in sacris penetralibus aptissimus humanarum clodium locus existeret. Itaque actum erga conuiuas facinus sacrilegio duplicauit, ipsumque pietatis domicilium crudelitatis officinam effecit, neque loci aut temporis, quo minus cupiditati indulgeret, respectum habuit. Quam re(m) antistes, templi (ut par erat) uiolacione permotus, in primis dissimulanter exceptit, neque indignacionem suam ulla ex parte stipatoribus patefecit, opportuno vindictam tempore prebiturus. Nam cum rem diuinam pontificali more peragere debuisse, non solum aduentantem regem occurrendi ueneracione excipere supersedit, sed eciam sacrarium subire connisum a primis eius liminibus absque respectu familiaritatis, sacerdotii insignibus ornatus, baculo, quo utebatur, exclusit, sacerorum penacium aditu indignum iudicans, quorum religionem non sine graui pacis rubore ciuili sanguine maculasset, suppressoque dignitatis nomine, non regem eum, sed humani cruoris carnificem appellabat. Nec reum obiurgasse contentus, aculeum virge eius pectori infixit, armatumque duricia animum || imperati 40 parricidii penitere perdocuit. Enimuero priuate societati

publice religionis uerecundiam pretulit, non ignarus, alia esse familiaritatis officia, alia sacerdotii iura, quibus seruorum eque ac dominorum, neque ingenuorum parcus quam ignobilium flagicia vindicari par est. Cumque abunde foret p. 562
 5 repulsam egisse, etiam execrationem adiecit, nec dubitauit in presentem damnacionis quoque proferre sentenciam. Itaque mirifica audacia dubium reliquit, forcitus illum manuue an uoce pulsauerit, quem grauibus ad modum contumeliis proculcatum prius lingue, deinde dextre repulsa
 10 muletauit, inque pectore, quo uirtutem ante coluerat, uicium contudit. Neque enim in tam euidenti scelere longum ulcionis tempus expectandum putauit, facilius origini atque incunabulis culpe quam ultiорibus eius incrementis occurrentum existimans, ne mora alitum crimen
 15 diuturnitatis tractu conualeceret. Igitur ut regem impotencie et temeritatis incursum transuersum in facinus egit, ita antistitem ad exercendam uindictam profecta a religionis emulacione seueritas concitauit. Enimuero, fortiter uindicata religione, et debitam ordini suo fidem et alienae teme-
 20 ritati salutarem reddidit disciplinam. Ne enim solennium officiorum tutelam omittere uideretur, ueluti indulgencie oblitus seueritatem exercuit, neque sanctitatis inimico amicus existere aut assentatoris pocius quam pontificis partes presentare sustinuit. Ceterum specie hostem, reuera cxii^a
 25 amicum exhibuit, quia fida concordie pignora ac syncera familiaritatis stipendia pocius iusti rigoris quam iniqui fauoris examine ponderabat. Quapropter mansuetissimum ingenium suum, deposita ad tempus clemencia, austerioritate subiecit, meritoque ad firmandam religionis disciplinam
 30 aliquid a crudelitate sibi paulisper mutuandum putauit. Quamobrem infesto militum concurso petitus, applicatos cernici suo gladios animi firmitate contempsit, tantumque se in despiciendis periculis gessit, quantum egerat in prouocandis. Tanto animi robore predictus tamque generosi
 35 spiritus abundaneia instructus, diuine caritatis munimento superior humani timoris uiribus apparuit. Cuius rex inhibita nece, cum eum non temeraria offensa, sed publice seueritatis fiducia concitatum animaduerteret, conscientie rubore perfusus scelerisque quam repulse pudore egrior,
 40 continuo regiam repetit, quietamque frontem contumeliose

correptus exhibuit, nec ipsa quidem generose indignacionis
 uerba inuitus audiuit. Deinde, regia ueste | deposita, ob-
 soletam accepit, meroremque deformitate cultus quam
 splendore contumaciam testari maluit. Neque enim tam
 5 tristi pontificis sentencia perculsus, regalis magnificencie
 cultum gestare sustinuit, sed, abiectis regie maiestatis in-
 signibus, insigne penitencie sagulum sumpsit. Quin eciam
 simul cum ueste potenciam exuit, atque ex sacrilego tyranno
 fidus sacerorum uenerator euasit. Siquidem nudatis pedibus
 10 ad atrium regressus, in eius se aditu prostrauit, terramque
 suppliciter osculatus, dolorem, qui ex contumelia acerrimus
 infligi solet, uerecundia ac moderacione compressit. Neque
 enim continuo repulse uindicem egit, sed pudore ac peni-
 tencia culpam cruenti imperii redemit. Exulasse huius
 15 animum in nequicia, non habitasse credimus, quem ut
 primo temeritas transuersum in facinus egit, ita post
 modum equissima moderacionis temperies rexit. Quanta
 enim mansuetudine pectus eius instructum fuisse putemus,
 qui pontificem palam seuerissimis sacerdocii uiribus aduer-
 20 sum se usum non solum impunitate donaret, sed eciam
 humillima uenie petizione uenerari sustinuit, graciampque
 tam pudoris patrocinio quam penitencie beneficio meruit?
 Diuina siquidem obsequio, non uiribus propicianda nouerat,
 ideoque atrocitatem sceleris uerecunda mieroris acerbitate
 25 pensabat. Quin eciam paruulo pudoris irritamento magnop-
 pere confusus, excitatam ignominia uirtutem rubori imper-
 rare coegit, quantumque uiolencie religioni crudeliter im-
 perando incusserat, tantum ueneracionis uehementer animo||
 contusus exoluit. Sed dum taliter se gerit, inusitatam
 30 sacerdotalis auxilii clemenciam expertus est. Interea an-
 tistes, inchoamento psallendi facto primaque concentus
 parte edita, cum Grece precacioni solennem rite Gloriam
 subnectere debuisset, ex stipatoribus, supplicem foribus
 regem adesse, cognoscit. Igitur, cessato cantu cleroque
 35 conticere iusso, fores repetens, cum regem, quid ita se
 gereret, percontatus fuisse, atque ille, criminis confessione
 facta, | religioni sese satisfacturum promittens, sacerdotalis
 subsidi ueniam postulasset, continuo, execratione remissa,
 iacentem amplexus, abstersis lachrymis depositisque doloris
 40 insignibus, et cultum et animum regium resumere iussit,

(211)

p. 564

non licere inquiens, priuatum merorem publicis interesse tripudiis. Neque enim eum humiliorem dignitate sua uultum gerentem aut supplicem liminibus aduolutum intueri sustinuit, sed benignioribus uerbis recreatum, pristinam uestem, qua maiestatem suam concinniorem efficeret, corpori reponere culgioremque progredi iubet, satis graues eum penas religioni dedisse ratus, qui se tam demisse agere tamque suppliciter posternere sustinuisse. Deinde, imperatis penitencie rebus, cantores, quorum frequencia 10 solemnis agebatur, in occursum* eius, quo ornacius recipetur, procedere iussit, statimque uenerabiliter exceptum, cunctis leticia ouantibus, ad aram usque perduxit. Ita prioris uiolencie speciem honesto comitatis genere temperauit, repulseque deformitatem specioso pensauit obsequio.

Nec minus in penitencia ueneracionis quam austерitatis in 15 admissso reposuit. Quin eciā adhuc merenti sollicitudinem detraxit, fiduciam adiecit, priuateque tristicie salebram publica gratulacione discussit. Itaque, quod in potentis uiri scelere pollutum fuerat, religiosa seueritate expiatum 20 est. Sed et populus maximo plausu tam spectatam in rege uerecundiam comprobabat, plus penitencia pium quam imperio scelestum euasisse confessus. Peregerat iam pontifex seueri ac pii vindicis partes, inque eodem rigoris et clemencie experimento se gessit, nec parcus ueniam quam 25 uindictam exhibuit. Quippe, cuius contumaciam seuere reppulit, indulgenter modestiam coluit, sique pietati iusticiam contemperauit, ut nec sperneret supplicem nec reciperet insolentem. Qua in re paterni affectus habitum plenissime representauit, quod parentis more correpcionem 30 blandiciis subsecutus neque aut elatum amplecti aut de- missum aspernari sustinuit. Post hec omissa altaris sacra repetens, summo patri regie expiacionis gloriam succinit, eoque serenius gaudium subiit, quo tetrior luctus causa precessit. Rex ipse, biduum quiete peragens, tercio demum 35 die regio cultu ornatus inter ipsa misse sacra excelsam edis partem condescendit, silencioque per preconem uenerabiliter | acto, coram omnibus semet grauissima accusacione perstrinxit, acerbum religioni uulnus influisse confessus. Deinde, collaudata antistitis indulgencia, quod tanto crimini 40 tam repente ignouerit, seque iussu, etsi non manu, reum

CXII^b

p. 565

celerrime sacerorum usibus restituerit, pro tam cruenti imperii expiacione muneris loco Steffnicae prouincie dimidium aris a se conferri publicat. Nec erubuit multorum auribus singularem flagicium sui committere nocionem. Ea res inextricabilem regni sacerdotiique concordiam operata est. Quippe rex non solum antistitem in eodem amicicie gradu habuit, sed etiam maioribus dignitatis incrementis donauit, plus officiis eius ad graciam quam contumeliis a. l. iracundiam concitatus, quem non priuata ira, sed publice religionis iniuria aduersum se prouocatum uidebat. Hic enim mirificam illius seueritatem, ille sanctissimam huius moderacionem beniuolencie constancia prosequebatur. Sed et uterque cotidianis uotis, ne tante animorum concordie diuiduum fati tempus intercederet, exoptabat. Itaque summe ueneracionis officia certatim mutuis sibi studiis impendebant, adeoque eximiam societatis fidem honoris uicissitudine nutriebant, ut pocius inter eos amicicie paritas quam superioris ad inferiorem familiaritas cerneretur.

Veniam nunc ad Kanutum, Suenonis filium, qui, proprie fortune beneficio summis nature dotibus cumulatus, magno cum indolis experimento etatem animo precucurrit. Quippe, contracta iuuentute, myoparonum piratica monstra perdomuit, Sembicis atque Estonicis illustrem tropheis adolescenciam egit, nouisque uirium gradibus paterni roboris fundamenta transcendit. Que uictoria futurum eius dominium ominata est. Pro amplificanda tuendaque patria iuges excubias gessit, rerumque, quarum ob infirmam adhuc etatem uix spectator esse potuit, auctor haberi presumpsit. Quin etiam iuvenile corpus continuo usu ad bella impigre confiencia armaque uiriliter sustinenda firmabat, famaque eius bellica ui in tantum claritatis excessit, ut rediuiuum magni Kanuti spiritum fortunamque simul cum nominis uideretur communione sortitus, adeo ut nullus eum paterni regni successione potiturum ambigeret. Neque enim, uirtute iam maturus, honori intempestiuus uidebatur. Sed nec liberalitatis species eius adolescencie defuit. Cum fratre Haraldum, natu maiorem, obtusi ad modum cordis, inter iuente inicia perpetuus inercie sopor oppressum tenebat.

Tandem Suenonem, ultima pene senectute confectum,

apud Suddathorp, Iuticarum parcium oppidum, febri impli-
catum aduersa corporis ualitudo corripuit. Qui cum, pesti-
fero humore grassante, fatalem cordi dolorem imminere
cognosceret, paruulas adhuc extremi spiritus reliquias
5 trahens, a presentibus, se Roskyldie sepeliri, petiuit. Nec
ministerii eorum *(pro)misso* contentus, sacramento fidem
exegit. Siquidem loci illius religio, regibus uetusto more
exculta, ut uiuis sedem, ita fato functis sepulturam prestare
consuerat. Iamque regis corpus ab iisdem amplio funere
10 elatum Sialandiam usque peruenerat, cum primum Wilhelmus
in occursum eius ueniendi mandata suscepit. Nec moratus,
ad urbem cursu festinato contendit, inque ipsa Trinitatis
ede, accersitis, qui terram ad solidum foderent, prius regi,
deinde sibi tumulum extrui iubet. Quam uocem fossoribus
15 pocius a merore | quam industria profectam putantibus,
extinctisque, non uiuis tumulo opus esse dicentibus, suum
ante quam regis funus ab eis excipiendum asseruit, non
se uoto fraudandum inquiens, quo cum eo commori semper
optasset. Eosdem ammiracione stupentes imperium*(que)*
20 deliramento consentaneum existimantes ad obsequendum,
penam, ni paruissent, comminatus, adduxit. Ita, adhuc
experte morbi corpore, mortis certitudinem presumebat.
Deinde citato equo in occursum exequiarum contendens,
cum ad nemus forte Topshögicum peruenisset, duabus
25 mire proceritatis arboribus secus iter conspectis, utranque
precidi inque usum lecti funebris aptari precepit. Illi sibi
regalis feretri construccionem precipi rati, imperium exe-
quuntur. Compactum deinde uehiculum prestantibus robore
equis imponunt. Cumque pontifex, siluam pretergressus,
30 regium in uicino funus adesse cognosceret, aurigam consi-
stere iussit, ac protinus ueluti laxamenti gracia amiculum,
quod habebat, exuit, eique humi expanso se ipsum preci-
pitum superiecit. Deinde, erectis superne palmis, siquo
rerum auctori seruicio placuisset, uitam a se finiri petiuit.
35 Sane absque ulla fati cunctacione amicum morte insequi
quam uita deserere preoptauit. Hec fatus, ueluti in do-
mestico lectulo acquiescens extinguitur. O immensam
concordiam, que superstite spiritu iocundior fuit. Quem
famuli longam ad modum cubandi moram egisse mirati,
40 cum nequicquam erigere iacentem uellent, exanimem

p. 567

p. 568

repererunt. Igitur recens omnibus inopinati funeris luctus exoritur. Ipse uero a suis feretro exceptus atque ante regem elatus, ut fato posterior, ita funebri pompa prior extitit. Viris namque funebri Suenonis lecto huneros 5 subiicientibus, ipse equis subiectus ueluti quidam exequiarum eius auriga precessit. Prior uero sacrario allatus, ueram presagii fidem retulit. Qua tam admirabili fati sorte potitus, se regis cultum caritati <pocius> quam fortune erogasse, perdocuit. Exequiis impensis actis, amborum 10 corpora coniunctis ad modum tumulis occluduntur. Hec sunt ueneranda amicicie stipendia, que, cum e || duobus eius consortibus alter excidit, reliquo, uite dulcedine fastidita, mortis appetitum ingenerant. Post hec Sueno Noricus, quem supra significaui, communibus cleri suffragiis sacerdotium sumit.

(213)

Regie uero successionis delectum anceps popularium sentencia pertractabat. Maior namque Danorum pars, memor, quantis per Kanutum, adhuc priuate fortune, periculis obiecta fuerit, grauiora, si regnum indueret, uerita, 20 maligna uirtutis interpres, quod glorie eius accrescere debuerat, iniquissima meritorum estimacione damnabat, eleuatis uirtutum premiis, clarissima eius opera repulse turpitudine rependendo. Igitur ut hunc negocio|rum metu perosa, ita Haraldum ocii eu*peditate complexa, audacie 25 hebetudinem pretulit, ignavumque sibi regem maluit imperare quam fortem. Quamobrem egregie indolis claritate contempta, negatum uirtuti culmen uicio tribuere non erubuit, repulsa fortitudine, inerciam honoribus insecura. Verum hunc ingrate mentis habitum fucosa racionis specie 30 colorabat, Haraldum, perinde ac natu maiorem, ipso nature iure regno debitum certans. Genus affectionis inusitatum! Hunc uirtus inuisum, illum uicium probabilem fecerat. Soli Scanienses iusta animi inclinacione prouecti, Kanuti probitate culta, Haraldi desidiam respuebant. Igitur Ysoram 35 habendi delectus gracia conuenitur. Ibi quidem ingens Oceani uastitas ostiis ad modum angustis excipitur, furensque fretum coactu littorum in arctas fauces terra compellit. Medium sinus harene tenent, obscura nautarum celantes pericula. Nam ut abiens eas estus aperit, ita rediens 40 claudit. Orienti Scania, | cetera uero occidenti classis p. 569
p. 511

appulerat. Hic fratres apud suos quisque fautores diuersis in locis concionati sunt. Tunc Haraldus, uocato assensorum concilio, nequaquam contumeliosam sibi fratri praelacionem uideri refert, si non eum dignitate posteriorem 5 sors ipsa nascendi fecisset, maioresque a minore superari ridiculum esset. Qui etsi uirtute maturior uideretur, se tamen nature ordine etatisque priuilegio uincere. Preterea indignum fore, ciuium illi uexacionem obiectamque periculis patriam suffragari debere, sue uero proueccioni seruatam 10 in omnes clemenciam obesse; nec ita merita ab eis estimanda fore, ut miserias suas gracia felicitatis repulsa pensare cupiant. Nam ingratorum hanc maxime uicissitudinem esse. Ad hec, si summam assequatur, impias se leges abrogaturum, blandas placidasque pro eorum arbitrio 15 laturum promittit. Tanti igitur tamque optati commodi promissorem concio, pestiferis eius blandiciis inuitata, regem appellat, paternum illi regnum deferens, cuius inercie contemptus magis quam ullus honos aut gracia referri debuerat. Itaque populi fauor oracionis suauitate prereptus, 20 plus fallacibus eius promisis quam inuicto Kanuti fortitudini prestitit. Igitur fraterne contencionis certamen, uaria assentacione subnixum, sine arbitris aut iudicibus, solis parcium suffragiis gerebatur. Verum Haraldus, imperite multitudinis errore suffultus, mox per legatos fratri mandat, 25 ne decretam maiori summam ambiat, eumque honore sibi postponat, quem nascendi serie priorem sciat, neue regnum maiorum uirtutibus illustratum domestice atque intestine discordie bello corrumpat, nec perniciosa seditione diuiduos patrie motus incuiat, sed pocius clausum ambitioni animum gerat, abiectaque temeritate competitoris sui, suffragatorem agere non erubescat. Adiecte monitis mine manda que non tam blandiciis pacis quam belli irritamentis instructa. Preterea plerosque fraterne partis fautores, 30 legum emendacione liberiorisque uite iocunditate promissa, per subornatos in graciam suam sollicitandos curavit. Ita a Kanuto uulgi animos partim spes, partim metus auertit. Ipse, deficientibus a se copiis, tribus duntaxat rostratis nauibus in angustissimas Scanici maris fauces elabitur, 35 regno carere iussus, cuius ipse incolumitatem protexerat, terminos auxerat. Vbi, fraterna legacione regni com-

munionem spondente, reuerti monitus, spretis mandatorum
 blandiciis, Suetiam || fugibundus intrauit, perquam stultum
 ratus, eius se promissis, infracta fortuna, credere, cuius,
 eadem adhuc uigente, minas acceperit. Mox, perinde atque
 iniuriarum oblitus, intactis patrie rebus, bellum aduersum
 Orientales, uiuente patre ceptum, enixe prosequitur.
 Haraldus, habito in octo dies concilio, quod promissis
 complexus fuerat, rebus prosequi monitus, ut regia maie-
 state popularem excoleret, in primis aduersum prouoca-
 tionem restipulandi ius edidit, prioresque defensionis partes
 quam accusacionis instrumenta constituit. Reo siquidem
 actoris ius in refellenda accusacione concessit, quam | antea,
 testium fide subnixa, defensionis presidio repellere non
 licebat. Quod ius usurpacione firmatum ut familiare liber-
 tati, ita religioni pestiferum euasit. Ipsa namque defen-
 dendi potestas, non armorum, non testium usu, sed sola
 sacramenti fide subnixa, multorum conatus uotorum cupi-
 ditate periurio polluit, sed et funditus singularium con-
 gressionum usum euertit. Posteris namque susceptas cau-
 sarum controuersias sacius iureiurando uisum est expedire
 quam ferro. Verum alterum religionis intuitu, alterum
 salutis respectu periculosius. Quem morem Dani pertina-
 citer retentum ad hoc usque tempus obstinate usurpant,
 adeo ut uita magis quam eo carere cupiant, salutemque
 suam pro ipsis obseruacione deuoueant. Haraldus uero,
 solis sacrorum officiis deditus, latarum a se legum seueri-
 tate neglecta, impunitas omnium noxas enerui legum in-
 dulgia preteribat, omniaque statuti iuris munimenta
 conuulsit, ignarus, plus deo synceram regni amministra-
 tionem quam inania superstitionis momenta placere, se-
 uerumque iusticie cultum superuacua precum adulacione
 graciorem existere; preterea diuinum plenius propiciari
 numen, ubi iura quam thura promuntur, plus scelerum
 quam pectorum | contusionem probare, libencius criminum
 quam genuum flexus aspicere, nullamque uictimam vindic-
 ate pauperum libertati preferre. Quanquam enim regum
 maiestas rite religioni intendere debeat, aliquanto tamen
 speciosius interdum tribunalia quam aras excolere potest.
 His omissis, rex, sola sacrorum caritate conspicuus, ini-
 quissimos actus profusa animi tolerancia sustinebat, pauciora

214

cxii

p. 57

p. 57

experimentis prosecutus, quam promissis complexus fuerat. Noxas non uenia modo, sed eciam licencia prosequebatur, tamque inopem iuris patriam reddidit, quam antea promissis diuitem fecit. Sed neque a regiis moribus habitu-
5 que degenerare deforme ducebat. Regnando biennium emensus defungitur.

Quo mortuo, Kanutus, fraternis suffragiis in regni fastigium reuocatus, Orientale bellum, quod in adulescencia orsus, in exilio auspicatus fuerat, accepto solio, pocius 10 amplificande religionis quam explende cupiditatis gracia totis uiribus innouandum curabat, cum incrementis fortune eciam claritatis augmentum apprehendere cupiens. Nec ante manum ab incepto retraxit, quam Curorum | Sem-
bonumque ac Estonum funditus regna delesset. Deinde,
15 sublato hoste, nupcias circunspiciens, finitimaque coniugia obscura ac dignitate sua minora reputans, prefecti Flandrie, Roberti, filiam Ethlam in matrimonium aduocauit; ex qua filius ei Karolus obuenit. Cumque magnatum insolencia solutos hebetatosque prisci iuris neruos aspiceret, omnibus
20 ingenii modis ad reparandam patrii moris disciplinam con-
nus, probacionis iusticie cultum seuerissimis edidit in-
stitutis, contusumque et labentein equitatis tenorem in
pristinum habitum reuocauit. Non sanguini, non necessi-
tudini, quo minus iuste se gereret, indulgenciam habuit;
25 nullius amicicie aut familiaritati impunitatem iniurie tribuit,
sed omnia antique consuetudinis momenta precurrens, labe-
factatum iuris uinculum tenacissimo nexu astrinxit ac paterne
seueritatis uestigia sollicitus usurpauit, eoque studio gra-
uiissimas maiorum offensas contraxit. Sacris decus suum
30 reddebat. Sacerdocia gerentes gracie nutrimentis pro-
sequebatur. Cumque ab inerti et rudi populo parum iustum
pontificibus ueneracionem haberri consiperet, ne tanti no-
minis potitores inter priuatos relinqueret, decreti circun-
speccioris industria principum eis consorcionem indulxit,
35 ipsisque primum inter proceres locum perinde ac ducibus
assignauit, auctoritatatem honore concilians. Prouidit enim,
ne tanti officii* pondus equo minor ueneracio caperet, CXIII^b
inque summa religionis arce positi infima cultus condicione
uilescerent. Nec solum pontificibus dignitatis incrementa
40 donauit, sed eciam priuatorum clericorum ordinem beni-

p. 574

p. 575

(215)

CXIII^b

gnissimis decretis adornare studebat. Nam quo cumulacionem eis honorem redderet, literatorum controvierias vulgaris fori condicione exemptas ad eiusdem professionis iudicium relegabat. Iisdem religionis reos, obiecta repellere nequeunt, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Quibus etiam in omnia, que aduersum diuina committerentur, animaduersionis arbitrium tradidit, cunctasque huius generis acciones sacerdotali iudicio destinatas a publico foro secreuit, ne houore impares condicio equaret. Quamobrem dignitati pondus adiecit, decusque priuato fastigio excelsius eorum respectui inesse uoluit. Quo effectum est, ut Danorum nemini nisi regi aut pontificibus eique, qui potissimum regni successor aduertitur, domesticis quenquam liceat actionibus postulare. Idem populares adhuc sacrorum rudes decimarum religioni assuefacere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit. Quippe maturitatem rerum capere nouelli cultus rudimenta nequibant.

Interea Sueno Roskyldensis templi edificationem, a Wilhelmo ceptam, saxeо opere prosecutus, cum, perfecto sacello, solas locandi pulpiti angustias, quo minus dedicacio perageretur, obstare consiperet, condendi eius gracia Wilhelmi monumentum summouit, cineresque mausoleo erutos eo loci, ubi nunc acquiescunt, transferendos curauit. Nocte igitur, quam dedicacionis dies insecurus putabatur, sacriste somnium capienti quidam sacerdocii insignibus decoratus per quietem precepit, Suenoni sufficere diceret, quod in exedificando sacrario Wilhelmi sibi merita uendicasset ac glorie sue alieno labore partam arrogasset impensam, ne, cuius famam aucupatus fuisset, etiam cineres submoueret, eosque a karissimi regis corpore separaret. Cuius facti penas haud dubie ab ipso uiolacionis auctore, nisi uite eius sanctitas obstitisset, expetendas fuisse; nunc uero in ipsas sacrarii partes ab eo conditas ulciscendum, seque omnem operis eius molem funditus euersurum. Monuit quoque, nequis suum de cetero tumulum attentare presumeret, prefatus, neminem, qui cineres eius loco suo submouerit, impune laturum. Deinde baculo tectum impellere totamque operis molem diruere uisus, somnii fidem edis excidio comprobauit. Quippe sacrarium repente ab imis fundamentorum sedibus conuulsum excidit, adeoque res

uisioni consentanea fuit, ut eodem temporis momento ruina somnii comes incederet, nocturnaque unius opinio omnium oculis interdiu subiecta claresceret. Tantum autem rei miraculum extitit, ut ne collapsum quidem sacrarium 5 custodem oppresserit. Nam neque petrarum pondere, que undique congregabantur, elisus neque ulla collapse molis importunitate quassatus, tutum quietis usum habuit, quamquam cubile eius cadenti materie contiguum fuerit. Attoniti fragore ciues ruine presentis admiracione concurrunt, 10 custodemque, excidio perisse creditum, mediis lapidum coagmentis incolumem egredi cernunt. Que res omnia in eum oculos religiosa uulgi admiracione conuertit. Incertum, utrum templi lapsus an sacriste salus plus uisentibus stuporis attulerit. Nec paruulum uisioni auctor eius ab 15 imminenti lapidum mole defensus prebuit argumentum. Qui cum antistiti nocturna Wilhelmi mandata pròmpsisset, subridens presul nil se mirari inquit, uite eius seueritati fati habitum respondere: sue nihilominus sollicitudinis fore, collapsas edificii partes reficere. Quamobrem diu post 20 modum intactus Wilhelmi tumulus mansit, donec nostris eum temporibus Hermannus, maioris sacrarii preses, Arnfastusque, schole ministerio functus, conniuente Ysaac, ruralis sacerdotii* preposito, paralleli magis et inter ceteros cultissimum aduertentes, Asceriane sepulture gracia 25 aperiri iusserunt. Porro fossa ad solidum humo, incorruptam antistitis togam inter adesa solo ossa reperiunt. Quibus sublatis, tanta fragrancie uis sine ullo auctore ad circumstancium nares neluti e beato quodam unguentorum fonte manauit, ut nemo celo potum ambigeret, cuius 30 cineres tam mira terrestrium odorum suauitas perfudisset. Ipsas uero contractancium manus tanta odoramenti pertinacia astrinxit, ut ipsum triduo balneis ac lauacris attenuatum abolere nequierint. Nec tamen sanctitatem cinerum, ut decuit, uenerati, in extremam eos monumenti partem 35 applicandos curabant. Sed neque presumptioni impunitas affuit. Siquidem sacrilegi consilii auctores pestiferum audacie sue exitum experti sunt, tantumque quisque supplicii retulit, quantum uiolandii busti sentencie impendit. Hermannus namque, sub Absolone sacerdotali consilio assidens, 40 sacram naribus ignem exceptit, cuius ui non solum corporis

p. 578

CXV.
(216)

firmitate, sed eciam uocis officio spoliatus, elinguis ac mutus ante triduum, grassante lacius ardore, decessit, dignus ea corporis parte puniri, qua diuinam ingratus fragranciam hauserat. Nec leuorem Arnfastus excessum habuit; qui p. 579
 5 cum impotencium neruorum hebetudini mederi uellet, pocione per incuriam sumpta, quo salutem conciliare debuerat, languorem instruxit. Sed et rupti tandem iocinoris partes frustatim egestas uomitu protulit, quas, a medico pelui exceptas, maximus pontifex Absolon, dum ad uisen-
 10 dum eum humanitatis officio uenisset, aspexit. Quo presente eger hec se ob uiolatos Wilhelmi cineres perpeti protestatus, manifestas neglecti imperii eius penas pependisse dicebat, seque sua cuin tota re familiari religioni pollicitus, trimestri languore habito, per summam animi penitenciam
 15 expirauit. Miserandos duorum exitus tercius temeritatis auctor aspiciens, seque similibus suppliciis propinquum ueritus, fati inclemenciam pietatis officio precucurrit. Nam in ede Marie magno rei familiaris impendio sacrarum uir-
 20 ginum conuictum instituit, eisque, quoad uixit, pudicicie disciplinam ingenerauit. Nec tamen omnem prorsus uindictam effugit. Diutino namque uiciati pulmonis languore consumptus interiit. Ita primo fati celeritate correpto, reliquos a diuersis corporis partibus profecta pestis tarditate ad ultimam tabem redactos absumpsit. Igitur tantum
 25 unusquisque pene sumebat, quantum in uiolanda antistitis sepultura auctorem egerat. Quia enim salubritatem suam prudencie munimento tueri noluerunt, cladem culpe precipio contraxerunt.

Ne autem Sueno promissam templi refectionem ne-
 30 gligencius exequi uideretur, ceptam Roskyldensis sacrarii fabricam ad finem usque perduxit. Cuius excolendi gracia coronam arte impensaque operosissime elaboratam in eius ornamentum appendit, existimans, regias opes pocius sacrorum splendori quam humane auaricie seruire oportere.
 35 Egynus quoque hisdem ferme temporibus, opitulante rege, Laurenciane edis inchoatum a se opus explicuit. Quibus rex dedicari iussis, mirificam dotis nomine munificenciam erogauit. Nam in ede Laurenciana annua cantorum stipendia, pontificis subsidio fultus, instituit. Ipse enim par-
 40 tim ex fisco suo, regisque latifundiis, partim antistes ex

ante collatis templo beneficiis cotidianos eorum sumptus exhibuit, tantaque inter ipsos religiosi certaminis alacritas fuit, ut, uter in deum uenerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaque dedicacionis die rex, solenniter altaria ueneratus, quartam regii numismatis, quartam sue in ciues exactionis, quartam estiui census | porcionem ei, qui pro tempore loci antistes extiterit, muneris loco perpetuo iure possidendam concessit. Nec parcius priuata clericorum iura tutatus, ab eis, qui* sacrarii rus excolunt, uniuersum p. 581
10 pene regie pensionis ius ascriptis chori ministris deferendum curauit. Ceterum detrecte> expedicionis penas ac uiolate pacis uindictam eorumque, qui propinquis uacui decessissent, hereditates regii duntaxat iuris esse uoluit. Itaque non minorem in edendis templorum priuilegiis quam p. 582
15 prestandis beneficiis auctorem egit. Et ut legibus suis eternitatem conciliaret, eas conuellere conatueros antistitum execracioni subiecit. Cuius editi, post modum a multis temere pertentati, uetus adhuc racio perseuerat. Rex uero, cum in omnibus sancte se industrieque gessisset, precipue
20 religionis caritate conspicuum prebuit, nec umquam remotos ab exactissimo eius cultu oculos habuit.

Qui cum fratum suorum turbam, iuueniliter intemperantem, patrie ad modum onustam uideret, largis uberioribusque stipendiis alitam, uno duntaxat Olauo Slesuici
25 partibus presidente, in clientelam assumpsit, ac publicum pondus priuato leuauit impendio. Tandem Danorum nomen, armis in desidiam cadentibus, a paterni auunculi temporibus obrutum animaduertenti nouandarum rerum cupidus subrepsit. Vtque eius animum cercius represens
30 taret, non contentus studia sua orientalibus decorasse uictoriis, Angliam, infelicitate amissam, hereditatis duxit nomine repetendam. Recolebat enim, bellicam maiorum gloriam cumque opibus imperii fines nullo magis quam Anglicis creuisse titulis, maioremque eis ex unius insule quam tocius orientis spoliis incessisse splendorem.
35 A quorum imitacione deficere stolidi ac degeneris animi esse, saciusque regno carere quam inter paruule telluris angustias inclusum maiestatis usum habere. Vt ergo negotiorum conformitate maiorum fortitudini responderet,
40 operamque eorum studiis consentaneam ederet, atque auiti

nominis gloriam equaret, omnium, que paterna corrupisset
 inercia, refectionem sue commendabat industrie, parentemque
 perosus auum emulatus est. Primum igitur occultum
 5 Olauo consilium prodit, eoque id ipsum hortante, rem
 deinde popularibus aperit. Alacris omnium assensio fuit.
 Sed, quem rex sibi fraterne caritatis uicissitudine respon-
 dere crediderat, latenter emulum habebat, insidioseque
 eius adumbracionis ignarus, affectum referri sibi, quem
 ipse impenderet, estimabat. Quem etsi prudencia secus
 10 monuit, sanctitas tamen malignam de fratre suspicionem
 referre prohibuit, ne consanguineam fidem temere damnare
 inque fraudis metu hostes ac necessarios iuxta ponere
 uideretur. Verum Olauus, affectacione regni pietatis erga
 germanum oblitus, perfidissimi pectoris habitum summa
 15 fidei simulacione tegebat, uulgatumque regis propositum
 non solum adulacionibus fuit, sed eciam hortamentis in-
 struxit, non quod potentissimum regnum ab eo recuperari
 posse speraret, sed ut imperate rei difficultatem in odium
 imperantis conuerteret. Enimuero fratris animum fastidiose
 20 estimans, piissimum eius amorem parricidali fraude pen-
 sabat. Nam cum eum, quod neglectam ante seueritatem
 nouis legibus restituisset, ciuibus inuisum animaduerteret,
 quo odium eius cumulacius redderet, quod publice disipli-
 ceret, priuatim exequi stimulabat. Et ne solus insidias
 25 uolueret, lecta societate, clandestine coniuracionis cetum
 instruxit. Nec frustra ingenium fuit. Quippe primores,
 quorum uiolencia regiis sanczionibus retusa fuerat, parri-
 cidalis cum Olauo propositi consorcium habuerunt. Ka-
 nutus uero, omnium animos glorie magis quam sceleri in-
 30 tentos existimans, imperata classe, Lymici maris oris adue-
 hitur, a quo breuissimus in Oceanum transitus patet,
 quondam nauigiis peruius, nunc uero interiecta harenarum
 mole preclusus. Hic rex fraternum diu prestolatus ad-
 uentum, nauigandi cunctacione exercitus alacritate est ex-
 35 cussus. Nam Olauus, redditu tarditatis racione, ueniendi
 moram in dies extraxit, commentumque* cassande expedi-
 cionis excogitans, alimenta perfidie mendaci impedimen-
 torum simulacione querebat, eo moram trahere cupiens,
 donec aut regem sine eo proficiscentem interim ipse regno
 40 priuaret, uel tarditate suspensum exercitu[m] destitueret,

p. 584

cxvi.

rexque uel desertorum impunitate despicabilis uel pena
 cunctis inuisus euaderet. Ita et fratrem et dominum ad-
 uentus sui cunctacione ludificans, tam uafre tamque || in-
 sidiose racionis commento generosi ac fortis propositi moli-
 5 cionem subruere conabatur. Nec eum callida consiliī racio
 fefellit. Nam tota a rege classis, fastidita eius expecta-
 cione, | defecit. Rerum enim, que a fratre gerebantur,
 ignarus, morantis aduentum sepenumero mandatis exegerat,
 cum tandem de eius perfidia cercior factus, classe presto-
 10 lari iussa, Slesicum lectissima manu festinato contendit,
 ibique fratrem inopinatum et attonitum intercepit. Deinde
 productum accusatumque nec obiecta ualide propulsantem,
 perinde ac conuictum impotentemque defensionis, compediri
 a militibus iubet. Qui indebitam regio sanguini
 15 contumeliam suis manibus amministrandam negabant; cuius
 tanta apud ipsos ueneracio fuit, ut ex eo ortos morte
 quam uinculis mulctare mallent, tolerabilius rati, quod
 communis condicio admittit, quam quod seruile supplicium
 exigit. Sed et gentis nostre uerecundia summam in uin-
 20 culorum pena turpititudinem reponere consueuit, hisque
 affici omni fato tristius dicit, ingenuas mentes probroso
 quam cruento suppicio puniciores existimans, tantoque
 alterum altero speciosius censens, quantum nature habitus
 a fortune uicio distare creditur. Mandatam militibus
 25 operam communis frater Ericus exequitur, plus iusti im-
 perii quam iniqui germani respectui tribuendum, nec san-
 guini parcendum, dum uicia puniuntur, existimans. Quippe,
 quem uirtus defecerit, nullam stirpis reuerenciam obtainere,
 animique labē fedum omnem generis infuscasse splendorem.
 30 Igitur non tam fratri nomen quam parricide propositum
 intuebatur. Adeo sanguinis precium euilescit, cum se mori-
 bus ignobilem fecerit.

Post hec rex Olauum, catenis coercitum nauigioque
 in Flandriam relegatum, carcerali custodie mandandum
 35 curauit. Cuius capcionem coniurati parum fama aut nuncio
 experti, quo callidius exercitum soluerent, inertem regis
 moram absenciamque causati, classem clandestino monitu cir-
 cunuentam domos abire iusserunt. Quam rem si quis palam
 exhortatus fuisset, publicatis bonis aut in exilium agi aut
 40 capitali suppicio affici lege merebatur. Quamobrem

(218)

p. 585

p. 586

defecionis incentoribus tutissimum uisum, ut sine ullo
 auctore ipse sibi populus desercionis licenciam uendicaret,
 ne tam priuatum discessionis crimen quam publicum ha-
 beretur. Tantum autem apud improuidam multitudinis
 5 temeritatem insidiosa magnatum racio ualuit, quod plebs,
 non minus eorum auctoritate, quam more tedio adducta,
 fidentissimam reuertendi libertatem acciperet. Cuius facti
 rex cognitione suscepta, dolorem prius, deinde leticiam
 egit. Siquidem iniuriam in religionis habitum formauit,
 10 muleteque nomine primam exigendarum decimarum oc-
 casionem corripuit, letatus, quod ei utilissimam propositi
 racionem opportunitas conciliasset, suoque dedecore sacro-
 rum decus instruere cupiens. Cumque magnates Olauum,
 quem sibi faccionis ducem futurum sperauerant, a fratre
 15 interceptum audissent, proposita fraude defecti, summam
 eius dissimulacionem egerunt. Itaque rex, accersita post
 modum concione, docet, quantum Danicis armis militaris
 semper disciplina profuerit; maiorum imperiis a minoribus
 semper obtemperatum fuisse; regum auctoritatem popu-
 20 laribus inniti suffragiis; principum famam nullo magis
 quam militum fide creuisse, eorumque nullius momenti
 imperium esse, si non plebeiis subsistat auxiliis; sibi uero
 nuper ignotam regibus* contumeliam obuenisse. Inusitate cxvi
 defecionis auctores hebetudinem audacie pretulisse, audi-
 25 tate ocii speciosissime rei negocium subruisse. Adiecit
 quoque, quanta pecunie summa ob impium desercionis
 crimen damnari meruerint, gubernatorum singulis quadra-
 gena nummum talenta, terna remigum unicuique mulete
 loco numeranda proponens. Nemine collacionem abnuente,
 30 promissa eris solucio est. | Quo cognito, remittere se Kan-
 nutus illam exaccionem, si sacerdotibus decimas erogare
 uoluissent, edixit. Tunc concio, petita consulendi licencia,
 paulisper a rege deliberatura secedit, an propositis satisfieri
 condicionibus oporteret. Vtraque exhibitu difficilis estimata.
 35 In soluendo namque || ere complures inopia afficiendos
 credebant; decimarum uero pensionem, omni euo celebran-
 dam, eternam debtoribus infligere seruitutem. Igitur, quasi
 in tristium rerum contextu minus aspere delectum fakturis
 acerbior uisa, cui comes diuturnitas affuisset. Nam cum
 40 altera se tantum, altera posteros quoque puniendo aduer-

terent, presentem inopiam perpetuo muneri pretulerunt. Itaque temporum estimacione facta, quo sibi tantum, quam quo posteris penam crearent, culpam redimere preoptantes, semel ere, quam semper libertate defici maluerunt, iure 5 elicitum dedecore uacuum, persuasione extortum probro obnoxium rati. Quin eciā annuam alienis frugem depen- dere ignominie, non religioni affinere censebant. A quibus cum rex deteriorem condicionis partem approbari uideret, simulata pecunie exaccionē, septentrionales Iutie partes in-

10 gressus, Tostonem cognomine Peculatorem eiusque collegam, Hortam, colligende pensionis questores instituit, mulcte metu decimarum religionem asserere cupiens. Iisdēm de- fectorum res, estimatis possessionum preciis, intactas dimit- tere iussum. Qui mandatum immicius, ac iussi fuerant,

15 executi, iniqua plebem exaccionē pulsabant. Quam rem emuli regis in popularium concilio deplorantes, calumniam mendaciis exaggerabant. Veris quoque maiora fingentes, inuisos cunctis reddidere questores. Quippe militum opus, non regis imperium iudicabant, nec iubentis, sed iussi p. 588

20 studium intuebantur. Quorum instinctu multitudo questores adorta, communem iniuriam publica consternacione cohibuit, magis, quid fieret, quam quid fieri iussum esset, inspiciens. Nec eorum cedibus saciata, in regem quoque uesana pro- rupit. Qui impetum eius opportune sua ratus absencia 25 declinandū, Slesuicum concessit, ibique coniugem cum filio constitutam, si res sinistre cessissent, perfugere in patriam iussit, nullum inter perfidos presidium habituram. Siquidem intempestiuum regno heredem domesticorum ar- bitrio relinquere uerebatur. Igitur Wandali, solam sibi in

30 armis libertatem restare credentes, fuge eius perinde ac uictores insultare céperunt. Qui cum, imminentibus Iutis, et uetera auxilia deficere cerneret, nec noua temporis angustie contrahi sinerent, quo tucior secessu foret, Fio- niam petit, salutem insule presidio quesiturus. Vbi nihil o-

35 minus indignam religiosissimo spiritu suo uiolenciam ex- pertus est. Hinc enim Iutis aucta seiendi fiducia con- citatam multitudinis temeritatem exacuit, hinc grassandi presumpta libertas tristem regi procellam inflxit. Sane populares, pene metu ceptum omittere ueriti, perseueran-

40 ciam sceleri exhibēdam duxerunt. Neque enim bis lesu-

penam noxiis remissurum credebant. Ideoque eius exicium sicientes, ardentissimo odio sanctissimi uiri necem petebant, ac, ueluti uenic desperacione compulsi, hostem tollere quam ultorem experiri maluerunt. Nec suis eum finibus exegisse contenti, Fonia quoque propellendum decernunt. Iamque rex, accepto traiectionis nuncio, Sialandiam emigrare statuerat, cum Blacco quidam, primam ipsius familiaritatem adeptus, sed nihilominus eum occulte perosus, simulate fidei consilio hortatur, fuge parcat, Othoniensis pagi presidia expetat, nec femineo more latebram circunspiciat; se interim plebis acta speculaturum blandiciasque ire eius oppositum promittit. Quod si plebis animum mitigare nequisset, tanto ante id regi pronunciaturum, quantum fuge occupande sat esset. Consilio obtemperatum est. Tunc Blacco, omissa legacione, sinistris plebem monitis palpitans, conciliande gracie loco odium regi impensius struit. Hortatur, quam celerrime calumnie auctorem occupent, nec fugacem elabi permittant; oppressionum uindices tyrannum, non regem fastidire commemorat; carere culpa, quod honestatis emulacione committitur; patrie tutores perinde ac pietatis ministros parricidio exui; priuatum abesse crimen, ubi publice libertatis uindicta peragitur. Preterea miserrimos cepti irritos, compotes felicissimos fore. His atque consentaneis modis sollicitato in regis necem populo, aduersum immerentis caput funestos omnium conatus erexit, eaque accione consternatam amencia plebem ueluti furiali quadam face succedit; statimque impetus creuit, ubi hortatorem habere cepit. Neque enim temeritati eius constanciam suam obiecit, sed publice sese demencie auctorem ascripsit. Igitur incitacior sedicionis procella pestifera eius concione deferbuit, grauiorque tempestatis incentorem naete tumultus erupit. Inde reuersus pacaciorem populi animum nunciat; facile consternacionis procellam acquiescere, si rex iram mutuo deponere reisque penam remittere uoluisset. Quem rex fidum legacionis ministrum ratus, regalis magnificencie conuiuio excipit, malignumque sue pietatis interpretem donis prosequitur. Vtrobique gracia perfidie habita est. Nam Blacco, alterna partes uice subiens, corrupto legacionis officio, pro mediatore proditorem agere cepit, atque ex speculatoro sceleris hortator euasit, sinistre regis, falso

p. 589

cxvii

(220)

plebis animum interpretatus. Ita pellacis uiri mendacium, legacionis titulo inuolutum, regem pariter ac populum fefellit; hunc, ne imminentem uitaret, illum, ne | parceret expectanti. Eundem die postera rex prioribus paria pollicentem ad speculanda sedicionis acta dimittit, communemque hostem inter se et uulgum creande pacis auctorem assumpsit. Nec solita legato perfidia defuit. Cuius pestiferis monitis instincta plebs uehemencius aduersum regis caput consternacionem destrinxit. Kanutus interim, cotidianis sacrorum solennibus assuetus, nequid religioni preponeret, Albani edem sacram pro se deprecaturus accedit. Quippe precibus [d]eum, quam hostem armis, nequid caritati detraheret, aggredi preoptauit. Vbi dum religioni uacando officia sanctitatis exequitur, consternate multitudinis corona armis sacrarium clausit. Quotquot ergo ex militibus hostem precurrere poterant, periculi consorcium affectantes regem petebant, eius in se ipsos discrimen transfundere cupientes. Cumque salutem secessu consequi possent, periculum presencia quesierunt, morteque claris quam fuga tuti fieri maluerunt. Quanta porro humanitate clientelam hanc abundasse credemus, que, ne infelicem domini fortunam desereret, periculo sese, quod uitare licet; opposuit, inque magna fugiendi copia salutem regis quam suam tueri sacius duxit? Benedictus quoque, fraternalitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori destinauerat. Ericus uero, seorsum ab hoste conclusus, cum solus multitudinem sustinere nequiret, per medios hostium globos ferro secessum molitus erupit. Tunc, nemine religiose pacis domicilium uiolenter irrumpere presu-
mente, primus Blacco, cunctantibus ceteris, ferro ualuuas petiuit, ductuque suo eandem cunctis licenciam tribuit. Ita se non sacrilegii modo, sed eciam publici parricidii ducem auctoremque exhibuit. Quod uidens plebs concitato sedicionis motu templum aggreditur, coque irrupcione facta, diuinos lares ac sanctissima penetralia sacrilega tempestate fedauit. Verum Blacco in ipso, quem irruperat, aditu trucidatus, datis parricidii piaculis, uiolati sacrarii penas peperdit. Mors eius interactoris exitu vindicata est. Itaque alterius fato scelus, | alterius pietas causam prebuit.
Crediderim, tunc pium cruentum parricidalii permixtum se-

p. 590

cxvii
p. 591

paratis fluxisse meatibus, atque sine ulla riuolorum communione hinc sacrum, inde scleustum sanguinem diuiduis alueis incessisse. Benedictus liminibus irruptorem excipiens, dum foribus acrius propugnat, occiditur. Rex ipse inter 5 cruentos imminentis uiolencie strepitus fiducia conscientie eundem mentis habitum tenuit, neque religioni parcus, quam si periculum abesset, uacauit, ne plus ab eo timoris quam constancie uiribus indulgeretur. Sed ne extrema quidem eius hora sanctitatis studio uacula fuit. Nam cum 10 parietem undique a popularibus perfringi (quippe ligneus erat) ideoque propinquam sibi necem instare animaduerteret, accersito sacerdoti factorum arcana confessus, per summam meroris acerbitatem preterite uite culpas absoluit, premiumque sibi penitencie salubritate con(s)civit. Tantum enim 15 in innocencia sua fiducie reposuerat, ut mortem non periculo oppressus refugere, sed metu uacuus appetere uideretur.|| Quin eciam propassis utrinque brachiis ante aram fati securus occubuit; ubi dum uictime more prostratus percussorem expectat, immisse per fenestram lancee mortifico 20 iactu confossus, pium mortis sacrificium edidit, profusoque militum sanguine, suum ad ultimum erogavit. Enimuero crebris undique telis petitus, corpus immobile tenuit, nec ante loco, quo cubabat, exēssit, quam feretro mandaretur extinctus. Ex cuius sanctissimis uulneribus plus glorie 25 quam crux effluxit. Quippe presentis uite exitu inicium melioris accepit, hostili iudicio punitus, diuino seruatus. Felix eorum parricidium, qui, quem terrestrium uirtutum orbe exemerant, celestium usibus applicabant, caducaeque et fragili potencia spoliatum solide atque eterne felicitatis 30 compotem statuerunt. Sed et clandestina eius uirtus per lucidis post modum experimentis enituit.

Hec audiens regina patriam cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filiabus; ex quibus Ingertha, Folconi, Suetice gentis nobilissimo, nupta, Benedictum Kanutumque filios habuit, hisdemque mediantibus, Birgerum, qui et nunc exstat, Suetie ducem, cum fratribus suis nepotem accepit. Verum ex Cecilio matrimonio Ericus, Gothorum prefectus, Kanutum cum Karolo procreauit, ex quibus generosissimarum imāginum numerosa posteritas clara pro- 40 pinquitatis serie coherens emersit.

At populus, perempto rege exultans, quod scelus
 deflere debuerat, insultacione prosequi uoluptatis loco re-
 putabat. Qui cum parricidio pietatis causam pretexeret,
 idque tyranvicidii nomine coloraret, militem suum deus
 5 mercede fraudari non passus, arcanam sanctissimi uiri in-
 nocenciam manifestis publicauit indiciis, eximioque uite eius
 splendori eciam clara mortis ornamenta concessit. Sane
 ad coarguendam pàrricidarum maliciam puniti merita mi-
 raculosis prodidit argumentis, ignotamque uulgo uirtutem
 10 mirifico rerum fulgore detexit. Quorum plebs ammiracione
 perculta uirtutis inuidiam egit, conspicuamque signorum
 experientiam diu nequicquam infuscare tentauit. Veteris
 namque inuidie fremitu ac pristinis odii uiribus pertinacius
 15 excandescens, adduci non poterat, ut diuinis honoribus
 coleret, quem ob scelus a se imperfectum putaret, rem
 celitus declaratam humanis argumentis abnegare conando.
 Quanquam enim damnatos a se mores celesti iudicio com-
 probatos uideret, ad dissimulandam tamen occultandamque
 20 miraculorum fidem iustum cedis causam fingebat, firmam-
 que facti tuicionem retinens, sentencie sue perseuerantissima
 propugnatrix existere non erubuit. Nec uita regem spoli-
 asse contenta, eciam fati laudibus exuere conabatur, cuius
 lucem extinxerat, famam quoque sepelire connisa. Sed
 25 humanis tenebris diuinus splendor inuolui non poterat.
 Quippe miraculorum nitor dubietatis caliginem clara rerum
 luce pellebat. Nam sanctitatis eius medela uarias imbecili-
 li*tatum affeciones remediorum salubritate prosecuta est. CXXVIII
 Cumque obtrectancium liuor crebrescentibus signis uirtuti
 30 cedere cogeretur nec fidem ulterius frustrari quiuisset, in
 facti tamen defensione persistens sanctitati quidem assensit,
 sed eam non tam ex preterite uite meritis quam ultimi
 temporis penitencia profectam astruxit. Ita et iustum facto
 causam pretexuit et uita cassum honore donauit. Siquidem
 35 digne regem perisse, sed pium lachrymis euasisse dicebat,
 intencionem eius auaricie quam religioni propiorem existi-
 mans. Cuius erroris non paruas post modum penas pe-
 pendit. Sed et posteri, paternam redolentes inuidiam, san-
 citatis eius formam non moribus, sed lachrymis imputant,
 presentique incredulitate preterito sese errori implicant.
 40 Neque adduei possunt, ut ipsius beatitudinem, deposito

odio, syncere estiment. Verum sacra eius, oppidulo orta,
toto pene terrarum orbe fulserunt, cultusque ipsius, | pri-
mum a ciuib⁹ exceptus, paulatim in commune prorepsit.
Cuius tam uite quam miraculorum uirtutem, priuatim
5 Othoniensibus uenerandam, publica e<ci>am religio conse-
crauit. Sed et celestem eius || spiritum ad hoc usque tem-
pus felix signorum fortuna prosequitur. Hinc est, quod
Kanutus, diuini iam animi immortalitate potitus, ut ter-
stribus patriam patroeiis attollere studuit, ita celestibus
10 protegere non desistit; ideoque sanctitas eius, glorie et
celebritatis fructu opulentissima, splendidum in fastis locum
obtinet. Quin eciam salutares effectus suos cotidianis
amministrat indiciis maliciamque patrie beneficiis pensat.
Nam uirtutum eius insignibus omnis etas Danica gloria-
15 bitur. Talibus illustracionis radiis sanctorum fatis claritas
erogatur, cum celesti beneficio mortalis liuor opponitur.

EXPLICIT LIBER VNDECIMVS.

SAXONIS GRAMMATICI

p. 595

HISTORIE DANICE

LIBER DVODECIMVS.

Interfecto Kanuto, Iuti, inique societatis pertinacia
5 singularem Olaui graciā amplectentes, creari eum regem
alacerrimis petuere suffragiis, hunc sibi plurimum gracie
relaturum sperantes, cui tanto regnum discriminē que-
siuissent, neque eius fratribus hunc honorem, eximio Kanuti
amore suspectis, ergandum duxerunt. Igitur pecunia
10 pacta, Nicolaum, communem tam preteriti quam futuri
regis germanum, uadem pro eius redempcione dederunt,
receptoque regnum imponunt. Nec parnum Nicolaus fra-
terne caritatis specimen edidit; siquidem fraternalis induere
catenas suisque uinculis germano regnum emere non dubi-
tauit. Quod audiens Ericus, contumelie memor, quam ei
15 communis fratri iussu inflixerat, ulcionis metu cum con-
iuge Botilda, que Vluoni Gallitiano ex filio Thrugoto neptis
obuenerat, Suetiam petiuit. Dani uero, collato certatim
ere pro sponsoris reditu, paetam creditorī pecuniam
20 numerarunt. Quem, Flandrensi custodia liberatum, infesta
parricidis fortuna ueluti cladem aliquam nostrorum abun-
dancie ac fertilitati iniecit. Nam cum Dani noui regis
iniciis applaudentes pristine ruine procacius insultarent,
criminosis semper infensa diuinitas, ne diu scelus impunitate
25 floreret, petulanciam penuria rependere uoluit, communique
inopia publici parricidii iusta exegit piacula. Ut enim non
in singulos modo, sed in uniuersos animaduerteret, summa*
aeris intemperancia anno|rum, quibus Kanutus regnum

p. 596

CXVIII^b
p. 597

gesserat, numerum adequauit, celestique robore humana
 ui maiores edidit ulcionem. Quippe uerni estiuique tem-
 poris feroore satum omne coaruit; autumnale uero adeo
 5 pluuum fuit, ut, siquid locorum humilitate palustrine
 madore alitum succreuisse, perseveranti imbrum inundatione
 decideret; quanquam contrarium celi habitum humiane
 commoditatis racio flagitasset. Igitur opportuno solsticium
 humore caruit, eundemque sine modo profusum siceum
 amans Sextilis excepit. Tunc plane camporum facies
 10 celestibus imbribus inundata late patentis stagui speciem
 prebere conspecta est. Ita, quod estas egre genuit, au-
 tumnus oppressit; tantaque temporum intemperies extitit, ut
 nec imber estum leniret nec estus imbris illuuieni tempe-
 raret. Quin eciam agrestes, aquis campos tegentibus,
 15 supernacia spicarum capita demetentes nauiculis excipie-
 bant, ac deinde putres aristarum reliquias fornacibus igni
 percalefactis exsicandas mandabant, sicque eas mole subii-
 cientes, quia panem prestare non poterant, in usum pultis
 uertebant. Quamobrem tanta ciborum penuria incessit, ut
 20 maxima populi pars alimentorum inops inedia consumeretur.
 Ea res locupletes inopia, pauperes morte mulctauit, maiores
 que ere, minores spiritu spoliauit. Nam diuitum populus,
 non suppetentibus alimentis, auro argentoque salutarem
 25 comparauit impensam; pauperum uero gregem, tam census
 quam dapis inopem, horrida passim fames absumpsit. Rex
 ipse, ad ultimam tabem redactus, plurima fruge latifundia
 permutabat, agrisque uenire iussis, alimenta possessionum
 preciis comparabat. Nobilibus in eundem usum ingenuitatis
 insignia erogare rubori non fuit. Enimuero abunde seges |
 30 finitimis erat, ut priuata gentis, non publica terrarum
 uleio uideretur. Que tam dira clades conuictum populi
 animum sanctitatem <Kanuti>, quam antea detrectauerat,
 fateri coegit, deque celsitudinis eius contemptoribus uene-
 ratores effecit. Sane tam euidens pena, aliis fruge abun-
 35 dantibus, Danis priuatim ingruens, et parricidarum noxam
 et perempti innocenciam liquido argumentata est.

Hanc pestem Sueno pontifex, cuius summa apud
 Danos auctoritas erat, populo parricidii penitere permonito,
 incessuram predixit. Quippe in plebem pius, in deum
 40 uenerabilis habebatur, religionemque attenciore cura, con-

(223)

p. 50

ciones prestanciore facundia celebrabat. Ita fauore omnium
 occupato, arcem inter nostros auctoritatis atque eloquie
 fastigium possidebat. Subiectorum mores non solum dictis,
 sed eciam serenissimis operum informabat exemplis, nec
 5 uoce quam mente concinnior fuit. Idem, perfecta Trinitatis
 ede, in exedificando eius ambitu Kanutum religiosi operis
 socium habuit. Nec minorem in extruendis Marie sacrariis
 operam gessit. Quippe unum in urbe, alterum Ryng-
 st[i]adi*s* enixe molitus, tercium Michael*i* Slaglos*i* e
 10 condidit. Adeo se sanctorum penetralium singulari cultu
 flagrare monstrauit. Nec domestica sanctitate contentus,
 augmentum eius foris petere, arrepto peregrinandi labore,
 constituit. Cumque Hierosolymam proficiscaens Bizantium
 peruenisset, contracta uarii generis ornamenta cum sacro-
 15 rum cinerum reliquiis in necessarios usus domestici templi
 remittenda curauit. Sed cuius Grecia pietatem uidit,
 mortem Rhodos aspergit. Iisdem fere temporibus, absumpto
 Richaldo, Ascerus, morum generisque splendore eximus,
 Lundensi potitur sacerdocio.

20 Olauus cum bis pene lustrum regnando condidisset,
 inter continuas rei familiaris angustias nihil regali magni-
 ficencia dignum exequi poterat. Sed et finitimi, facto
 paupertatis eius contemptu, famelicum ferro incessere
 ruboris loco duxerunt, rati, inediā armis obrui non oport-
 25 tere, neque diuinitus afflictum humanitus premi, aut cele-
 stium uindictam mortalium uiribus exaggerari. Cui enim
 inuidiosum existeret regnum contemptissima tot annis inopia
 profligatum? Cum rex, diuinum natalem celebrans, pane
 in domo non suppetente, ieunios circunquaque penates*
 30 aspiceret, erubescenda mensarum inopia magnopere confusus,
 obducto manibus capite suffusaque lachrymis uultu,
 per summam animi egritudinem temporis difficultatem
 gemitu prosecutus est. Sane tantulam dapem tot conuiuis
 apponi defleuit, contemptissimam famem honoratissime lucis
 35 ignominiam iudicans. Qui michi alienam specie, suam re-
 uera deplorasse uidetur inopiam. Deinde, supplicacione
 habita, superna contutus auctorem omnium deum, ut, si quid
 ire aduersus populum concepisset, suo, non eius periculo
 saciat, orauit, infelicissimum patrie statum difficillimum
 40 temporis habitum estimans. Quippe tam inops epularum

p. 599

cxix.

conuiuium, quo famem instruere pocius, quam pellere uideretur, | principum oculis subiicere erubescēbat. Nec difficiles numinis aures habuit. Siquidem celerem fati uiam obtinuit, sibique mortem, salutem patrie (si qua modo parri-
cidis uirtus inest) pia prece con(s)cuit, ingenuoque uiuendi pudore maxime clādis penam auertit. Itaque memorie eius speciosius depōsta uita quam gesta ascribi potest, qui fatum patrie finiendi spiritus causam habuit. Porro, quantum caritatis erga suos cordi insitum haberet, aperuit, cum
10 et eorum mala proprio capite luere uellet et commune periculum ad se solum redun[dare] deposceret. Nempe,
quia suam pro ciuium salute deuouit, pii animi titulo fraudandus non est. Fortuna siquidem famem cum auctore suo pari funere extulit, inediāque sacietate mutauit.

15 Huic Ericus, natu proximus, e Suetia reuocatus, magno omnium fauore sufficitur. Huius etas periclitanti populo labentis annone subsidia reparauit, segesque tempestiu imbris beneficio uisitata conualuit. Nam, regnante eo, agrorum habitus ad tantam ubertatem excessit, ut singuli
20 cuiuslibet annone modii totidem denariis permutarentur. Sed et continuis regni ipsius annis eadem | agris ubertas incessit. Quo euenit, ut non solum ex morum, sed eciam temporum placidissimo usu Boni cognomen acciperet. Tunc plane penurie copia, inopie successit abūndancia. Huius
25 uiri uirtutes summatim cognoscere tedio non sit. Nam preter ingencia animi decora singularibus nature incrementis euectus ammirabili corporis magnitudine eo proceritatis excesserat, ut ceterorum uertices humeris superaret. Nec longitudini inconcinna soliditas fuit, ut totam eius com-
30 pagem exactissimo nature ingenio excultam elaborata mque putares, que corpori granditate conspicuo consentaneum uirium habitum conciliauit. Igitur ut corpore nullum, ita nec robore parem habuit, cum stature laude egregia quo-
que uigoris ornamenta sortitus. Haste aut lapidis iactu
35 sedens stantes uincebat, neque illi situs, quo minus fortitudinis sue experientiam ederet, officere potuit. Eodem corporis situ ex robustissimis duos lucta aggrediebatur; dumque alterum attractaret, alterum genibus compressum urgebat, nec ante destitit, quam prius hunc, deinde illum
40 pedibus subiiciendo amborum manus post terga uinciret.

Nec minori robore funicularum certamen exhibuit. Quippe unum dextra, alterum sinistra continuens, eorum extrema quatuor prestantibus robore ex aduerso distrahenda commisit. Quibus eum nequicquam sede sua detrahere labo-
 5 rantibus, ipse funem utrinque modo dextra, modo leua corripiens | ingenti fortitudine effecit, ut aut tenentibus restim excuteret aut eosdem ad se magnopere renitentes appelleret, funemque ducere nequeuntes sequi cogeret. Eadem quoque speciosissimus uocis habitus fuit. Siquidem
 10 conciones non solum prestanti facundia, sed eciam tanta pronunciacionis amplitudine celebrabat, ut in accionibus non solum a presentibus, sed eciam a procul positis liquido exaudiretur. Preterea ad conciliandam sibi popularium beniuolenciam in extrema accionum suarum parte mandati
 15 loco subnectere consueuerat, ut uiri coniuges suas ac liberos, nec non et seruos,* cum primum domos redissent, sub eius
 20 titulo consulatacionis officio prosequerentur, suum se cuique i[lli]us seruaturum promittens, communemque cunctis in exhibendo equitatis cultu debitorem affirmans.
 Verum hunc corporis eius animique fulgorem sola libidinis uis tetris intemperancie maculis obscurabat. Siquidem coniugalis copule tedio Veneris usum pellicum cubi-
 25 culis intentum habuit, quanquam ei fortuna uxorem forma ac moribus conspicuam sociasset. Nec defuit Botilde tolera-
 bunda mens ad insolenciam mariti sustinendam. Puellas
 30 siquidem, quas ab eo adamari persenserat, materne dilec-
 tionis officiis prosequebatur, easque, quo prompecius mariti studiis indulgeret, quoad uixit, inter pedissequas habuit.
 Quarum ut formam quoque concinniorem efficeret, sepe-
 35 numero capitum earum cultum propriis manibus exhibebat; cumque abunde foret iram abiecisse, addidit caritatem, et,
 quia sua specie non potuit, aliena marito placere uoluit,
 uirique in eis affectum colere quam lesionis sue uindictam agere preoptauit, ne clarissimum ducem turpitudinis reum
 40 ageret. Etenim amoris sui raptrices officiis quam odiis insequi speciosius duxit. Itaque non solum mariti flagicium dissimulacione texit, sed eciam absque respectu pellicatus odium merentibus graciam erogare sustinuit, ueneracione contemptum, obsequiis iniuriam pensans, eoque facto claris-
 sum muliebris pacientie exemplum prebuit. Quin eciam (225)

p. 602

cxix^b

p. 603

singulari moderacionis beneficio posteritati insignem nominis sui memoriam commendauit. Fuere Erico filii Haraldus, Kanutus et Ericus; sed primus concubina, secundus matrimonio, tertius adulterio oītus proditur.

5 Nec mansuetudinis spiritus regis fortitudini defuit, qui ut crudelitatis alienus, ita socordia uacuus medium inter desidiam ferociamque temperamentum teneret. Eiusdem quoque seueritas benignissime popularibus affuit. Ne enim potentum avaricia equitatis vinculum labefactaret, 10 petulanciaque iuris hebetudinem pareret, insolencie rigorem opposuit, et, quo plus a peruersis loco destitit, hoc magis per imperium nocuit. Quippe, cum a popularium oppressoribus parum per absenciam timeretur, eosdem subita satellitum manu interceptos suspendio consumendos curauit. 15 Quo facto quid aliud quam iniurie pondus arborea lance pensauit? Quamobrem maioribus formidolosus, minoribus percarus euasit, cum hos paterna indulgencia, illos regia seueritate insequeretur. Filias quoque complures ex concubinatu habuit; quarum unam Haquino cuidam, Beroniane 20 necis ulcionem pollicito, premii nomine nuptum dedit. Frater siquidem Erici Bero, Hol|satiis Dytmersisque subactis, eo loci, ubi Wermundi filium Vffonem cum duobus Saxonice gentis lectissimis manum duelli nomine conseruisse proditum est, inunctionem inhibende defecionis causa molitus, uallo 25 fossaque insulam cinxit. Cuius dominacionem popularium quidam priuatim perosus, concionantis latus hasta transfixit.

Ea tempestate Scelauorum insolencia, diu Danice rei miseriis alita, (quippe magis ociiis Olaui prouecta, quam ullis eius negociis retusa fuerat,) piratica nostros acerrime 30 lacessebat. Sed et Autonem quendam, splendidissimo loco natum, Falstriam e Sialandia petentem, morique quam intercipi preoptantem, occidit. Enim uero ingenita Danico sanguini virtus captiuitatis sortem omni fato tristiorem existimat. Quam rem Skialmo Candidus (frater hic Autonis 35 erat) in celeberrimis Danorum conciliis querelarum frequencia prosecutus extudit, ut auctoritate eius motum uulgas unius necem omnium manu ulciscendam decerneret. Adeo quippe regia maiestas popularem euexerat, ut ei decernendarum expeditiōnum ius esset, armisque publicis non imperium 40 principis, sed plebis arbitrium presideret. Preterea Alli

et Herri, Scanie oriundi, sed eius usum facinoribus demeriti, Iulinum, certissimum Danorum profugium, proscriptorum titulo petiuerunt. Cuius enixe negotia consecantes maritimisque patriam latrociniis | incessentes, rem Danicam atrocius profigare ceperunt. Tunc Danica iuuentus Iulinum adorta, fractos obsi*dione ciues, quotquot intra menia piratas habebant, cum pecunia paccionis nomine prebere coegit. Quibus nostri in potestatem acceptis, lese patrie penas crudelissima mortis ratione expetendas duxerunt. Nam quo uiolenciore eos morte consumerent, reuinctis post terga manibus, palis primum affigendos curabant, deinde uentrum caua cultro rimati, nudatis extis primaque uiscerum parte protracta, cetera stipitibus explicabant, nec ante supplicium remiserunt, quam tortos, extis funditus alio egestis, horride rapacitatis spiritum profundere coegissent. Quod spectaculum ut specie triste, ita re nostris perquam utile extitit. Non solum enim reis penam inflixit, sed eciam ceteros consimilem erueiatus causam uitare permonuit. Itaque non minori uisentibus documento quam afflictis supplicio fuit. Nec semel quidem Ericus Sclauici roboris amplitudinem pressit et neruos debilitauit, sed iterum ac tercio effrenata gentis illius ingenia tanto tempore retudit, ut nulla eum ulterius piratici estus procella pulsaret.

Interea, defuncto Egino, Ascerus, clarissimo inter Iutos loco natus, Lundense sacerdotium sumpsit. Forte autem Hamburgensis antistes ob inanes || et falsas suspiciones Ericum execracione multitudinem censuerat. Quod ueritus rex appellacione senten|ciam precucurrit, Romamque e uestigio petiuit; ubi cause sue examine diligencius habitu, pontificis accusacionem potenter reppulit, cunctisque defensionis partibus actore superior rediit. Nec contentus efficacissimum cause diccionis sue propugnatorem egisse, aduersarie partis odio penetralium sacrorum decus externo sacerdotio subiectum habere passus non est. Quamobrem Romam regressus, tum se, tum eciam patriam ac domestica sacra Saxonica prelacione liberari petiuit, ne religionis ratione exteris ad modum obsequi cogeretur aut eius disciplinam ab alienigenis petere necesse haberet. Nec difficile curie consensum habuit. Que ne clarissimum uirum repulsa afficeret, tum dignitatis, tum eciam fatigacionis

p. 605

cxx*

(226)

p. 606

eius intuitu mota, peticioni annuit, seque regnum ipsius summi sacerdocii insignibus adornaturam spopondit, atque ea promissorum spe regem a se exhilaratum dimisit.

Sed tristioris fortune, quod sequitur. Reuersus namque

- 5 Ericus, cum more regio domi in propatulo cenitaret, inter alios quendam musice rationis professorem adesse contigit. Qui cum multa super artis sue laudibus disputasset, inter cetera quoque sonorum modis homines in amenciam furoremque pertrahi posse firmabat. Quin eciam tantas fidibus uires
 10 inesse dicebat, ut, perceptis earum modulacionibus, astantes mente constatueros negaret. Cumque, an eiusmodi usu calleret, interrogatus periciam fateretur, tum precibus regis, tum eciam minis effectum presentare compellitur. Qui cum nec uecordie metu nec periculi prediccione imperantem
 15 auertere potuisset, ne furori nocendi materia suppelteret, primum ede armis uacuefacta, complures extra auditum cithare in ambitu collocandos curauit, oriente uesanis strepitu fores irrumpere ereptamque manibus suis citharam capiti illidere iussos, ne ulterior eius modulacio superuenientes quoque mente captos efficeret. Monuit quoque presto esse, qui furencium uesanis ualenter occurrerent, ne lymphantes, demencia in rixam uersa, mutuis se ipsos uiribus interimerent. Obtemperatum consilio est. Igitur armis domo egestis claustrorumque custodia obseratis,
 20 fidibus operam dare exorsus, inusitate seueritatis musam edidit. Cuius prima specie presentes ueluti mesticia ac stupore compleuit. Qui post modum ad petulanciorem mentis statum uegectoribus lyre sonis adducti, iocabundis corporum motibus gestiendo dolorem plausu permutare
 25 ceperunt. Postremo ad rabiem et temeritatem usque modis acrioribus incitati, captum amencia[e] spiritum clamoribus prodiderunt. Ita animorum habitus modorum uarietas inflectebat. Igitur, qui in atrio melodie expertes constituerant, regem cum admisisse dementire cognoscunt, irruptaque ede, furentem complexi,* comprehensum continere nequibant. Quippe nimio captu furoris instinctus, eorum se ualide complexibus eruebat; nature siquidem eius uires eciam rabies cumulabat. Victo itaque collectancium robore, procursum nactus, conuulsis regie foribus arreptoque ense,
 30 40 quatuor militum, continendi eius gracia propius acceden-

p. 607

cxxx

cium, necem peregit. Ad ultimum puluinarium mole, que undique a satellitibus congregebantur, obrutus, magno cum omnium periculo comprehenditur. Vbi uero mente constitit, lese primum milicie iusta persoluit. Vt autem acrioribus expiacionis modis penitenciam ederet, redimende noxe gracia religiose peregrinacionis propositum amplexatus est, Iudeamque, diuine uisitacionis memoria uenerabilem, adire constituit. Cuius studii sanctitatem cum diu tacitus animo reuoluisset, tandem iis maxime, quos ob excellentem 10 corporis habitum profeccionis sue consortes destinabat, insinuat. Quibus rem dolenter ferentibus, id ipsum apud celeberrima patrie concilia publicauit. Quod | cum in Wibergica quoque concione uulgasset, attonita multitudo, perinde ac patrem amissura foret, .in|gemuit, absenciam eius perniciosam patrie futuram uociferans, inque eo remorando tota plebs unius plorabundi amici uultum habuit. Ad ultimum lachrymis suffusa supplicem se eius genibus aduoluit, magnopere deprecans, ne magis priuati uoti quam publici commodi debitum intueretur, eumque plus deo 20 syncera regni amministracione quam exilio placitum affirmans. Ille precibus concionis uoti religionem opposuit eiusque titulo propositi pertinaciam tuebatur. Nec populo ad refellendam excusacionis rationem consilii sagacitas defuit. Redimendi namque uoti gracia terciam se rei familiaris partem egentibus erogaturam promisit. Sed ne sic quidem tenacissimam sanctitatis eius perseueranciam labefecit. Negabat enim rex, honestatem culpa redimi posse seque alieni eris interuentu uoto liberum fore, futurum asserens, si condicione uteretur, ut et se perjurii et 30 patriam paupertatis periculis implicaret. Malle uero proprio sumptu profeccionem instruere quam aliunde impensarum necessaria mutuari, ne alieno grauamine ad peragendum deuacionis propositum uteretur. Itaque seductos maiores de substituendo interim procuratore consulere cepit, 35 non quia prudencia fallebatur, sed ne, preteritis aliorum consiliis, suo indulsisse uideretur, priuatam sentenciam publice preferendo. Quo auditio, principes id se consultoris opcioni permittere responderunt, | nec hac quidem in re de eius industria dubitatueros, cuius summam in aliis solerciam 40 didicissent. Tunc rex Haraldum filium, quem prestancior

p. 608

(227)

p. 609

etas honori tempestium effecerat, regis partibus perfunctorie donat. Scialmoni uero Candido, splendidissime atque integerrime dignitatis uiro, cui non solum tocius Sialandie, sed eciam Rugie, uectigalis a se facte, procuracionem de-
 5 tulerat, peragende circa Kanutum educationis officium mandat. Ericum autem, obscuriore loco natum, hebeciore quoque cura complexus, minoris potencie tutoribus applicauit. Quibus dispositis, ut granditatis sue speciem consentaneo corporum habitu minueret, procerissimos quosque
 10 peregrinacionis participes legit, sicque alienae stature spectaculo sue miraculum temperauit, ne singularis eius magnitudo uisentibus exteris iudicio foret. Nec piger Botilde ad consecanda mariti studia animus fuit. Quem quidem eodem uoto, sed diuiduo thoro secuta, profecccionis meritum
 15 pudicicia cumulauit.

Sed neque Ericus patrie, quam deseruit, curam abiecit. Ne enim Dani sub externo pontifice sacrorum munera celebrarent, missis ad curiam legatis, in ornamentum domestice religionis maximi sacerdotio insigne expetendum
 20 curauit. Nec eum Romane promissionis fides fefellit. Profectus enim a curia legatus, qui sacri insignis prerogatiua nostre gentis sacerdotium adornaret, cum, celeberrimis Danorum urbibus inspectis, cuncta curiosissime collustrando non minorem perso*narum quam ciuitatum respectum egisset,
 25 Lundie, ob egregios Asceri mores, tum quod ad eam e finitimus regionibus terra marique transitus abunde pateat, hunc potissimum honorem deferendum existimauit. Nec solum eam Saxonica dictione eruit, sed eciam Suetie Nor-
 30 uagieque, religionis titulo, magistrum effecit. Nec parum Dania Romane benignitati debet, qua non solum libertatis ius, sed eciam exterarum rerum dominium assecuta est.

Interea Ericus petitam nauigio Rusciam terrestri permensus itinere, magna Orientis parte transcursa, Bizantium ueniebat. Quem imperator nequaquam urbe excipere
 35 ausus, extra menia tendere iussum hospitalitatis officiis prosequebatur, ratus religionis simulacione doluni intendi. Siquidem famam eius ac magnitudinem suspicione insecurus, impensis eum quam menibus fouere maluit. Ad hec Danos, summa a se familiaritate cultos, eadem suspicionis occa-
 40 sione notabat, perinde ac maiorem patrii regis quam stipen-

diorum suorum respectum acturos. Inter ceteros enim, qui || Constantinopolitane urbis stipendia mere[re]ntur, Danice uocis homines primum milicie gradum obtinent, eorumque custodia rex salutem suam uallare consueuit.

5 Nec imperatoris Ericum opinacio fefellit. Verum re dissimulanter habita, uenerandorum sacrorum gracia ciuitatis introitum expetivit, prefatus, maxime se eo loci celebrande religionis amore perductum. Imperator, collaudato petentis studio, postero se die postulacioni responsorum promittit.

10 Interea, qui ex Danis Grecorum miliciam secuti fuerant, imperatore adito, regem suum consulutandi potestatem efflagitant, permissisque segregatim egredi iussum, ne simul omnium animos una regis hortacio caperet. Subornauerat enim imperator utriusque uocis peritos, per quos eorum

15 Ericique colloquia disceret. Primum itaque, consulutato rege, considerere iubentur. Tum ille fari exorsus docet, Danos Grecorum stipendia merentes iam dudum honoris arcem uirtutibus impetrasse, indigenis exules imperitare, multoque foris quam domi feliores existere. Ad hec

20 imperatorem eorum fidei capitis sui custodiam credere, eumque prelacionis usum non tam ex eorum meritis quam ex illorum, qui ante eos Grecorum miliciam coluisserint, uirtute progenitum. Quapropter magnopere eis curandum esse, ne plus temulencie quam sobrietatis studiis indul-

25 gerent, suscepte milicie melius affuturi, si neque se uino neque regem sollicitudinibus onerassent. Fore autem, si frugalitatis normam deseruissent, ut miliciam segnes, iurgia alacres exequerentur. Monuit quoque, ne, manum cum hostibus conserturi, maiorem uite quam uirtutis curam

30 agerent, neue mortem fuga precurrerent, aut salutem suam ignauie presidio tuerentur, promittens, se, cum primum in patriam redissent, fidelem eorum operam beneficis pensaturum; quod si uiriliter dimicantes spiritum in acie profudissent, propinquos eorum ac necessarios honore prosee-

35 cuturum. His at[al]que consentaneis modis uniuersos affatus, propensam Danorum fidem Grecie conciliauit. Cuius rei imperator per subornatos cereior factus, falso Grecis sapientie prerogatiuam ascribi inquit, quod ducis fidem notassent, cuius gentem tocies alienam perfidie cognouissent;

40 siquilem probatissimo popularis constancie experimento

(228)

p. 611

regie fidei habitus estimari poterat. Cumque eum religioni
 pocius quam fraudi intentum aspiceret, urbe exornari iussa
 ac plateis culcios stratis, dextera manu uenerabiliter ex-
 ceptum ad curiam et palacium usque magno cum omni
 5 tripudio, triumphantis more, perduxit, et cui suspicionem
 immerenti inflixerat, honorem, quo maior ab homine pre-
 stari non poterat, erogauit. Quin eciam ei, perinde atque
 honoratissimo hospiti, regiam cessit; eaque nemo deinceps
 10 imperatorum uti uoluit, ne quis se maximo uiro tecti com-
 munione equasse uideretur, hospiciique reuerencia per-
 petuum hospitis monumentum existereret. Quin eciam accer-
 sito, qui staturam eius masure parilitate comprehenderet,
 stantisque et sedentis habitum quam diligentissime colori-
 15 bus complecteretur, tante magnitudinis ammiracionem
 per*enni spectaculo representandam curauit. Et ne tantum
 hospitem indonatum dimitteret, complacita postulare pre-
 cepit. Quem cum, facto opum contemptu, sacros potissi-
 mum cineres exoptare cognosceret, honorandis ossium
 reliquiis donat. Ille religiosum munus cupide amplexatus,
 20 id ipsum imperatoria bulla assignatum Lundiam Roskyl-
 diamque deportandum curauit. Et ne ortus sui locum
 ueneracione uacuum sineret, Slangathorpiam cum Nicolai
 sacratissimis ossibus diuini patibuli particulam transtulit.
 Quippe et oppidi illius templum molitus et eo loci, ubi
 25 nunc aram uidemus, matre editus proditur. Preterea ob-
 latum ab imperatore magni ponderis aurum spreuit ac
 repudiauit, ne, postposito continencie studio, Grecas opes
 appetere uideretur. Quem mox imperator iniurie reum
 agere cepit, affirmans, se, non donum contemptu ab eo
 30 fuisse perfusum, abiectisque precibus, unico note irrita-
 mento oblatis uerecunde eum uti coegit. Et ne rex ac-
 cipientis pocius quam erogantis partes agere uideretur,
 humanitatis eius officiis mutua liberalitate respondit. Sed
 donis eius precium nouitas fecit, barbarumque munus hoc
 35 imperatori carius, quo Grecie rarius fuit. Deinde piraticis
 ab ipso nauigiiis commeatuque donatus, Cyprum contendit.
 Cuius insule natura adeo quondam tumulorum inpaciens
 fuit, ut mandata sibi interdiu corpora proxima nocte reii-
 ceret. Hic rex febri implicatus, cum uicinum sibi fatum
 40 adesse cognosceret, apud celeberrimam Cypri urbem corpus

p. 612

cxxxii

p. 613

(229)

suum funerari petiuit, prefatus, tellurem aliorum cineres
responentem suos quiecius habituram. Igitur pro uoto |
tumulum nactus, corporis sui beneficio uetustam humi in-
dignacionem repressit, eamque, humanis ante cadaueribus
5 reluctantem, non solum sue, sed eciam alienae sepulture
pacientem effecit. Coniugem quoque eius idem peregrina-
cionis labor finiuit. Iamque tota regis stirps Suenonis ad
tres tantum filios, Suenonem, Nicolaum et Vbbonem redacta
fuerat. Nam, ut ex supra positis liquet, Kanutum, Bene-
10 dictum atque Beronem ferrum abstulit, ceteros morbus
absumpsit.

p. 614

A discessu uero Erici biennium intercessit, antequam
Dania certum mortis eius nuncium accepisset. Igitur Sueno,
natu ab Erico secundus, tantopere regnum etatis fidu-
15 cia affetcabat, ut nequaquam communem patrie sentenciam
duceret expectandam, uocataque Wibergum concione, publici
delectus arbitrium unius prouincie iudicio precurrere non
extimesceret. Et fortassis morum suorum obscuritatem
perspicaciore censure committere uerebatur, ideoque fasti-
20 gium paucitatis consensu rapere quam fortunam suam in-
certo multitudinis decreto subiicere maluit, parciumque
suffragiis occupare, quod uniuersorum erat sentencia
tribuendum. Sed dum citato equitatu cursum ad Wibergice
concionis locum dirigit, corporis firmitate defectus, quo
25 lenius commodiusque ferretur, carpento se excipi iussit,
affirmans, hilariter obiturum, si saltem sub regis titulo
triduum exegisset. Neque enim neruorum hebetudo aut
membrorum tarditas festinabunde mentis cursum reflectere
potuit. Sed ob morbi magnitudinem huius quoque usum
30 perosus, ministris properare iussis, lecticam poposcit, pre-
fatus, nil se curaturum, si rex a populo salutatus spiri-
tum in concione deponeret. Enimuero insopibilis ambi-
cio|nis calor imbecillitate superari non potuit. Sed dum
aduerse ualitudinis immemor supra uires concessionem appetit,
35 non regno fatum, sed fato regni titulum preecurrit.
Restabat igitur, ut circa Nicolaum Vbbonemque delectus
perageretur. Nam Haraldus summa sibi popularium odia
iniquissima regni amministracione pepererat. Quippe, pro-
curacione in calumniam uersa, tam fede se tamque defor-
40 miter gesserat, ut, abiecto iusticie cultu, rapinis ac latro-

p. 615

ciniis teterrimam in subiectos potenciam exerceret, plebemque omni in**iurie* genere fatigaret. Quo euenit, ut cuneti, sordidissimam eius dominacionem perosi, nequaquam regnum oppressori deferendum putarent, indignum rati, in-iurias suas obsequiis, angustias honore rependi. Cunetis ergo Isoram coeuntibus, cum ob etatem Vbboni summa decerneretur, Nicolaus solus, qui id egre latus putabatur, maximo fauore concionis suffragia comprobabat, quod Suenonis filii pro etatis habitu regni inter se successionem 5 uersare consueuerint, semperque minorem maior honoris huius heredem habuerit. Vbbo uero, parum solercie fisus, ueluti secordie conscientia tanto oneri humeros suos subiicere recusauit, uegeioris ingenii fratrem eo munere dignissimum asseuerans. Enimuero animi sui imbecillitatem 10 proprio quam alieno iudicio prudencius duxit. Sed michi quidem uitande presumptionis gracia humilius quam uerius de uirtute sua sensisse uidetur, cui melius respuendo regnum quam amplectendo consuluit, eo quidem honore dignior, quod oblatum sibi fraterne prudencie cedere non 15 erubuit. Et quidem Dani, parum iusta estimacione tam modestani eius uerecundiam prosecuti, ignarique, prudentem uirum fugiendi oneris rationem inercie || simulacione quesisse, quem perseverancia superare debuerant, negligencia preterire sustinuerunt. Quis enim mentis compos huius 20 refertum industria pectus ignoret, qui se intra priuatum fortune habitum continere quam dignitatis incrementa cura ac solleitudine querere preoptauit?

(230)

EXPLICITVS EST LIBER DVODECIMVS.

SAXONIS GRAMMATICI

p. 616

HISTORIE DANICE

LIBER DECIMVS TERCIUS.

Igitur Nicolaus, suscepto regno, adeo animum ab
5 omni fastu auersum habuit, ut nihil ex pristina mansuetudine sua decerperet, totamque preterite uite consuetudinem retinens, cum fortuna animum mutare passus non est, ne pocius fortune mores quam moribus fortunam subiicere uideretur. Preterea, ne patriam sumptuosa
10 clientela ac uoracibus oneraret impensis, cotidianam miliciam suam sex tantum aut septem clypeis, ob exturbanda latrocinia, contentam habuit; nec petulanciorem regem quam militem egit. Duxit autem Margaretam, patre Ingone,
Sueonum rege, matre nero Helena natam, cuius castitatem
15 rex Noruagien|sium Magnus coniugio delibauerat. Qui p. 617
cum, sedulo Sueones adortus, in Hallandenses eciam arma proferret, inopinata eorum irruptione perculsus, ut erat calciamentis uacuus, probrosum ad naues recursum habuit, eiusque fuge deformitatem eciam cognomine usurpauit.
20 Cuius manum Ingo saluti sue perniciter imminentem ferre nequiens, merende pacis gracia filia ei in matrimonium tradita, periculum beneficio repulit. Ex hac itaque Margareta Magnus prolem non sustulit, Nicolaus infelicibus
sobolem auspiciis propagauit. Cuius filius Ingo inicio
25 adolescencie, effrenis equi lasciuia excussus eiusdemque unguis artuatim obtritus, splendidissimum sanguinem luteis uiarum sordibus erogauit, tristissimoque fati genere consumptus, sparsis uiatim membris, lacerum humi cadauer

iacuit. Pedagogus quippe, eum equo assuefacere cupiens, habens manu continere permisit, quarum regimini intempestiuus adolescens, pede subselliis inherente, contiguum solo corpus habuit. Magnus uero, felicioribus nature quam fortune incrementis euectus, teterimum* consanguinee cedis piaculum edidit, atque ad notissimum *(per)fidie* exemplum euasit. Cui mater ampliorem propinquorum fauorem affinitatum beneficio creare cupiens, Henrico Regnaldi fratris *(filiam, Ingertam,)* Kanuto Ingiburgam, sororis filiam, coniugio copulauit. | Paterna uero bona in equales ad modum porciones particione redagit, unam sibi, ceteras nuptis, quas prefatus sum, diuisionis parilitate contribuens. Hinc Danorum Sueonumque dissensio orta ac deinde compluribus inimiciciarum incrementis coalita ad hoc usque tempus ueteris odii tenacissima perseuerat. Preter hec Ingritha, Vbboni cuidam post modum denupta, Nicolao ex pellice nata proditur. At Margareta non solum diuinorum edium opes latifundiis auxit, sed et totis uiribus ad augendum earum splendorem incubuit, sacerdotalisque cultus inopiam exquisito ornamentorum genere permutauit. Enimuero, quo rem diuinam ornaciorem efficeret, pallas laticlauias ceteraque sacerdocii insignia condere atque saecorum usibus erogare cure habuit.

Henricus uero, Guthskalci ex Siritha filius, maternis a Nicolao bonis indigne spoliatus, tam acrem eorum repetitorem agere cepit, ut, Danis infatigabiliter imminens, ipsum intra Slesuici fines ad tuendam salutem suam || stacione et excubiis uti cogeret. Interiectam Albie Slesuicoque prouinciam cultore uacuefecit. Cuius rei ulciscende gracia Nicolaus, excita classe, Liutcham appellit, Eliuo, Slesuicensis prefecture uiro, equestres obuiam sibi copias ductare iusso. Needum enim Dani externas obequitando pugnas confidere nouerant. Verum prefecti leuitas, pecunie ab Henrico paccione corrupta, cupidius questum quam imperium intuebatur. Itaque Nicolaus Sclauicis in campis uacnam equis phalangem explicat. Tunc Sclaui, pedites obequitando lassare quam cum tota acie manum conserere tucius rati, nunc alas, nunc cornua circunuolando eademque uarie iaculis incessendo obliquis hostem insultibus lacerabant. Procursu namque in eum directo, fuga refere-

bantur, nec recursum segnius quam impetum edebant, nostrorumque, maiore mole quam perniciitate sibi immuncium, ex aduerso congressum uitantes, reiectis habenis, aduersos premebat, terribilem bello uirtutem furtim et
 5 quasi insidiarum latrociniis attentantes. Ita laxata debilitataque Danorum acies, quia rem in plano parum feliciter gesserat, vicini montis editum occupauit, salutem suam, quam armis tueri nequibat, loci presidio munire cupiens, eoque potita, uerticis beneficio subiectum hostem secura
 10 conspexit. Die postera, ne loci quam suis uiribus minor uideretur, ancipitem campi fortunam repetere quam certo moncium tutamento gaudere maluit. Sed equestris milieie spiritum pedestris ferre non potuit. Quo euenit, ut, amissum pugne decus recuperare nitentes, pristine
 15 cladis ignominiam postera cumularent. Crediderim, hanc pugne fortunam ab instrumentorum magis quam animorum inopia profectam, quia, dum fortitudinis spiritus parum curiose prima milicie commoda circunspergit, non metus, sed inercie penas peperdit, suaque poeius negligencia
 20 quam alienis uiribus proculatus occubuit. Haraldus, re fortiter gesta, adeo grauiter affectus proditur, ut, gradiendi inops elypeoque a suis exceptus, alienis manibus castra sequeretur. Kanutus quoque, per summam uulnerum acerbitatatem pedum firmitate defectus, promptissimam militis
 25 fidem expertus est. Qui, ne dominus ab hoste intereiperetur, periculum eius suo discutere non dubitauit. Sociis namque de industria fugere iussis, ipse corporis simulacione cursum lencius agens, imminenti sibi Sclavo manus obtulit uincierendas, eiusdemque proprius obequitantis habens cor-
 30 ripiens, lata a sociis ope, equo barbarum spoliauit. Quo potitus, protinus eo sunimam Kanuti imbecillitatem adiuuit. Igitur ut callide, ita periculose fortitudinis felix exitus fuit. Subeunte crepusculo nostri, infelicem pugne euentum sortiti, reliquias suas unico repetiti uerticis presidio* tue-
 35 bantur. Cibo quoque et pocione defectos preter uulnera ac lassitudinem eciam alimentorum inopia lacerabat. Igitur ad ultimam pene tabem redacti, eum et pericula undique et nusquam auxilia circunspicerent, (quippe et Scaniensium tempestate detinebatur aduentus, et Elinus, pecunia ab
 40 Henrico corruptus, reddita tarditatis racione, copias ducere

supersedebat,) humane opis desperacione ad celeste presidium configuerunt, absumpteque spei sue reliquias in dei quam hominum fortitudine reponere maluerunt. Postera nero die, qua Laurenciane uigilie sacra recolebantur, diuinam 5 potentiam nullo melius quam frugalitatis uoto propiciandam rati, concione lugubriter habita, lucem, qua uel priuatum Laurencii uel publicum sanctorum solenne precurrimus, siue quam diuine passionis memorie dedicare consueuimus, annuo temporum uolumine repetitam ab omni 10 Danica estate continentissima iejunii religione excolendam promittunt. Quod uotum, publice necessitatis exigencia nuncupatum, exactissima posteritatis cura firmauit, indignum rata, statam a maioribus continenciam stomachi in pacientia atque escarum auiditate conuellere. Diluculo 15 uero nostrorum acies, centuriatis globis naues repetere adorsa, Scanienses, nuper classe aduetos, obuios habuit. Quorum aduentus beneficio recreata, ipsos, perinde || ac corpore et uiribus integros, ne terga ab equitatu incesserentur, eu'are iubet. Deinde composito gradum agmine 20 promouens, cum forte limosam obiecti lacunaris uoraginem traiicere debuisset, neque eam ullo | compendii deflexu uitare quiuisset, peragrare adorsa, sed mox palustri ceno tenacius implicata ac desidentis luti illuuic prepedita, confuso transpcionis similem fuge tumultum edebat. 25 Maior pars labili paludis mole pessundata pecorum more ab hostibus trucidabatur. Ita transmeandi auidis improuidaque et ceca festinacione ruentibus impedimentum periculo fuit. Tandem egre in littus redditum discessumque est. Cumque Sclavi, perinde ac uictoria freti, uerbis uirium 30 suarum laudem pre se ferentibus Danicas uituperio insequerentur, et quasi illarum imbecillitati fortitudinis sue iactancia procacius insultarent, Henricus, qui probe nostrorum animos nouerat, diuersa se inquit hostium robur estimacione complecti; quippe regis eorum in equo preualido exemplum liquere. Qui si uires suas scisset, omne equitis imperium sperneret. Quas quoniam ignorat, facile insidentis arbitrium patitur. Ita Nicolaum, si uiribus suis fidem haberet, cuneta prospere, diffidentem uero nihil feliciter executurum. Post hec Eliuus, quod patrie fortunam 35 uenditauerit, a rege perfidie damnatus, non solum pre-

fecture beneficio, sed etiam patrimonii rebus ignominiose exutus, ultima inopia sordidissimi lucri penas persoluit. At Henricus, ob superioris pugne successum audacie incrementis euectus, littorales Danos piratica lacessendo non solum Eidore finitima, sed etiam cuncta Slesuico ualloque, quod Danorum opus uocamus, interiecta uastabat. Ipsam interdum urbem, illatis clam per nauigia copiis, improuidam aggrediebatur. Itaque, post exactum Elium adhuc finibus illis prouisore uacuis, creberrime exterorum uiolencie 10 etiam domestica furta accessere, tantoque ciuitas intus quam foris acerbius urgebatur, quanto ad nocendum occulta manifestis proniora noscuntur. Eque ciuis ut hostis formidabatur. Quippe Fresones cum Holsatiis ac Dytmerchis, impunitatis spe ob prefecture uacacionem concepta, dies 15 latrociniis, noctes furtis emeciebantur, et, ubi fastigia nequibant, imas edium partes ligonibus adorti, cuniculis custodem fallebant. Nec minor edituorum in asseruandis rebus cura flagrauit. Equi intra repagulum, ne furtim abstrahi quirent, ferro compediebantur. Edium excubitores 20 uberioris cautele gracia ualuis affixi iacebant. Nec serarum claustris contenti, etiam fossa aditus obfirmabant. Ita grassante latrocino, quidam ingenue stirpis, plurimorum paupertatem partarum* nequiter opum incrementis abolitam cernens, absque respectu uerecundie eadem amplecti animum induxit, clarissimamque indolem suam, spe luceri incitamat, ex summo nobilitatis fastigio in obscenissimam atque profundissimam turpitudinis sentinam abiicere non erubuit. Ita sanguinis decore indecenter usus, uires generis ad scelerum licenciam transtulit, et, quod uirtutibus nutrimentum esse debuerat, uiciis obtentui fecit. Siquidem nulli facta eius aperta criminacione insequendi audacia fuit, tantoque propensior delictis impunitas habebatur, quanto conspeccior delinquentis noscebat auctoritas.

Ea tempestate missi a Kanuto, qui pecuniam, quam 35 educator eius depositi nomine conseruauerat, in Fioniam et Sialandia transferrent, cum, ab utroque littore eque distante nauigio, procul piratas imminere conspicerent, expensam fune crumenam undis occultauere. Postremo, cum se parum potentes remigii animaduerterent, fuge dif- 40 fidencia implicati, reciso tenaculo, uetustas regum opes

p. 622

CXXIII^b

p. 623

harenis quam hostibus relinquere maluerunt. Quam rem
 Nicolaus, in Sialandiam ex Fonia traiiciens, tametsi
 eminus specularetur, periclitantibus presidio fore nequiuuit,
 quod exiguis et inhabilibus ad remigium nauigiis uteretur.
 5 Postea, cum Kanutum iocundum pre se uultum ferentem
 conspiceret, oris hilaritatem increpans, ob recentem auti
 paternique eris iacturam dolere ei ad modum expedire
 dicebat. Ille nihil hac se moueri fortuna dicebat, sed
 eius beneficio summam liberalitatis occasionem accepisse
 10 respondit. Vt enim ante nihil ex paternarum opum cu-
 mulo decerpere ausum, ita deinceps accessuras abunde
 erogaturum. Maximum quippe auaricie nutrimentum di-
 uicias esse, quas quisquis asseruare intenderit, humanitati
 uacare non possit. Qua uoce se pecunie, sed eam regi
 15 imperare monstrabat. Cuius rei precipuum extitit docu-
 mentum, quod sequitur. Cum, ob creberrimas acerrimas
 que finitimorum excursaciones nemine Slesuicensis pre-
 fecture beneficium eciam oblatum recipere audente, Kanu-
 tus tam periculosum a patruo honorem non opum cupi-
 20 ditate, sed fiducia uirtutis expeteret, neque gratis eum
 impetrare quiuisset, uendita patrimonii parte, formidolosum
 aliis munus precio assecutus est, eam demum questuosam
 esse miliciam ratus, qua glorie et claritatis stipendum
 potuisset acquiri. Ita rex extimescendum ignauie decus
 25 uirtuti uenale fecit. Emptor uero plus lucri in milicie
 quam opum agitacione reposuit. Principio siquidem per-
 cepte potestatis Henrico per legatos mandat, libenter se
 cum eo de pace acturum, si primum et damna Iutie
 emendacione pensata et spolia ab ipso restituta fuissent.
 30 Quibus profectis, ipse interim; perinde ac responsi prescius,
 non solum suorum, sed eciam eorum, quos ex finitimis
 amicos habebat, manu contracta, legatorum redditum armis
 subsequi statuit. Henricus se neque cum Danis amicicias
 gesturum neque a materne hereditatis peticione cessaturum
 35 respondit. Quo accepto, Kanutus rursum ad eum legatos
 mittit, omnem sequestre pacis communionem publice reci-
 suros. Quorum Henricus irriga legacione, Kanutum inpa-
 cienti sessoris equo persimilem ait; se uero petulancie eius
 frenos iniicere curaturum. His auditis, Kanutus, ut magno
 40 impetu, ita minimo tumultu noctu iter ingressus, ferrique

et prede abstiens, quo minus aduentus eius prouideretur, diluculo ad Henrici munitionem peruenit. Ille, tam subite irrupcionis incautus, nec arma capere nec se presidio tueri parat, sed protinus uicinum menibus flumen equo 5 attentans, unico aque intersticio hostem fefellit, letatusque est, quod salutem suam amni quam oppido credere maluisset. Quem cum Kanutus ulteriore iam ripa potitum aspiceret, an maderet, per ludibrium percontatus est. A quo e contrario, quid ita incederet, interrogatus, uenisse se 10 inquit, ut promissa ab eo lora recipiat. Ille minas sibi, quas nuper intenderat, responsi urbanitate exprobratas intelligens, ignominiam ioco prosequutus, Adeo michi,* inquit, cxxiiii. calcium uiribus obniti uideris, ut ne tangi quidem continerue queas. Tunc Kanutus prius castrum, deinde cetere 15 regionis culta uastauit. Secundo quoque, nouatis copiis, omnem Seluiam strage atque incendio implicauit; nec solum patriam hoste, sed etiam hostem robore uaeufecit, adeo ut prius prouocare solitum ne proprie quidem tutele sufficientem relinquenter. Postremo, cum totas Henrici uires 20 prudencia sua ac fortitudine debilitasset, sanguinis, quo illum proxime contingebat, natura actus, ut publice hostem, ita priuatim amicum egit. | Semel namque, dimisso exercitu, uiginti duntaxat equitibus comitatus ad locum, in quo Henricum diuersari didicerat, cursum direxit, pre- 25 missis, qui sue ei salutacionis mandata perferrent. Henricus, falso hostem sibi blandiri inquiens, protinus, ubinam esset, perquirere institit. Quibus eum in porta adesse referentibus, ipse, nuncio attonitus, mensam, ad quam forte prandendi gracia discumbebat, ui manus discutere parat.

30 Tune legati, presenciam ducis a pace profectam iurantes, conceptum falso metum affirmacionum suarum perseuerancia discusserunt. Quibus ut Henricus fidem habuit, fuge meditacionem amoris indicio castigauit. Enimuero tabule innixus, suffuso lachrymis ore, infelicem Daniam 35 futuram, dum tali uiro earuerit. aiebat; se uero amiciciam eius syncera amodo fide culturum. Hunc nimirum consanguineus amor et sue infelicitatis obliuisci et hostis uirtutem fateri coegit, utque proprie fortune immemorem, ita aliena laudatorem effecit. Deinde presentem amplexatus, 40 haud parcius lachrymas quam epulum prebuit. Quippe

p. 625

presentem eius mansuetudinem quam preteritas noxas
attencius intuens, frequencie damnorum unius || beneficij
indulgenciam anteposuit. Sed neque Kanutus profectum
a pietate merorem ingratus excepit. Quin eciam, plus in
5 creanda pace quam fruenda dape uoluptatis reponens et
quasi mediatoris partes agere exorsus, Henricum auunculi
graciam expetere iussit, ac demum consensum eius perse-
uerancia ammonicionis obtinuit. Siquidem Henricus rem
maternam, cuius repetende causa aduersa Danis arma
10 tulerat, precii paccione interposita, Kanuto in possessionem
aseripsit, eandemque Kanutus ad regem condicione[m],
qua acceperat, transtulit, ac deinde receptam ab eo pecu-
niam Henrico numerauit. A quo eciam post modum ad
conniuandum accersitus excipitur, affirmante, priori eius
15 aduentui minus, quam decuit, impense servitum. A quo
eciam Henricus nuper se uita atque incolumitate donatu[m]
iudicans, Selauiam ei iurisiurandi firmitate legauit. Huic
accessit, quod ad gerenda cum Teutoni[es] bella, quibus
precipue Selavia uexabatur, filiorum uirtutibus diffidebat,
20 maluitque maturum fortitudine heredem circunspecta ar-
bitrii sui libertate con(s)ciscere, quam sub naturali, sed
inualido, patrimonium exteris peruidendum relinquere.
Hec offerentem Kanutus impietatis sibi notam immerencium
liberorum contemptu paritum affirmat, seque tam in-
25 iustis eius promissis usurum negat. Postremo perseverant-
issimis Henrici precibus superatur, propositi rationem a
natorum secordia mutuantis. A quo eciam imperatoris
gracia, quod Selavia in eius beneficio repou iuderetur, ad
modum egere permonitus, equum ei calces auro confixum
30 muneric loco transmisit, domumque per se habile inusitatis
ungularum ornamenti accipienti uenerabilius reddidit.
Crediderim, tunc imperatorem plus laudis in dantis indu-
stria quam dono reposuisse, cum primi precii metallum,
quo contemptibilis habitum, hoc gloriosius uideret obla-
35 tum. Absunto Henrico, legatam sibi prouinciam nullo
refragante possedit.

(234)

p. 626

Interea Haraldus, cum nec domi clarus nec foris
celeber haberetur, uirtutis inopiam questuum copia leuare
cupiens, refertum nequicia animum in imam turpidinis
40 uoraginem egit. Ad rapinas et furtu mancipiis utebatur.

Seruorum labores latrociniis applicabat. Satellitum cultui uicinie spolia, sumptui impendebantur armenta. Estatem piratica, pariter ciuibus* atque exteris insidiosus, exegit. ^{cxxxiii^bb} Ceterum, quo Roskyldie damnosius immincret, aduersam 5 ei munitionem erexit, quam et sordidissime clientele frequencia compleuit. Itaque, ruris opima populatus, paruernarum maleficio ciuilia lacerabat. Qui clam noctu meritorii sese tabernis subiicientes, complacitas animo merces impune tollebant, aliis interim districtos hospitum 10 iugulis gladios applicantibus, interitumque minantibus, nisi iniurie pacienciam prebeant. Ea furti uiolencia summam ciuitatis opulenciam ad ultimas rei familiaris angustias rededit. Talibus calumnie stimulis lacessita prouincia, accensis indignacione ani|mis, ultrices damnorum manus 15 p. 627
Haraldi bonis iniicere aggressa, spolia spoliis, rapta raptis ulciscitur. Neque enim sibi aliena corripere, sed propria resumere uidebatur. Ipse, tuto terras tenere nequiens, consternate multitudinis impetum nauigio uitauit. Quem Kanutus alieni rapacissimum ac uiciosissimis ubique lucris 20 incumbentem aspiciens, aui persimilem aiebat omnigenis alitum pennis nidum compaginanti, subito uentorum turbine disiiciendum. Ita Haraldum, predonem oinnium effectum, omnibus predam ex se daturum aliorumque spolia suorum indubitanter periculo luiturum.

25 At Erico modestum erga populares ingenium erat. Qui cum debitam sibi paterne rei porcionem expeteret, ab Haraldo fratre repellitur, negante, adulterio ortum ad hereditatis communionem pertingere. Ea re, ut par erat, motus acerrimum bonorum eius peruasorem agere cepit, 30 fraternisque spoliis iniurias suas ulcisci probitatis loco duxit. Ceterum Arnacum rapta concessit, sordido neglectoque loco splendidas opes complexus. Quem Haraldus noctu ibidem inopinatum adortus, postquam fuga delapsum cognouit, more copia non suppetente, circa predam herere 35 metuens, tecto faces subiectit, refertamque suis opibus edem flammis absumere quam raptor intac tam dimittere maluit. Quo comperto, Kanutus, profectas a contemptu lites compescere cupiens, metuensque, ne degenerati patris fulgor in filiis exolesceret, utriusque Slesuicum uenire di- 40 striccius mandat; si supersedeant, parte corporum spolian-

dos minatur. Presentes deinde fraterne coarguens, curiosa animi inspeccione equissimam | inter eos patrimonii participationem peregit, Ericoque ac Haraldo in paterna bona eundum iudicavit.

p. 628

5 Eodem tempore Henrici, Suenonis filii, coniunx, mariti conuictum ingenti perosa fastidio, aliena ueste sumpta, suis se penatibus intempesta nocte subduxit. Apud quam iuenum quidam (ut fama est) plurimam obsequio familiaritatem adeptus, callide effecit, ut ad suum 10 eam amorem perduceret. Deinde, ne res amborum periculo proderetur, muliebriter allectam, uiriliter cultam furtive deuexit. Quam uir eius fortuitis subsecutus indiciis, apud Alaburgiam in cultu familiari deprehensam, amatore delapso, domum reduxit. Verum hanc ignominiam 15 a clandestino Kanuti consilio profectam ratus, integerimi uiri innocenciam tacitis suspicionis motibus insecurus, insontem notabat.

Interea Sueticarum parcium rege absumpto, Gothi summam, cuius omne penes Sueones arbitrium erat, Magno 20 deferre ausi, alieni priuilegii detrimento dignitatis sibi incrementa querebant. Quorum Sueones auctoritate contempta, ueterem gentis sue prerogatiuam in aliquanto obscurioris populi inuidia deponere passi non sunt. Igitur antique dignitatis speciem intuentes, titulum iniusta collacione prereptum noui regis electu cassarunt. Qui mox a Gothis trucidatus, morte Magno imperium cessit. At Magnus incidentem sibi nupciarum cupidinem Polanorum presidis Bokisclau filiam postulando compleuit. Qua sibi per internuncios desponsa, mox Sclauie excitam paterno 25 imperio classem admouit. Rex eius Vartisclaus diutinas cum Danis Polanisque inimicicias gesserat. Hic Nicolaus urbem Oznam oppugnare adorsus, obsidionem paccione redimere coegit. Inde Iulinum nauigans, Bokisclauum magna manu instructum obuium habuit. Cuius copiis 30 auctus, celerem oppidi expugnacionem* peregit. Deinde, relicto uictorie socio, allatam filio sponsam abducit. Vartisclaus, rem Sclauicam intolerabili uastacionis onere fessam conspiciens, pacem colloquio petit. Quo parum prospere habito, pari supplicacione apud Strelam discedentes 35 40 aggreditur. Vbi cum pacis pignoribus fretus, nauigium

p. 629

cxxxv.

regis ab ipso inuitatus intrasset, maligno satellitum instinctu captiui more habitus regredi prohibitus est. Quam rem Kanutus in concione querela prosequutus, magnopere regem monere cepit, ne plus aliene perfidie uiribus quam 5 proprie indulgeret temperancie, neue hostem fidem suam secutum capcione implicans, ut eum libertate, ita se ipsum perpetuo fame splendore priuaret. Fore enim, ni captiuum omitteret, ut priuatuni crimen publicus patrie rubor existeteret. Itaque efficaci persuasione usus et amicum oppres-
 10 sione et dominum infamia liberavit. Que tam iusta Kanuti sentencia, tocius concionis suffragiis comprobata, magnum aliena inuidie irritamentum prebebat. Dimissa classe, nupcialia sacra apud urbem Ripam agi placuit. Illuc siquidem frequens nauigiis portus oppido splendidam mer-
 15 cium uarietatem importat. Vbi cum Kanutus in ueste Saxonica ceteris culcior progrederetur, Henricus, obfusis inuidia oculis, alieni cultus splendorem ferre nequiens, orta inter ipsos altercacione, latus eins aduersum gladios ostro tutum fore negauit. Quem Kanutus nihil magis ouillis
 20 securum tergoribus respondit, lacessitum uestis sue fulgorem urbano rusticitatis opprobrio speciosius quam minis aut conuiciis ultus. Itaque exprobratam sibi externi cultus emulacionem domestici cauillacione prosequi contentus extitit.

25 Idem post modum Orientis partes piratica peruagatus, (236) cum speciosa domum spolia retulisset, ideoque se dignitatis incrementa accepturum speraret, pro gracia accusacionem expertus est, culpatus a rege, quod in re Suetica predam egisset. Cuius operam ualenter editam consimili probitatis genere
 30 emulatus Magnus, inter cetera tropheorum suorum insignia inusitati ponderis malleos, quos Iouiales uocabant, apud insularum quandam prisca uirorum religione cultos, in patriam deportandos curauit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum causas usitata rerum similitudine comprehen-
 35 dere, malleos, quibus celi fragores cieri credebat. ingenti ere complexa fuerat. aptissime tante sonoritatis uim *(machinarum)* fabrilium specie imitandam existimans. Magnus uero, Christiane discipline studio paganam perosus, et phanum cultu et Iouem insignibus spoliare sanctitatis loco
 40 habuit. Et adhuc quidem eum Sueones, perinde ac celestium

spoliorum raptorem, sacrilegum autumant. Sed utinam
iniciis eius exitus respondisset.

Verum plerisque Magnum sanguine uel necessitudine
contingentibus Kanuti innisa felicitas erat. Nihil enim
5 adeo inuidie faces quam parium impar uirtus excitat. Sed
precipue emulum ei Henricum genialis thori contumelia
faciebat. Margareta autem, benignissima consanguinee
caritatis alitrix, consilii sui tranquillitatem concitatis iuuen-
10 num ingenii opponebat, saluberrimaque discipline modera-
cione insidiosam petulancium rabiem temperabat. Que
cum intercutis humoris uicio immodico tibiarum turgore
premeretur, neque letiferam morbi rabiem medicamentis
leuare quiuisset, ad ultimam pene tabem redacta, Kanutum
egregie indolis fiducia aduocat, impenseque hortatur, patrie
15 pacem propinquorumque concordiam fidei sue beneficio
foueat, tutamento stabiliat, tantumque se in rebus dome-
sticis gerat, quantum egerat in externis. Adiecit quoque,
existere, qui regie familie caritatem odio disiicere niterentur;
se uero plenis salubritatis monitis pestiferos talium in-
20 stinctus pressisse. Ille deum simplicitatis sue testem affir-
mat, seque omne uite tempus innocencia ac fide exacturum,
periculorum procellas excipere quam infligere malle pro-
mittit, odiaque beneficiis repensurum testatur.* Illa, pro-
missionis beneficio delectata, tante fidei securam equo se
25 animo obituram asseruit. Que ut iuuenilis inuidie fluctus
uiua cohibuit, ita consumpta laxauit. Nam ab eius fato
iuuentutis inpacientia primam propositi sceleris licenciam
mutuata est. Sed et Henricus, preter communem simula-
tatem eciam priuata Kanutum indignacione perosus, iniectos
30 malignitati sue frenos audaci impietate discussit. Vbbonem
quoque prefectum et Haquinum filium, quo firmius dolum
strueret promocio remque sceleri aditum conciliaret, insidiorum
participes facit. Hi tres, eximium Kanuti fulgorem
uirtutis emulacione pertesi, graue mendacii incitamentum
35 aduersum excellentem eius claritudinem destrinxerunt. Itaque,
splendidissimum patrie lumen densissimis tenebris in-
uoluere cupientes, nihil eum regis uite temporibusque
deferre, sed ipsius exitum propera ambicione precurrere
iamque regiam sibi potenciam arrogare dicebant.

40 Mouit regem tanti contemptus opinio, denunciataque

p. 631

p. 632

cxxxv

concione, Kanutum iubet accersi. Qui cum prior prestitum frequencie locum adisset, superuenienti patrio Teutonice comitatis more pallio uacuus obuiam accurrit, equoque descendenter continende selle ministerio ueneratus est.

5 Tunc Nicolaus fari in concione exorsus docet, Suenonis filios in regni gestione etatis precipue respectum egisse, successionis habitum etatis ordine dispensasse, dominandi ius in annorum prerogativa constituisse, neque minori maiorem honore precurrere licuisse. Quamobrem sese, ut

10 natu minimum, ita eciam regno postremum, fraterne moderacionis exemplo nullam fortune uiolenciam intulisse, expectatorem beneficii eius, non raporem fuisse, neque ad intempestivum etati culmen manus prepropera porrexisse cupidine. Kanutum uero, parum priorum exempla secutum,

15 uiolato speciosissime consuetudinis habitu, regni ius, cum re needum queat, appellacione precepere, singulare nominis insigne celerius quam iustius occupare, iamque a suis falso regis titulo censeri non erubescere; consulcios acturum, si regnandi fortunam non in suorum adulacione, sed in ex-

20 stantis adhuc regis occasu reponere, maturumque prestolari decus quam intempestivum preripere mallet. His atque consentaneis modis regie sibi nuncupacionis insigne eripi querebatur.

Tunc exurgens Kanutus diu uultum humi intentum

25 habuit, dicendique exordium aliquantis per sudore et suspiriis precucurrit. Tandem et oculos et animum leuans gladiisque, ut mos est, capulo innixus, Peccant, inquit, pater, qui moderacionem tuam, supra quod aut maiestati aut etati debes, exasperant, quique pacatissime mentis tue serenum

30 mendaciorum procellis incitant, obtrectacionum sibilis uexant. Sed onustum michi ualde est, quod integerrimam animi tui temperanciam aliquid ab alienissima tibi iracundia mutuat et quasi sinistro racionis ductu transuersam ferri conspicio. Reiice, queso, nugarum auctores mendaciter ob-

35 strepentes, falseque huius criminacionis figmentum respue. Neque enim iniurioso tibi nomine censeri sustineo. Herum me mei, non regem appellant. Itaque cum a Sclaus dominus salutari consueuerim, sinistri tante comitatis interpres alienae urbanitatis occasione insimulacionis materiam

40 aucupantur, ipsique ueneracionis officia negligentes, eciam

p. 633

(237)

p. 634

aliorum iusta criminantur obsequia. Ego uero non regnum
 (ut aisti) uocabulo usurpo, sed, temperata nominis dignitate,
 fastuosum salutacionis decus fugio, inuidendum honoris fa-
 stigium sperno. Ita absque omni maiestatis tue preiudicio
 5 barbara circa me resultat humanitas. Meam uero inter
 alienos ueneracionem indigne ferunt, qui et michi lucem et
 fidum lateri tuo militem eripere gestiunt. Hos eque tui
 usus ac mei capititis hostes iudico. Esto, uocari me regem;
 en, filium tuum Magnum nuper apud Gothiam regii cultus
 10 et nominis insignibus potitum comperimus. Michi quoque
 si par apud Sclauiam fortuna fauisset, certe binis regum
 obsequiis uti iocundum ducere debueras, idemque || tue, cxxvi
 quod mee, fortune incrementum existimare. Proprio nam-
 que parta negocio tuo quam alacerrime subiectarem fastigio,
 15 foretque, ut inde seruiciorum fructum decerperes, unde
 alioqui damnorum aduersa perferres. Itaque plus amoris
 quam odii in mea fueras felicitate repositurus. Adde, quod
 pro tua ac patrie incolunitate excubare omni sorte lecias,
 omni studio speciosius duxi. Ipse, an efficaciter militauerim,
 20 nosti. Littora, Dani, si placet, excolite; equoribus edes
 quantalibet propinquitate iungantur. Ipsi undas cauete, a
 maritimis ego uos [a] predonibus prestabo securos. Et, si
 ueri confessorem agere non erubescis, ipse iampridem,
 Slesuici consistsens, salutem tuam aduersum Saxonum ex-
 25 cursaciones iugibus excubiis uallare necesse habuisti. Eo
 si nunc diuertere libitum est, liberas metu noctes exigere
 poteris. Preterea angustias regni tui, sola Danie posses-
 sione contentas, inusitatibus terminorum augmentis explicui.
 Quos prius infensos habueras, nunc in tributum acti tuo
 30 per me famulantur imperio. Itaque, quarum ego rerum
 se[m]entem ieci, tu fructum absque negocio messuisti. Et
 quidem impensam ad militem, emolumentum ad regem
 redundare par est. Et ne ulterius priuate milicie facta
 35 prosepar, eciam in publica aduerso pro te uulnera corpore
 excepti. Et tamen sic de te meritum suspicione et queri-
 monia causabundus aggredaris, ueterisque militis tui prom-
 ptissimam fidem et certissimam innocenciam notare deforme
 non ducis. Hisne ergo operibus merui, ut aduersum me
 emulacionem tuam in concione destringeres? Heene ex
 40 labore premia, ex milicia stipendia decerpam, ut, cuius

beneficenciam sperabam, indignacionem experiar? Alien a te sit || ingrati hec animi labes, ut operum meorum beneficiis inuidia atque obtrectacione respondeas. Verum totam hanc insimulacionis uim, ab inuidia profectam, non
 5 tue, sed tuorum malignitati imputandam existimo. At in regni fastigio collocatos difficiles accusatoribus aures prebere conuenit. Diu paternum hoc imperium gere, felicitque et nominis et regni insignibus utere. Heredem tibi, quem natura dedit, fortuna conciliet. Ego uero, in
 10 quoecunque me fortune habitu continuero, numquam celsitudinem tuam fide uel obsequio colere supersedebo.

Permulsus oracione rex, placidiorem oris habitum induens, offensam falso instinctu conceptam in ipsa repente concione deposituit, execratus eos, qui simplicitatem eius
 15 scurriliter attentassent, seque deinceps aduersum huius modi criminacionum susurros aures obseraturum promittit. Cumque Henricus omnem obtrectacionis sue molem prudentissima Kanuti responsione subuersam uideret, familiaribus regem minis aggreditur, summa illum regni affectacione
 20 teneri inquiens, incertamque Magno regni potisionem futuram, si populo iudice de summa secum foret controuersiam habiturus. Quippe Kanutum cetere nobilium turbel popularium suffragiis preferendum. Quamobrem debere patrem successionis ius proprio pocius quam alieno mandare iudicio, destinatumque heredi locum emulo uacuefacere, dum filii rebus consultum esse uelit. Itaque sapere eum, si suspectam Kanuti fortunam ferro precurrere studeat. He uoces sepius lacesiti regis animum, sollicitudinibus implicatum, grauiori, quam ante, suspicione torserunt.
 25

Tunc Magnus, perinde ac fortune sue consulendi tollendique emuli a patre licenciam nactus, accitos, qui se superius Henrico scelestissimi consilii collegio sociauerant, iurare coegit, fidum se commissi silencium acturos. Adiectus est his Haquinus, cognomine et genere Iutus. Neque uoci eius ulla ex parte diffisum est, quanquam Kanuti sororem in matrimonio habere nosceretur. Igitur coniurati, diu secum taciteque lustrantes, quibus periculorum procellis quoue exciui pondere diuinum Kanuti caput obruerent, pestiferi consilii laqueos humi decubando necabant, ut,
 40 si rem casu detegi contigisset, numquam stando sedendoue

saluti ipsius insidiatos se esse, tuto* iurare quirent, presi- cxx
 dioque situs innocencie sibi munimentum con(s)ciserent,
 ignorantes, uerborum artificio iuramentum edentem periurio
 obnoxium fore. Quorum fucosa atque errabunda simpli-
 citas plus criminis in uocis quam actus impietate reposuit,
 non in manuum, sed labiorum temeritate religionis uiola-
 cionem constituens. Cum autem Haquinus Iutus cepti
 modeste sermonis exitum Kanutine saluti insidiosum ad-
 uerteret, protinus collegio se pestifere conspiracionis ab-
 10 rupit, conclauque excessit, ne latronis pocius quam neces-
 sarii partes egisse uideretur. Igitur a coniuracionis
 auctore, ne iurisiurandi uinculum perrumperet, monitus,
 neque fautorum consilii neque proditorem se futurum,
 respondit; quanquam acius esset immerentis periculum in-
 15 dicio precurrere quam silencio tolerare. Ut autem Magnus
 insidiarum contextum familiaritatis presidio obscuraret
 cunctaque suspicionis notam calliditatis acumine uitaret,
 ante omnia consultum duxit, ut cum eo, cuius ardentissime
 cruorem siebat, fietam amicicie equalitatem iurisiurandi
 20 pacciōne consereret, perinde ac religionis pondere propin-
 quitatis uinculum astricturus, et, ut cunctam malignitatis
 notam sanctitatis simulacione precurreret, nihilque perfidum
 aut obscurum uoluere putaretur, iniquissimam molicionem
 suam insidiosa religionis adumbracione contexit. Quippe,
 25 contracta apud Sialandiam nobilium frequencia, Kanutoque
 circa diuini natalis solenne coniuandi gracia Roskyldiam
 uocato, sacre sibi peregrinacionis amorem incessisse per-
 hibuit. Preterea coniugis ipsum ac liberorum tutorem
 ordinat, eique plenissimam rei familiaris sue custodiam
 30 mandat. Et forte tunc Ingiburga consilii cognicionem||
 conciorum indiciis apprehenderat, statimque uirum, ut
 preparatas capiti suo uitaret insidias, missis literis mo-
 nendum curauit. Ille, nuncium non tam a deprehensionis
 certitudine quam a muliebri pauore profectum existimans,
 35 monicionem respuit, seque non minus fidei in Magni quam
 uxoris precordiis reponere dixit. Quem si fortuna eque
 ac coniunx consilio instruere uoluisse, obiectos perfidie
 laqueos consulcios uitasset, neque credulitatem suam alienae
 malignitatis hamis implicandam prebuisset.
 40 Interea, magnatibus apud Roskyldiam quatuor solen-

nium dies continuo feriatis, Kanutus ac Magnus, publico
 iam conuentu | soluto, sacri temporis residuum diuiduo
 peregere contubernio. Eodem forte tempore quidam
 Kanuto ad modum sanguine coniunctus in eius conspectu
 5 dissidentem secum militem fuste percussum interemit, atque
 ob id curia abire iussus, Magnum petiuit. Prouidens
 autem Magnus, ne per eum ullum consilii sui indicium ad
 Kanutum manaret, nocte, qua ad detestabile carnificis
 ministerium peragendum contendit, ceteris se sequi iussis,
 10 solum hunc, pristina Kanuti familiaritate suspectum, comi-
 tem recusauit. Consilii deinde participes iureiurando ob-
 strictos fidem facere compulit, silencio se cuncta tecturos.
 Post hec militem latebra claudit insidiasque circunspecta
 locorum obscuritate, disponit. Mox Kanutum, apud oppi-
 15 dum Haralstadium ab Erico, Falstrie prefecture uiro, domi
 exceptum, per coniuratorum quendam, genere Saxonem,
 arte cantorem, sine arbitris sibi obuium uenire iubet.
 Occursus locum apud citimum uille nemus denunciat. Ille,
 nihil in re doli suspicatus, duobus tantum militaris ordinis
 20 uiris totidemque equisonibus in coimbatum assumptis, armis
 uacuus equum petiuit, neque lateri suo ferri munimentum
 ad(s)ciscere cure habuit. Quem cum e famulis quidam
 gladio uacuum incedere uetusset, nequaquam se in salutis
 tutelam ferro opus habere, respondit. Tantum enim fiducie
 25 et pacis in Magni societate reposuerat, ut in occursum
 eius ne ense quidem utendum putaret. Monitore uero, ne
 ferrum omitteret, insistente, egre gladium sumpsit. Tunc
 cantor, quod Kanutum Saxonici et ritus et nominis aman-
 tissimum scisset, cautela sensim instruere cupiens, cum
 30 iurisiurandi religio, quo minus id ageret, obstare uideretur,
 quia liquido nefas ducebat,* sub inuoluero rem prodere **cxxvii^a**
 conabatur, integratatem suam inter fidum arcani et pium
 innocencie seruatorem partitus. Igitur speciosissimi car-
 minis contextu notissimam Grimilde erga fratres perfidiam
 35 de indust[ri]ria memorare adorsus, famose fraudis exemplo
 similium ei metum ingenerare tentabat. Sed nullis moni-
 torum ambagibus securitatis eius columen quas[s]are potuit.
 Tantum quippe fidei in Magni propinquitate repositum
 habebat, ut salutem suam periclitari quam ipsius amiciciam
 40 notare mallet. Quem cantor cercioribus adhuc indicis

p. 638

p. 639

aggreedi perseverans, lorice, quam sub ueste gestabat, summa detexit. Sed ne eo quidem suspicionis irritamento refertum fortitudine pectus ignauia astringere ualuit. Ita solide industrie satelles fidem suam et periurio uacuam et 5 innocencia plenam prestare uoluit. Iamque Kanutus primos silue aditus subibat, cum a Magno, occiduum arboris truncum insidente, falsa oris hilaritate et fictis osculorum blandimentis excipitur. Cuius ut astrictum amplexibus pectus ferro tectum agnouit, quid ita eo cultu esset, per- 10 quirere institit. At ille, dissimulande fraudis cupidine munimenti rationem referre cupiens, esse uirum, inquit, uite rustice, cuius populari penates uellet. Kanutus, et rei atrocitatem et temporis religionem sancte estimans, (quippe Epiphanie sacra gerebantur,) ne priuata ira publicum so- 15 lenne macularet, orabat. Quo, neque se ulcionem remis- surum neque proposito cessurum, iurante, ipse satisfaccionis iusta promittere suamque pro eius correccione sponzionem offerre cepit. Obstrepentibus deinde, qui insidiis addicti fuerant, oculos in partem circumferens, quid sibi militum 20 hec manus uelit. || interrogat. Cui Magnus, iam de regni successione et rerum summa agendum, respondit. Tunc Kanutus, ut patris eius maiestas diu letis fortune uelis prosperum cursum teneat; exoptat; tempestiuam uero talium mencionem incidere negat. Hec dicentis uerticem 25 exiliens Magnus obiurgantis more corripuit. Igitur Kanutus, patente iam dolo, manum capulo inserens, uagina ferrum abstrahere conabatur; iamque gladium mediotenus destrinxerat, cum eum Magnus capitis media diffissum exanimat. Ceteri coniuratorum prostratum crebris confo- 30 dere | cuspidibus. Sanguis eius terre redditus salutarem fontis scatebram perpetuis usibus mortalium amministrat.

Cuius cede comperta, Skyalmonis filii, quibus multa ad eum ex educationis communione familiaritas erat, petitum illico regem, ut ipsum in Roskyldensium monu- 35 mentorum area tumulari paciatur, exorant. Ille loci copiam negare, ciuitatem tanti mali aspectu exasperandam dicere, eosque, a quibus funebris Kanuti pompa duceretur, indi- gnacionem suam aduersum inuisam Magni presenciam acrius destricturos. Quapropter exequias pocius sediciosum pugne 40 strepitum quam pium humanitatis obsequium habituras.

(240)

p. 64

Hic michi pauorem specie, reuera odium exhibuisse uidetur, curasseque, ne specioso occisi funere tetricor interfectori labes accresceret. Reuersi, qui regi supplicauerant, miserandum amici corpus tenui funere Ryngstadium extulerunt.

5 Nec diuina laborantibus beneficencia defuit. Siquidem locum, in quo, pausantibus gerulis, funebris eius lectus constiterat, repentina fontis ortu signauit. Aliis quoque compluribus rerum indiciis ingens sanctitatis eius splendor eluxit. Facinoris fama promiscuum patrie lamentum ex-

10 ciuit omni^(um)que penates plangore compleuit. Populus enim, cum calamitosum de nece eius nuncium accepisset, protinus conuiuorum, que ea tempestate gerebantur, hilariitate deposita, morem tempori impensum merore mutauit, inque eo lamentando uterque sexus unius gemebundi amici

15 uocem habuit. Cuius funus publico luctu elatum, quantus eius amor omnium animis insitus esset, indicio fuit. Itaque, cuius uitam patria caritatis officiis excoluerat, morti quoque testes grati animi lachrymas erogabat, ut Kanutum eiulatibus, ita raptorem spiritus eius ualidissimis execra-

20 cionibus insecuta.

Magnus uero ob impie cedis euentum profuso in cxxvii^b gaudium animo Roskyldiam repetit, regnumque, quasi sublato iam emulo, spei firmitate complexus, erubescendam facinoris fortunam tripudio prosequi deforme non duxit.

25 Quin eciam sanctissimis Kanuti uulneribus, quibus plena penitentie lachrymas debuerat, uoluptate ex facinore concepta, per ludibrium insultare sustinuit. Ne autem sanguis celo terraque egregie meriti propagine uacuus interiret, heredem deus extincto subiecit. Nam octaua post hec

30 luce Ingiburga Kanuti conceptum ex eo marem enixa proditur; cui et materni aui nomen inditur. Tunc Haquinus, quem superius Sunnia ortum significauit, cumque eo Petrus, matre Botilda natus, et filii Skyalmonis, facinoris atrocitatem graui querelarum contextu prosequuti, indignam

35 amici necem in popularium ubique conciliis deplorabant, aduersum iniquissimum percussoris actum uulgi iram crigere cupiendo. Quin eciam tunicae eius crebris foraminibus absumptam omnium oculis in concione subiiciebant. Nec parum luctuosam eorum accionem lacere uestis irritamentum

40 adiuuit. Quippe compluribus ingentem ulcionis cupiditatem

tam fede laceracionis spectaculum ingenerauit. Sed et |
 sanctitas Kanuti, crebris signorum indiciis prodita ac diuinis
 uulgata miraculis, incredibili cladis eius conqueroribus ad-
 miniculo fuit. Haraldus quoque interdum declaratam apud
 5 Ryngstadium concionem maiore regni quam ulcionis affec-
 tione petiuit, ibique tristissimam fraterne necis querelam
 peregit. Ericus uero, insularum a Kanuto prefectura do-
 natus, sola uindicta meditacione sollicitus estuabat. At
 10 Nicolaus, popularis inimicicie metu periculosum concionis
 aditum suspicatus, suamque uel filii copiam multitudinis
 uiribus offerre non ausus, Lundensium antistitis Asceri
 consilium aduocat. Quo edoctus, Magno Roskyldis relicto,
 Ryngstadium petit, sperans se per absenciam filii pacaciorem
 15 plebis frequenciam reperturum. Verum quia habendam in
 collibus concionem tuto petiturus non uidebatur, in oppido
 acquiescere quam incertam populi fidem discriminare suo
 tentare maluit. Cumque Kanuti fratres fatum eius apud
 concionem pari fuissent querimonia prosequuti, populus
 20 lachrymosa eorum accione permotus tam innocui sanguinis
 carnificem publica damnacione mulet auit, sentenciamque
 suam aduersum tam pii spiritus oppressorem destrinxit.
 In regem uero, pristina adhuc fortuna uenerabilem, tan-
 quam de eius *incertus* consensu, seuerius consulere passus
 25 non est, ne noxam et innocenciam in equo ponere uideretur.
 Itaque patrie parentem, honoris pariter eius atque etatis
 estimacione uerecundius habita, ab hoc animaduersionis
 genere immunem reliquit. Orta tandem de regis absencia
 mencione, subitis cousternacionis furii incitatus, laxato
 30 concionis ordine, intra suos eum penates opprimere gestiebat,
 prefatus, iuste regem ab his adiri, quos prior ipse petere
 noluisse, presertim cum presenciam suam concioni, que
 per eum uigere debuerat, in uicinia constitutus negasset.
 Quod cum rex ex his, quos ad cognoscendas concionis
 35 uoces direxerat, accepisset, Ascerum emitit, qui reuerenciam
 et nobilitati sue et sacerdocio debitam ire uulgi irruptentis
 opponeret. Ille plebis in occursum contendens, conspecto
 Erico, dexteram habenis eius equo delapsus inserviuit. | Quem
 diu ac multum, ut iram conceptam temere remitteret, pre-
 catus, pro Magni facinore decretam lege correccionem, pro
 40 patris eius innocencia statutam defensionis iusticiam pro-

- mittebat. Quin eciam, detracto pilleo, consternate multititudini capitis sui maiestatem obiecit. Tantum autem eius apud Ericum precacio ualuit, ut regi non modo salus, sed eciam in proximo petende concessionis licencia deferretur.
- 5 Quanquam enim populus ardentissimo studio in Kanuti ulcionem ferretur, auctoritatem tamen antistitis, que inter Danos amplissima erat, ante oculos proponens, plus eius precibus quam suis sentenciis indulgendum putauit. Itaque rex, concione sine filio petita, non aliter defensionem sibi
 10 conciliare permisus est, quam* ut se Magni presenciam cxxviii. uitaturum, eumque domo ac patria excessurum, nec ante receptam a populo ueniam reuersurum iuraret. Ceterum, ne uulgi iram exasperaret, diuiduum cum eo concilium habuit, internunciis parcium mandata gestantibus. Arbitri[i]
 15 siquidem regis, facultatem exilii, quod Magnus apud Gothiam, cuius rex esset, agere poterat, intuentes, condicione utendum monebant, futurum rati, ut interim in omnium animis odii eius habitus exolesceret, ipseque prolixioris absencie beneficio miciorem patrie sentenciam reperiret. Populum
 20 quippe exilii eius miseracione mouendum, iram. quam sceleri inflixerat, penitencie remissurum sperabant. Ita pacato popularium motu, rex Iutiam, Magnus Gothiam, exilii speciem prebiturus, pétuit.
- Huius paccionis obtrectatores amici regis fuere.
- 25 Quippe, qui Magno occidendi Kanutum consilium dederant, condicoris habitum execrantes, teterima sibi ratione regem consuluisse dicebant, sacius affirmantes, ut ipse rerum summam deponeret, quam unicum filium et in spem regni procreatrum ob leues agrestium minas exilii deformitate
 30 damnasset. Quamobrem oportere Magnum reuersionis ius paterno pocius quam populari arbitrio subiectum habere, citissimoque renocacionis beneficio patrie et propinquis, inconsulta plebis malignitate, restitui. His uocibus irritatus Nicolaus, missis, qui Magnum accerserent. abdicatam eius
 35 communionem inimica religioni caritate repeciit. Nec pensi duxit cum contemptu periurii damnatam sanguinis sui presenciam amplexari. Cuius indulgence temeritas procellam Magni discessu pacatam reditu concitauit. Enimuero|| Ericus ac Haraldus Nicolaum, cui eatenus indemnitatem
 40 detulerant, utpote uoce sacrilegum, consilio parcieidam,

detestabili filio damnacionis consorcione iunxerunt, scelere
 pares pena equandos existimantes. Neque enim ulterior
 iuracioni eius fides habita est, qui iam prepropera filii
 reuocacione conspicuum cunctis perjurium edidisset. Verum,
 5 ne populus regio ductu uacuus regem incesseret, sub certis
 signis militare constituit, fragiles conatus et propositi irritos
 iudicans, quos nulla *<ducis>* auspicia procurassent. Itaque
 regem ex consueta potissimum familia petiturus, preterito
 10 Haraldo, Erico, quod huic stirpi affinis esset, et nomen et
 regias uires suffragiis detulit. Siquidem facilem ex his
 eleccionem morum inequalitas faciebat. Non solum enim
 auaricia Haraldi, sed eciam libido flagiciis obsita a regno
 repelli meruit. Huic, coniugalia sacra spernenti, frequens
 15 concubinis cubiculum extitit. Quippe matrimonio non
 contentus, genialem thorum pellicum usu pollutum habuit.
 Quarum partus singulis incunabulis excepti et in aula
 liberis matrum officiis educati, triste nupte spectaculum
 fuere. Igitur ob inuisos parentis mores suspecta quoque
 20 posteritas erat, nec solum presens patris, sed eciam futura
 liberorum metuebatur impietas, quod filiorum affectus
 paternis soleant ingeniis respondere. Eapropter cuncti
 ab Haraldo oculos auertentes, benignis Ericum animis
 respicere maluerunt. Ipse uero, plus proprie moderacioni
 25 quam alieno fauori indulgendum existimans, oblatum a po-
 pularibus honorem sumere recusauit, ornamentum eius
 uiribus querere regnumque armis precurrere cupiens. Igitur
 et ulcioni studendum et imperio ante partam uictoriā
 abstinentia putauit. Ac primum Iutiam imparate ex-
 30 spedicionis uiribus petit. Quem contexta acie procedentem
 Thoro, Riparum antistes, compositis perfidie commentis
 excepit, summam regis innocenciam predicans, cumque
 iuracionis sue tenorem deinceps executurum promittens.
 Verbis deinde magnam pre se excusacionem preferentibus
 35 preces de pace multiplicat. Ericus, obsecrantis animum
 simpliciter estimans, securitate ex eius mendacio concepta,
 continuo, reuocatis aquiliferis, subsistere copias iubet.
 Cuius mora Nicolaus ex speculatoribus cognita, profusos
 in ocium hostes nullo negocio fugauit. Ita dux, antistitis
 40 commento ludificatus, stolidē credulitatis sue penas pepen-
 dit.* Cumque ob hoc datum sibi iustum belli titulum cxxi

animaduerteret, sed ob rerum angustias regio apud Ysoram nomine insigniri nequiret, Sialandiam reuersus, eius Scanieque suffragiis recusatum prius honorem accepit, onnique dissimulacione reiecta, acrius in fratris ulcionem erigitur.

- 5 Inde literas ad Lotharium facit; amici necem ulci-
scatur, orat, parricidii a Magno penas expetat; eumque in
societatem belli tum precibus, tum eciam premii paccione
sollicitat. Imperator, maiore pociendi regni quam exigende
ulcionis cupiditate perductus, secus Iutie menia gradum
10 Romano militi struxit. Etenim propositi spem non tam
in uiribus suis quam in interno diuidue regionis motu
reposit. Cui se Ericus apud Slesuicum classe obuium
dedit. At Magnus utriusque hostis aduentum accurata
15 ualli munitione precurrens, ualidum portis presidium appli-
cuerat. Interiectis diebus, Nicolaus citeriora ualli immenso
Iutorum agmine circunfudit. Cuius tante copie erant, ut
imperator acie manum cum eo conserere formidaret, sed
neque classe Erici ad copias suas in urbem traiiciendas
20 uti presumeret. Cumque nec aggerem oppugnare nec
militem nauigiis mandare tutum duceret, inaniter tempus
a se teri conspiciens, pacis condiciones excogitauit, quibus
speciosam sibi soluende obsidionis rationem con(s)ciseret.
Ericum itaque, cui integrerrimam opis stabilitatem spopon-
derat, auersatus, pactum cum aduerse partis principibus
25 habuit, ut obsidioni ipse parceret, Magnusque Romani
imperii militem ageret. Qui cupide condicione usus, sup-
plex Lotharijum ueneratus est. Sed insidias parabat ob-
sequio. Ille ex pacto copias trans Eydoram recepit. Quo
accepto, Ericus Cesarem nauigio petitum per summam ||
- 30 Teutonice perfidie execrationem exprobracione leuitatis
insequitur, futurum affirmans, ut Magnus tali se circa ipsum
fide gereret, qualem nuper in excolenda Kanuti societate
prebuerat. Nec uana assercio extitit. Imperatore siquidem
Eydoram remenso, Adolfum, extremos ab eo curare iussum,
35 Magnus per insidias adortus, non solum copiis spoliauit,
sed eciam arma deformiter abiectantem nando fugam
capessere coegit. Ericus, imperatoris ope defectum se
uidens, per summam animi egritudinem orientalia repetiuit.
Superueniunt legati a Magno, rege Noruagiensium, missi,
40 maiorem Kanuti filiam, sed nondum nupciis tempestiuam,

p. 616

(243)

p. 647

eius coniugio petituri. Quorum legacionem Ericus contrahendarum virium spe fauorabiliter habuit, exceptit alacriter, cupiens finitimorum auxilia affinitatis beneficio comparare. Ipse quoque, bellis ocium interpellantibus, ad 5 huc coniugio uacans, nouercam Magni, Noruagiensem quondam reginam, utpote dignus hac nupciarum uicissitudine, fauente eiusdem priuigno, suscepit uxorem.

Hybernis itaque per quietem exactis, recidiua belli tempestas efferbuit. Nam Nicolaus occasuum Danie militem 10 contrahebat; Ericus, Christierni, splendidissimo inter Iutos loco nati, promissis erectus, Orientis auxilia pugne comparat. Is Magni odio a Nicolao deficiens, enixe se Erico affuturum spoponderat. Petrus uero, Roskyldensium pontifex, Ericum corpore, Nicolaum animo conitabatur, metu 15 alterum, alterum caritate complexus. Sed Haraldi fauor inter ruborem et odium uarie fluctuatus est. Ut enim Nicolai castra uerecunda pudoris meditacione uitabat, ita fratris prelacionem perosus, miliciam eius inuidia detrectabat. Itaque partes eius cum duobus spectate indolis filiis specie 20 magis quam beniuolencia prosequebatur. Neque enim ei parcius aduersum germanum, a quo se in regni petione superatum uidebat, quam in fratris interfectorum odium erat. Interea Christiernus, necessariorum manu contracta, acie regem aggredi statuebat. Cuius Nicolaus non solum 25 defecione, sed eciam hostili molitione comperta, copias, quas aduersuni hostes contraxerat, inter naualem terrestremque partitur exercitum. Quin eciam Christiernum acie excipere parat, Magnum classi prefectum Erico obuium destinat. Iam uero Ericus ad insulam, cui Syra nomen, 30 appulerat. Quo ignorato, Magnus,* aura quam euentu cxxix prospereiore, ab Arusia soluit, nauigiisque aliis alia precurrerentibus, sparsa incompositaque classe processit. Cuius Ericus aduentu precognito, scafa exceptus, nunc singulos, nunc uniuersos classis sue magistros, maximeque Petrum 35 et Haraldum, quorum dubiam suspectamque fidem habebat, impensis oribus pugne hortamentis sollicitat. Neque enim repente cum tota Magni classe manum consèrere cupiebat, sed nauigia, ut cuique celeritas cursum dederat, accedencia sigillatim nautarum internicione uastauit. Quorum Magnus 40 eminus pericula speculatus, confestim, demisso uelo, nau-

gium suum anchorae quam aure credere preoptauit, disiectamque pelago classem lituo recinente contraxit. Igitur ignauis fugam, forcioribus pugnam apprehendentibus, Ericus, cum nauium numero prestaret, arctissimo earum contextu hominem conclusit, ac ueluti classe classem obsedit, atrocitatemque pugne augebat necessitas. Cumque Iutenses neque uictorie facultatem neque fuge copiam fortune sue suppetore uiderent, duci quam sibi consulere preoptantes, salutem eius propriis seruauere periculis. Quippe consertissime classis cuneum irrumpentes, quia uictoram Magno prestare non poterant, uicto fugam querebant. Nam eidem, mi paronem ingresso, ueluti quandam elabendi semitam, securis periculorum animis, extruebant. Quo dilapso, nihilo minus pugnandi pertinaciam retinentes, aut morte aut capcione finiuere bellum. Cumque uictores spoliis deuictae classis incumberent, inter egestam nauigis predam quendam uelo implicatum conspiciunt. Cuius ex deformitate latebre formidinem estimantes, protinus ob ignauiam eum laqueo consumpserunt, uti fedo mortis genere spiritum redderet, quem pugne fortiter impendere dubitasset.

p. 649

Interea Christierius, manu cum Nicolao infeliciter conserta, per ingentem suorum stragem capit, et in ostii Slesuicensis ergastulum relegatur. Ericus uero, recentis pugne successu elatus, sed eorum, que circa Christiernum gererantur, ignarus, pociende Iutie spe mare Lymicum classe compleuit. Vbi cum, expositis incaute copiis, et Christierni fugam et regis aduentacionem nuncio didicisset, plus amici fortuna concussus quam propria recreatus, recepto milite, reuerti maturauit. Ex cuius agmine complures, tardius nauigia repetentes, ab imminenti regis exercitu trucidantur. Hunc euentum secutus Haraldus ad Nicolaum, occultis se promissionibus inuitantem, defecit. Plus siquidem indignacionis ex Erici dominacione quam ire ex Kanuti internicione conceperat, eique frater fratris oppressore onustior erat. Quin eciam Magnus, ut letum hostilis milicie incrementum, ita tristem sue defectum aspiciens, fraterni commilicij societatem labefactare tentabat. Haraldum itaque, quem Erici partes dubia fide secutum nouerat, promissis dignitatis incrementis urgebat. Nam et Haraldus, quanquam iram obsequio tegeret, incitaciore odio aduersus

(244)

p. 650

Ericum quam Erici impugnatorem ardebat. Itaque non solum eius arma deseruit, sed eciam, quo ualidiorem Nicolao opem impenderet, castellum, quod in Roskyldensi suburbio molitus fuerat, impensiore munimento uallauit, inuidiam 5 fraterna prelacione conceptam perfidia defecionis exsacians. Idem cum Ericus magna Sialandensium manu per obsidionem clausisset, uallique firmioribus obstaculis conatus suos ad modum interpellari uideret, a Saxonibus, qui Roskyldie degeabant, tormentorum artificia mutuatus, do- 10 mesticas uires externis cumulauit ingeniis. Quippe nostri, rerum adhuc militarium rudes, raro talium usu callebant. Primum itaque saxum, parum negeto iactu machinamento egestum citraque ualli propinquitatem collapsum, ludibrio castrensis fuit. Siquidem, irrisa tormenti ui, ulteriores 15 eius impulsus irritos augurabantur. Secundum incitacius actum ac mirifice cuidam tecto superne impactum, pondere et incussu suo funditus penetralia transuerberauit, edemque magno cum fragore collisit. Que domus, fundamenti loco lignea tantum base subnixa, eidemque uelut cardini im- 20 minens, leui attactu quamlibet in partem circumagi poterat. Quo uiso,* Haraldus fiduciam, quam ex primi iactus de- cxxix
 ffectu conceperat, in secundi processu deponere coactus, cum neque se domi obsidionem laturum neque foris auxilia accepturum speraret, noctu, maritima aggeris parte 25 perfracta, quod ab hoste negligencius obsideretur, equos per prerupta demissos pedes cum suis insequi cepit. Cumque totis in castris tumultus exoriretur, citato aerius equo comitibusque, ut Haraldo occurreretur, de industria uociferari iussis, non Haraldus, sed Haraldi insequutor 30 creditus, inter medios perstrepencium globos | facilem fuge meatum habuit. Itaque non minus ficte fugientium uoces, quam temporis habitus hostium existimacionem fefellisse creduntur. Fuere tamen ex Teutonibus, qui hunc in ipso fuge procursu sagittis a se confixum assererent. Ita uafri 35 ingenii dux obsidionem arte, periculum calliditate frustratus, reperta rate, Iutiam petit. Quem Nicolaus, perinde ac partibus suis in Sialandia propugnantem, non solum regali beneficia prosecutus, sed eciam primis inter amicos honoribus ueneratus est. Nec tamen suspicione uacula

familiaritas fuit. Quippe et repentina fratris desercio et subitaneus transfuge notabatur aduentus.

Interea Sueones, quod Magnum domesticis bellis occupatum audierant, Suerconem quendam, mediocri inter 5 Sueones loco natum, regem constituunt, non quod illum tantopere diligenter, sed quia externi hominis imperium recusarent, ceruices indigenam ferre solitas peregrino duci submittere formidantes. Hic Suerco Vlwildam Noricam, quam Nicolaus in matrimonium, emortua Margareta, rece- 10 perat, amatoriis primo legacionibus sollicitatam, mox uiro furtim abstractam ad suum usque connubium perduxit. Cuius coitu pro coniugio usus, Karolum ex ea, qui et post ipsum in Suetia regnabat, suscepit. Per eadem tempora diu Kanuti filia, iampridem regi Noricorum desponsa, per 15 legatos ab eo in Diam missos nuptura deducitur.

Peractis hybernis, Nicolaus, diutinam deficientis a se regni ulcisci cupiens iniuriam, cerebra Iuticarum parcium classe Sialandiam appulit. A quo Ericus apud Weram pontem grauissimo prelio superatus, cum uxore, quandam 20 Noruagie regina, filioque paruulo Suenone, quem ex pellice procreauerat, necessitu|dinis fiducia Magnum petiuit, eiusque humanissimam primo hospitalitatem, mox dolum atque fallaciam expertus est.

Interea Nicolaus, Haraldi, Teutonicorum supplicia 25 exigentis, precibus inclinatus, Roskyldiam irrupt, comprehensosque in urbe Germanos incensoris arbitrio mulctandos dimisit. Quos Haraldus, tum quia tormentorum offices, tum quia de falsa nece sua gloriantes audierat, extrema narium parte precisa, deformes reddidit, percontatus, 30 an Haraldus eorum fuerit iaculis interfectus. Tunc quidam ex his, applicatum ori suo cultrum aspiciens, parcendum sibi, quod doctus esset, asseruit. Haraldus, hominem literarum peritum existimans, reuocato lictore, ad ep[ist]ulas perductum, ipsas (ut fieri assolet) solennium nuncupacione 35 uerborum dedicare precepit. Cui captiuus, suendi se, non sacrandi professorem respondit. Haraldus, hominis acumine delectatus, impunitatem astucie tribuit, iramque, quam deceptus abiecerat, correctus repete reubescerat, ne erorem suppicio emendare uideretur.

40 Per eadem tempora Haraldus, Hybernicarum parcium

(245)

p. 652

oriundus, florentissimum Noruagie statum ueluti fulmen aliquod ac tempestas incussit. Qui cum se Magno, Hybernie populatore, procreatum astrueret, affirmacioni sue fidem diuini examinis argumento prestare iussus, super
 5 carentes laminas nudatis plantis (nam id ab eo experientum poscebatur) incessit; hisdemque nulla ex parte corruptioribus, complures Noruagiensium liquido incolmitatis miraculo ad assercionis sue credulitatem perduxit. Ex cuius gremio omnis Noruagicorum bellorum lues ma
 10 nauit. Interea Nicolaus per insidias emulum opprimere statuens, Mag|num Noricum in eius necem mercedis paccione sollicitat. Ille, lucri irritamento latrone corruptior, hostisque ex hospite effectus, impensis oris obsequii simulacione cur*(i)*am Erici * exactissima satellitum custodia uallauit,
 15 officiisque fallaciam texit. Erycus uero, per reginam, cuius patruus erat, insidias obsequio subesse doctus, amicis, quos in Lalandia habebat, propositum regis cum remedii preccacione denunciat. Nec segnis Lalandensibus ad opitulandum animus fuit. Solo quippe nauigio Noruagiam pe
 20 tentes, occulto nuncio aduentum suum Eryco significant. Qui quod Noruagenses summam in pocionis magnitudine uoluptatem habere nouerat, applicatam sibi custodiam temulencia ludificandam putabat. Igitur stipatorum sobrietatem crapule delectamento adorsus, instaurata comessatione, crebris custodes poculis attentabat. Quibus ut bibendi cupiditatem augeret, irritamentum ebrietatis aleam cyphis interserit. In qua posito cum quibusdam pignore decertans, eciam prosperum tesserarum iactum inertis lusu de industria prosequebatur, uti collusores fortuna lucri
 25 illectos ad lasciuendi cupiditatem ludendique perseveranciam incitaret. Postremo, perinde ac prolixioris uigilie tedium fatigatus, cubitum excessit, sacerdotemque exilio socium aleo pro se curatorem reliquit. Ille rem sobrie prosequutus, temperanciam eorum multiplicatis poculis,
 30 quantulacunque restabat, subuertit, interque mero ac somno sopitos medium cubandi locum habuit. Interea Ericus, perrupta cubi*(cu)*li parte, cum clientela ac coniuge furtiuo ad mare discessu peruenit, repertaque in littore nauigia, quo tucius fugam caperet, in sentinis perforanda curauit.
 35 Hec tractanti succurrit, filiolum hospicio dormientem fuisse

- relictum. Adeo obliuiis animum festinacio implicat. Quippe quo occupacius, hoc negligencius humanum esse ingenium consueuit. Quanquam uero prestolacioni periculum inesse non dubitaret, sanguinis tamen sui cu[ram] deformiter
 5 abiicere passus non est. Missis igitur, qui adolescentem exciperent, tarditatis molestiam eximia filii caritate contempsit. Quo || allato, in altum processit. Diluculo, quibus Erici cura mandata fuerat, pulsatis hospicci foribus, an hesternam adhuc temulenciam non discussisset, interrogant.
 10 Nemine uero responsum edente, taciturnitatis admiracione crebris id ipsum clamoribus prosequuntur. Tandem silencio attoniti, conuulsis ianuis, uacuam hospitibus edem inueniunt. A quibus uafre sibi illusum uociferantes, euentum domino trepidi nunciant. Qui, protinus petito littore de-
 15 tractisque in altum nauigiis, fugacem intercipi iubet. Que cum, uiciatis lateribus, undarum plena conspiceret, subducta refici curauit. Iisdemque rursum in mare detrusis, ad accelerandam nauigacionem uelo pariter ac remis incubuit. Adeo promissum in mortem Erici premium affectabat. In-
 20 terea Ericus grandem pelagi partem emensus, magno hostem interuallo precesserat, ideoque facile ab insequenteribus occupari nequibat. Cumque Magnus nauigacionem diutile gestam propositi irritam animaduerteret, reuocato remigio, domum reuertit. Ericus uero fidissimam sibi
 25 Lalandiam repetens, intercepti Vbbonis suspendio, quem Nicolaus minorum insularum prefectum creauerat, clarum redditus sui indicium dabat. Auditio deinde, regem diuini natalis die[s] Lundie feriari debere, aduentum eius, petita Scania, precucurrit, totamque regii apparatus impensam
 30 preripuit. Quod audiens in Sialandia rex, alimentis publica administracione contractis, procedere supersedit. Estate uero, preter Scani<c>am omni Danica classe contracta, ad Fotam sinum appulit, pedestremque | propter littus aciem statuit. Que cum centuriatis parumper ordi-
 35 nibus constitisset, aduentante Erico, excitum equorum unguulis puluerem in speciem nebule eminus exhalare conspiciens, paulatim ad naues gradum retulit. Sed inter eundum aduentantis equitatus fragore perculta, incessum ad fugam conuertit. Quam superueniens Ericus, fortuna,
 40 non prelio superatam, impune cecidit, ineruentamque, deo

p. 654

(246)

p. 655

parricidium vindicante, uictoriam habuit. Magnus cum aliquanta forcium manu cedere ueritus, ceteris terga obuertentibus, aduerso hostem corpore repellebat. Quippe, cum fugam parum liberam cerneret, animo*sum sibi con-
 5 *(s)ciscere* exitum mortemque suam pugnando clariorem efficere egregium duxit. Quin eciam, ne pristinum fortitudinis sue splendorem obtereret, fatum quam fugam am-
 plecti maluit. Postremo, ut insigni pugna, ita multa aduersariorum strage edita, super prostratorum a se cada-
 10 uerum struem una cum Petro, pontifice Roskyldensi, consumptus occubuit. Quem ut fati comitem, ita tumuli quoque consortem habuit. Nicolaus, admoto sibi per uillicum equo, nauem petiuit. Maior fugiencium pars comprehensa per foros nauigia concendere cupiens, ingenti
 15 quadam mole mersabat. Igitur, qui primi introrsum euaserant, tardiorum manus nauigiis insertas absque societatis respectu ferro truncantes, ferociores in suos quam in hostes fuere. Calamitosa nimurum illa facies erat, cum pendulis nauigia brachiis amplectentes hinc hostis urgeret, inde
 20 ciuis repelleret. Quo experimento, quantum quisque salutem suam aliene preferret, fortuna detexit. Taceant nugaces adulancium uoces, que spiritum amicorum proprio cariorem astruere non erubescunt. Crediderim hanc uictori-
 25 ram humanis parum uiribus partam, sed, deo piissimi uiri interitum ulciscente, concessam. Neque bellum aliud crebriorem pontificum cruentum absumpsit. Quippe Petrus Roskyldensis et Henricus, Sueticarum parcum pontifex, omnesque Iutie, preter unum, antistites hoc prelio oppressi traduntur. In cuius apparatu Magnus, Saxonis filius, Erici
 30 miles, singulare fidei specimen edidit. Nam cum Nicolaus maritima Sialandie loca, nequis ad Ericum transiret, a militibus obseruari iussisset, per Stethiumensis promontorii prerupta a satellitibus fune demissus, noctu scapham concendit, eaque Scaniam petens, gratam Erico opem
 35 attulit. Post hec Magnus Noricus nudati consilii sui coniugem arguens, reiectam a se Erico remisit, dignam repudio ratus, que coniugali caritati consanguineum pretulisset affectum. In cuius contemptum, temerata matrimonii religione, se ipsum nupciis spoliare || triste non duxit. At
 40 Nicolaus, fuga *(in)* Iutia*(m)* elapsus et tanquam ad fortune

ludibrium reseruatus, estimato pariter et orbitatis sue et
 etatis habitu, non ut sibi successorem, sed ut emulo hostem
 relinquaret, Haraldum regni post se declarat heredem.
 Deinde Slesuenses, ob Magni iampridem facinus infensos,
 5 ad habitum pacate mentis reducere cupiens, de compo-
 nenda secum pace sollicitat, eosdemque et etatis sue et
 fortune miseracione(m) acturos existimans, sumendorum
 obsidum gracia oppidum intrare constituit. Rursum, cum
 caput suum inexplorate fidei ciuibus obiicere dubitaret,
 10 Beyonis cuiusdam, summam inter oppidanos auctoritatem
 gerentis, hortatum secutus, salutem simul cum suspicione
 depositus. Portas siquidem de industria patefactas ingressus,
 ut piuum cleri, ita ferocem plebis occursum repperit. In
 excipiendo namque eo diuiduum ciuitas animum habuit.
 15 Clericis quippe eum sacre processionis officio uenerantibus,
 cetera uici pars ut hostem exceptit. Qui cum inter plateas
 aduersis sibi signis obuiam iri, conspiceret, amicis, ut in
 edem Petri configureret, exhortantibus, aulam petiuit, et,
 ne cruenta corrixacione diuini fedarentur penates, regia
 20 sese quam templo tueri maluit, paterno in lare quiecius
 obiturum prefatus. Nec defuit militibus prompta mens ad
 eius salutem suis cladibus defendendam. Diu siquidem
 intactum eum animosis corporum suorum obiectibus ser-
 uauerunt, neque triste duxerunt, pro tuenda illius incolu-
 25 mitate suam ultimis implicare periculis. Quorum Slesui-
 censes primum sanguine profuso, ad ultimum et regium
 absumperunt.

p. 657

EXPLICITVS EST LIBER DECIMVS TERCIVS.

HISTORIE DANCIE

LIBER DECIMVS QVARTVS.

Interea Ericus, destinata in Iutiam classe, cum ad Syram insulam appulisset, nuncium de regis oppressione suscepit. Et forte in ea rerum colluione Ericus ac Bero, natu inter Haraldi filios primi, deserto patre, fidelius se quam felicius Erico iunxere. Idem noctu clandestina patris legacione petiti, silenter accepta gesserunt. At 5 nihilominus legacionis indicium nactus, experiende eorum fidei gracia aliquandiu ignorancie simulacione silentium egit. Quibus secretum paternum tegere perseuerantibus, cum se nullam ex eis arcani cognitionem suscepturum putaret, desperato uoluntarie confessionis indicio, 10 uocatos in medium uehementi perfidie exprobracione pulsat, quod rem a patre mandatam parum lucide pertractassent. Interrogati quoque, quam ad eos pater legacionem habuerit, consultos se, quid agere eum potissimum expediret, ut ad Noruagiam exularet, respondisse dicebant; 15 ideoque non ante consilium fateri uoluisse, quam ei a consultore obtemperatum agnoscerent. Quorum affirmacio quanquam uera esset, fidem non habuit, quod inuita pocie quam ultronea uideretur. Igitur eorum experiri Ericus asserta cupiens, ambos arctissima apud castrum Slesuicense 20 custodia asseruari precepit, ut, ueritatis cognitione suscepta, aut innocencie premium aut reatui penam referret. Cui post modum idem forte castellum intranti memorati 25

iuenes compeditis semet incessibus obtulerunt, supplices-
que eius genibus aduoluti, pretentis innocencie meritis,
capcionis || remedia flagitabant. Quorum Ericus ut fortune (248)
misertus, ita fidei gratulatus, (quippe fuga patris filiorum
5 affirmacionem adiuuerat,) sicut erat mero percalefactus, et
calamitati lachrymas dedit et ueracitati salutem promisit.
Quod cum forte Christiernus ex aulicis cognouisset, ante-
lucano tempore petenti sacrarium Erico obuius factus,
hesterne eum temulencie lasciuia concitatum intemperate
10 munificum extitisse ridebat, quod Daniam hosti dono dare
sustinuissest. Racionem quoque dicti lucidiore sentencia
persecutus, fore inquit, ut Haraldi filiis maior uinculorum
suorum quam absolucionis respectus incesseret, odium
liberatori pro gracia relaturis. Quid enim aliud Ericum
15 eorum saluti parcentem agere, quam Haraldo robustorum
iuenum auxilia reseruare? His uocibus inclinatus Ericus
a promisso suo quam ab amici consilio recedere maluit,
profectamque a crapula indulgenciam sobria animaduersione
cassauit. Huic clemencie studium in crudelitatis exhorta-
20 cione deponere rubori non fuit. Itaque, quorum spes ad
uitam intenderat, salus aquis consumpta est.

Eodem tempore Noruagie primoribus Magnum Ha-
raldo, qui eque rege genitus esset, dimidium regni cedere
postulantibus, eoque hominem ignotis ortum parentibus
25 admittere recusante, in agro Fridleuno ferro certatum est.
Interea Haraldus, repetita Iutia, Vrnice concessionis suffragiis
rex est declaratus. Quo comperto, Ericus, nauigiiis glacie
tenus (nam gelu undam durauerat) in | altum usque per-
tractis, Iutiam tacite petiuit, Haraldumque apud Scyptorp
30 uicum noctu cum superstitibus filiis interceptum, diluculo,
conclavi extractum, absque respectu fraternitatis capitali
suppicio affecit. Ex quibus Olauus, clausum armis cubi-
culum uidens, mutata cum feminis ueste, salutarem inter
hostes egressum habuit. Ea tempestate Haraldus Nor-
35 uagia pulsus, ut ab Erico aliquid uirium contraheret, in*
Daniam peruehitur. Quem Ericus ob relictum ab eius cxxxvib
emulo matrimonium supplicem recepit, oblatumque sibi
speciosum pugne titulum gausus, auxiliis eum prosequi
statuit. Haraldus autem, excepta liberalitate, nullam
40 animi fere dotem adeptus, crebra corporis uirtute pollebat.

Cuius uiribus fretus apud Helsyngam oppidum, pignore cum Erico posito, an cum lectissimis eius equis cursu contendere potuisset, duobus in certamen admissis, utroque metam prior tenuit. Geminis siquidem inter currendum 5 bacillis innixus, crebris corpus saltibus concitabat. Aliud quoque inusitate agilitatis spectaculum edere cōnsueuerat. Sepe etenim inter nauigandum puppi exiliens, in proram per exerta remorum capita decucurrit, indeque cursu in aliud nauigii latus reflexo, per reliquos remorum ordines 10 locum, quo excesserat, repetiuit. Qui si parem animi uirtutem a natura traxisset, nequaquam se inter amplexus pellicis emulo obruendum dedisset. Huic Ericus tametsi opitulari uellet, Sclavis domesticam pacem interpellantibus, animum opere comitari nequiuuit.

15 Igitur, omissis amici rebus, propriis curam iniecit, contractaque aduersum Rugiam classe, quo gnauius bella conficeret, maritime Danorum expedicioni primus equos adiecit, quaternos singulis nauigiis mandans; eumque morem diligens posteritatis cura seruauit. Classis eo numero 20 digesta, mille et centum nauigiis frequens reperta est. Quibus Dani ad Rugiam appulsi, urbem Archon aduersum se ualido presidio firmatam inueniunt. Quam ne finitimus auxiliis iuuari sinerent, tractum, qui Archonensem fines prope modum Rugia abscisos cum continentis committit, ligonibus concisum in uallum opace ad modum altitudinis redegerunt. Tuicio eius Hallendensibus credita, iisdemque Petro parere iussum. Quos Rugiani, quesito per uada transitu, noctu inopinatos adorti, compluribus cesis, a cetero repelluntur exercitu. Igitur Archonenses, 25 cum nec uires conserendi belli haberent neque locum ad contrahenda auxilia suppeteret cernerent, necessitate uicti, salutem et in Christiana sacra transpcionem pacti, statua, quam ue[n]erabantur, retenta, Danis se tradunt. Erat enim simulacrum urbi precipua ciuium religione cultum crebris- 30 que finitimorum officiis celebratum, sed falso sacri Viti uocabulo insignitum. Quo asseruato, oppidani ueterem sacrorum morem penitus abrogari passi non sunt. Primum itaque solenni ritu prolui iussi, stagnum maiore pellende sitis quam iniciande religionis ardore petentes, sub specie 35 40 sacrorum fessa obsidione corpora refecerunt. Datur Ar-

p. 662

chonensibus pariter rerum diuina|rum antistes, qui et eis culcioris uite formam prescriberet et noue religionis rudimenta contraderet. Sed post abscessum Erici cum antistite pulsa religio. Siquidem Archonenses, abiecta obsidum 5 caritate, pristinum statue cultum repetentes, qua fide diuinum suscepérunt, prodiderunt.

Post hec Ericus, ordinatis in Dania rebus, amici curam, importunitate omissam, accepta rerum tranquillitate resumpsit, iuuandique gracia eius urbem As[y]lo, Magno 10 deuotam, primo diripuit, mox igni subuertit. Interiecto anno, Haraldo eidem, opem iterato poscenti, uniuersam Danie classem pro supplemento transmisit. Collato bello, uiribus Magnus inferior capit. Quem Haraldus uita frui permissum, oculis ac genitalibus carere precepit, ne aut 15 luminum uoluptate regnum appeteret aut Veneris usu ultricem sui sobolem procirearet. Cecatus igitur castratusque cum interrogaretur, quem ex suis penam secum oculorum subire uellet, paucos ea re delectari respondit. Tunc quidam et forma ei simillimus et miliciam eius 20 singulari fide complexus, ne ex tanta clientela deesset, qui cum domino compati uellet, ultro se suppicio obtulit, prefatus, ut uidenti simillimum, ita luminibus orbato futurum. Qui cum uirtute ueneracionem | meruerit, apud p. 603 improbos penam persensit. Magnus uero, non tam animi 25 uirtute quam corporis debilitate* continencie religionem cxxxii. amplexus, de sceptrato cucullatus euasit.

Interea Ericus, quesitam armis pacem iusticie ornamenti excolere cupiens, conditas a maioribus leges ac tunc pene ingenti bellorum tempestate subuersas ad pri- 30 stini uigoris habitum reuocauit, utque fortitudine fuerat, ita iusticia insignis apparuit. Irrogatas minoribus iniurias superiorum suppliciis pensabat, nihilque familiaritati aut necessitudini parcens, aut ferro aut laqueo inconsultam maiorum auariciam castigabat. Quo studio et principum 35 odia et plebis obsequia contraxit, euenitque, ut et potentibus formidolosus et popularibus percarus existeret. Idem rerum a se gestarum uirtutem tantis laudibus prosequi consueuerat, ut ueri interdum fidem excederet. Semel quoque Erici salus satellitis eius somnio seruata proditur. 40 Nam cum ex freto Slesuicensi Sialandiam petere statuisset,

quidam nautarum per quietem existimauit, per inculta moncium iuga lasciuo ad modum equo se prouehi, eoque cursum eitante, inter uallium opaca precipitatum crebris noctuarum unguibus laniari. Quod cum mane per iocum 5 sodalibus retulisset, Ericus, ea uisione ueluti periculi premonitus, ne eum nauigacionis comitem haberet, in aliud se nauigium contulit, eoque tutus, sociis naufragio pereuntibus, permansit, letatusque est, quod salutem suam aliena rati quam proprie credere maluisset.

10 Forte autem inter ipsum Roskyldensemque pontificem, Eskyllum, inimicicie primum, mox sediciones adoleuere. Qua in re antistes Petri, Botylde filii, collegium nactus, auctoritate, quam primam inter Sialandenses habebat, in regis eos odium concitat, uiribusque publice 15 consternacionis adiutus Sialandie eum terminis pellit. Quo exacto, prouincialem populum in societatem faccionis sub titulo libertatis ad(s)ciscit, a suspectis obsides petit. Solos uero Skyalmonis filios sedicionis consoreium detrectantes ad populare concilium euocat, et, ni statuta die obsides 20 tradant, bonis carituros minatur. Illi uero ad concessionem perueeti, nec minis uicti nec bonorum pena mulctati, solidum tenuere propositum. Sed ut ad eos impunitas redundauit, ita ad Eskyllum pena concessit. Rege enim cum Iutica classe reuerso, patris ac patrui interuentu usus, 25 uicena auri talenta mulcte nomine persoluit. Petrus uero, fatis suis ulcionem precurrentibus, penam, que a rege parabatur, effugit. I' er eadem tempora, decedente Ascero Lundensi, de noui antistitis suffeccione diuidum regis ac populi suffragium fuit. Siquidem Scanies ob egregia 30 Asceri merita Eskyllum, arctissima ei consanguinitate iunctum, ne po(n)tificium a familia discederet, suffragiis amplectuntur. Rex uero, rubore fugacionis ammonitus neque suorum in Eskyllo dedecorum oblitus, Rikonem Slesuicensem, qui nuper Albero successerat, quod in po- 35 ciendo regno familiari eius opera usus fuerat, eorum arbitrio preferebat. Nec tamen hec uota palam ad litem et controuersiam progressa fuerant, Scanis metu sentenciam occultantibus. Eodem tempore Plogus quidam, claro inter Iutos loco natus, tametsi regis miliciam profiteretur, la- 40 tentes capiti eius insidias comparabat. Ad quem Rypam

ueniens, milicie titulo stipendum postulabat. Quo recepto,
 datum sibi cladis eius premium reputabat. Et forte
 Ericus, inter quosdam populares acrius dissidentes regali
 iudicacione componere rogatus, publica id concione exequi
⁵ statuebat. In qua cum Plogus cuidam ex plebo de se
 querenti satisfacere iuberetur, dicendi simulacione facta,
 non sine lancea progressus, auditum sibi preberi petiuit.
 Stabat autem et rex haste innixus turbantique silencium
¹⁰ populo manu, ne obstreperet, innuebat. Quem Plogus,
 loricam ueste tectam gerere existimat, diu curiosis
 speculatus oculis, ut inermem deprehendit, lancea trans-
 uerberauit. Et ne timidius dicere quam facere uideretur,
 regem a se prostratum uociferans, ceteros ad militum in-
¹⁵ terventionem hortatur. Aulicis itaque passim metu dilaben-
 tibus, Ericus Haquini filius, cui ex pacientia cognomen*
 obuenit, egregium fortitudinis exemplum prebuit. Diu ^{cxxxiiib}
 siquidem exanime regis corpus gladio protexit, sociisque
 in fugam lapsis, solus ex tot commilitonibus intrepidum
 mentis habitum tenuit, dignus, ut ei in regnum successor
²⁰ fieret, pro quo eciam extincto pugnam gerere perstitisset.

Iamque uacantem Danie possessionem nemo sanguinis
 uirtutis fiducia aut petere aut rapere presumebat.
 Quippe Sueno Erici, Kanutus Magni, et Waldemarus
 Kanuti filius nondum regno tempestiui fuere. Christiernus
²⁵ uero Waldemarum, pater|nam cuius ulcionem adiuuerat,
 regno dignissimum predicabat. Quem honorem mater,
 multis et grauibus periculis obsitum ac uix quidem
 adultis gestabilem, perniciosum paruulo futurum aduer-
 tens, poscenti puerum Christierno tradere recusauit,
³⁰ maioribus id munus deberi prefata. Postremo pertina-
 cius insistentem iureiurando obstringit, in regem eum
 eligi non passurum. Quo Christiernus ad populum et
 concessionem usque perlato, patris eius beneficia memorat,
³⁵ ut domi leges et iura stabilierit, ut foris hostem represserit,
 ut furtis rapinisque patriam uacefecerit, ut Daniam pene
 exhaustam et exanguem Sclauie magistram reddiderit, ut
 eciam unicuique per uim amissa ad integrum restituerit,
 utque cunctis his operibus sanguini suo regnum deferri
⁴⁰ meruerit. Verum cum filius eius nondum maturos imperio
 annos acceperit, neque Danis sub auspiciis puerilibus

rem gerere militarem expeditat, uirum debere circunspici, qui usque ad prouectam pupilli etatem tutorio regnum nomine procuraret. In quod munus apcius neminem quam Ericum, superioris Erici ex filia nepotem, quod audacia ac pietate prestaret, maternumque genus ex regibus duceret, ad(s)cisci posse, adulto rerum summam pupillo cessurum. Ita Erico et populi fauor et pueri maiestas uires regias dedit. Hic preter solam animi fortitudinem nihil a natura dotis acceperat, sicut prudencia uacuus, ita parum amenus eloquio. Ceterum adeo salutis sue prodigus || esse consueuerat, ut bellum commissurus, ne singulariter in hostem procurreret, arccius a suis obseruari soleret. Tunc Eskyllus, cognito regem apud Iutiam decessisse, repente in Scaniam maioris sacerdotii affectacione peruehitur. Ericus uero, infectum antedecessoris propositum circa Ryconem explere cupiens, pontificalis ei dignitatis incrementa tribuere gestiebat. Scanienses autem, ultima queque perpeti, quam pontificium in nouam transferre familiam preoptantes, bellum aduersum regem decernunt. Quo ille cognito, ne multorum inimicicias unius uiri familiaritate contraheret, proposito suo cupide cessit, Eskylloque sedem mutare permisso, Rykonem Sialandie presulem, mediantibus cleri suffragiis, creat. Interea Olauus Haraldi filius Noruagia reuersus, patrimonium suum, inter bella ciuilia a patruo occupatum, hereditatis titulo reposcit. Cuius petitioni Ericus illam antiquitatis legem opposuit, qua reis | patrie bonorum pena decernitur. Patrem siquidem eius, peregrino milite aduersum patriam usum, decretam hac lege sentenciam incurrisse. Igitur Olauus, perinde ac iustum belli titulum accepisset, cupidius oblatam sedicionis occasionem amplectitur. Siquidem acceptam repulse contumeliam ad nouarum rerum licenciam transtulit, deque priuati patrimonii repetitore tocius regni inhibitor euasit. Verum dissimulato odio, per insidias regem opprimere statuit. Quem in Arualundensi hospicio diuersantem noctu adortus, prium a uigilibus, clandestinum eius aduentum speculatis, excipitur. Qui mox, reflexis equis, sepultos somno milites clamore eminus in arma concitant, primique portas tueri parant. Auxiliis deinde superuenientium sociorum adiuti, hostilem repulere conatum. Olauus, perinde ac suo pro-

posito uictus, in Suetiam contendit, sed mox, Erico Scania excedente, reuertit, concionemque in ualle Arnensi sub edicto contractam liberioris uite promissis aggressus, regium sibi nomen, illecto popularium fauore, con(s)ciuit. Quod 5 indigne ferens Eskyllus bellum ei Lundensi manu cupidius quam prosperius infert. A quo superatus* primum, mox ^{cxxxiii^a} in urbe, ad quam ex prelio confugerat, obsessus, postremo, necessitate uictus, obsidibus datis, fideque sub sacramento promissa, salutem paciscitur. Sed post modum, ex Olaui 10 discessu competentem fuge copiam nactus, Erici caritatem et obsidum saluti iurisiurandi religioni speciosa temeritate preposuit, neque nefas duxit extortum sacramenti vinculum uoluntarie amicicie cultu conuellere. Cuius affectum atque constanciam rex ad se in Sialandiam uenientis amplissimi 15 ruris uicorumque complurium dacione pensauit. Verum Scania impensis Olauum fouente, ipse ueluti in antistitis fuga per absenciam uictus, reparande fortune gracia ad littus more gentis Landora appellatum expedicionis nomine crebra classe peruehit. Cuius loci suspectam ad modum 20 fortunam habebat, fabulose cuiusdam opinionis | credulus, qua reges id littus aggressi in annum duraturi negantur. Sed dum per presenciam fata metuit, absens uictoria caruit. Siquidem tellure perinde ac fatali malo abstinenſ, neque ferri, sed ruris uiolenciam in metu reponens, copias 25 in aciem dirigit, easque Eskyllo proferendas committit. Qui pontificalium sacrorum quam rei militaris pericior, persimilem priori fortunam expertus, triste regi spectaculum fuit. Cuius mali intuitu discere Ericus monerique poterat, plus uiribus suis duces quam femineis debere figmentis. 30 Quibus superstitionum laqueis quoue credulitatis errore animum tunc eius obsecsum putemus, cum ipse, qui alias adeo manu strennuus existere consueuerat, ut, ne temere in hostem se mitteret, a militibus contineri necesse haberet, tunc, ueluti metu pugnam detrectans, in uicino se per 35 absenciam superari consiperet? Qua uictoria Olauus, ueluti ipsum iam Ericum delesset, supra modum erectus, pontificales opes eque ac regias absque respectu religionis inuadit. et in contumeliam Eskylli, a quo bis se prouocatum meminerat, cuidam eiusdem nominis sacerdoti || pontificii gestionem assignat. Deinde, tanquam uniuersas emuli

p. 669

(252)

uires superiore prelio contudisset, omnibus corporum munimentis apud Lundiam relictis, alias locorum et metu et armis uacuus proficiscitur. Quo accepto, rex, contractis undique leuibus, et que fors obtulerat, nauigiis, noctu e
 5 Sialandia traiecit exercitum, amicis e Scania nauigacioni sue ductum eminus scintillarum silicibus excussarum splendore prebentibus. Fortissimos quatuor Olauiane milicie uiros domi interceptos aquis obruendos curauit. Adulterinum pontificem a ueri sacerdotii sacramentis exutum
 10 suspendio finiuit. Arma deinde hostium, gratam militibus predam, occupauit. His denique usus, Olauum apud Glumstorp uicum conserto prelio superauit. Qui in Gothiam confugiens, interiectis diebus, per Blekingiam reuertit, itemque ab Erico fugatus, cum ad moncium angustias
 15 peruenisset, eorum presidio fretus proxime insequentes deleuit. Partem quoque exercitus in *ostium* terga traciecit, eaque manu prope modum | Lundenses absumpsit. Super hec omnia fugam capessit. Deinde, ueluti rebus in Scania parum feliciter prouenientibus, bellum in Sialan-
 20 diam transfert, fortunam loco mutare cupiens. Vbi ab incolis, Rykonis ductum secutis, apud Bythingam amnem bello uictus, in Hallandiam excurrit. Ex qua rursum Sialandiam petens, cum ex agrestibus antistitem in uico Ramlösa moram habere cognosceret, noctu tacitus in uicia
 25 nia mansit. De cuius cubiculo cercior per matutinum eius officium factus, ostio militem inuehi iubet. Ad cuius tuicionem procurrentes cubicularii in limine trucidantur. Antistes ipse, extreme necessitatis periculis ob sessum se uidens, religione saluti postposita, ceruicem scuto subiecit,
 30 adituque hostem insigni pugna prohibuit, clericis interim, qui et epistolarum eius et anuli curam habebant, conuulsas pene ianuas admoto puluinorum cumulo* reprementibus. cxxx
 Igitur edem Olauus, quia armis non poterat, flammis attentabat. At pontifex, ense quam igni consumi speciosius
 35 ratus, conserendi cum Olao sermonis pacem efflagitat, benignaque eius promissione firmatus, exerto foribus capite, trucidatur. Igitur Olauus, ulcionem parricidio consecutus, cupide in littus decurrit, utque nauiglia tacitus deseruit, ita concitus eadem repetiuit, ante fuga et nauigacione
 40 usus, quam rex nuncium facti, qui tunc in uicinia mora-

batur, acciperet. Quo cognito, Romanus antistes acerbissima aduersus eum execracione usus, ceteris per Europam pontificibus similiter in ipsum pronunciandi detulit potestatem. Mandatum quoque ad uniuersos Iutie pontifices 5 dedit, ut sentencias aduersum sacrilegam eius iniipientatem debita animaduersione destringendas curarent, indignum usu sacrorum existimans, qui celebrem eorum ministrum oppresserit. Ericus uero, comperto Olauum Hallandiam petere, festinato post eum peruehitur. Cuius aduentu 10 Olauus apud Arystadium nunciato, uicini pontis beneficio fuge consuluit, eoque post tergum abrupto, in proxima ripa tutus consedit. Pauci ex militibus eius, quibus ob uitutem aut torporem fuga tardior erat, a superuenientibus occupati funduntur. Tunc Ingimarus quidam, uetus 15 Erici miles, emulum eius non bellorum impendio, sed leui insidiarum momento tollendum ratus, illectusque siue premii spe siue glorie cupidine, transfuge titulo Olauum petiuit, eumque transicionis simulacione secutus, tandem in publico pergentem, equi pernitate fretus, telo traicere destinauit; 20 complessersetque uotum, ni Olauus repente equo delapsus imminens iaculum industria corporis declinacione uitasset. Deinde citatum acrius equum, dum incaucius fuge compendium querit, in palustre cenum precipitem agit, eiusque uoraginibus implicatus opprimitur, proposito parum respon- 25 dente fortuna.

Post hec Ericus nupciarum sollicitatus affectu, Bre-
morum antistitis Harwici germanam uxorem duxit, natu
quidem nobilem, sed non tam pudicicia quam parentela
conspicuam. Cuius instinctu uetera regum latifundia in
30 eos maxime, quorum forti opera aduersus Olauum usus
fuerat, dono contulit, neque regiis opibus, quo minus
suscepta pro se pericula repensaret, pepercit; quasi ad
hoc tantum eas recepisset, ut in alias largacione transfun-
deret totasque stipendi loco militibus erogaret. Postremo
35 emulum apud Thiatam amnem cum maiore copiarum parte
bello deleuit. Verum non eadem uitute peregrina ac
domestica bella confecit. Expediciones enim, quas aduersum
Sclauos ductabat, non tam timori eis quam ludibrio
fuere. Adeo enim apud eum inercia omnia solutaque fuere,
40 ut ne a uiro quidem edita putarentur. Infimi cuiusque in

p. 671

(253)

p. 672

soluenda milicia arbitrium sequebatur. Sepe lixarum redundum uociferancium clamorem secutus classem dimisit. Ob cuius molliciem animata Barbarorum atrocitas non solum eum foris peruagantem contempsit, sed eciam domi 5 consistentem inuasit. Qui cum in Fyoniam forte e Sialandia nauigacione contenderet, piratas post tergum imminere conspiciens, auide petito littore armamentisque omnibus in predam relictis, non sine rubore et metu nauigio cessit. Interiectis annis, cum apud Sialandiam febri se implicatum 10 sentiret, Fyoniam usque, cuius erat oriundus, concessit, spiritum, ubi acceperat, redditurus. Illic desperato languoris remedio, quia corpori non poterat, spiritui consulere cupiens, regiam uestem cuculla permutat, uocataque militum cohorte, palam regno renunciat. Creditum enim est et a 15 sacrorum peritis traditum, nihil abolendis piaculis penitencie religione ualencius reperiri. Tunc Elyuus a uico Wisingo, qui et ipse egro cum aliis assidebat, cunctos de creando rege circumspectis esse suffragiis iubet, utpote presenti iam milicia liberos. Que uox uitam regis, quantulacunque 20 restabat, absumpsit, egre ferentis, adhuc uiuo sibi successorem inquireti.

Defuncto Erico, ambiguum plebis de regno suffragium fuit. Quippe Kanutus in Iutia, Sueno apud Sialandiam, Magni alter, alter superioris Erici filius, ingenti ambitu regnum petebant. Siquidem hunc paterna, illum auita merita uenerabilem faciebant. Suenone itaque Sialandensium suffragia ambiente, ac plerisque petitionem eius fauorabiliter accipientibus, Olauus cognomine Balbus, prisci moris emulacione permotus, cunctos, qui regium ei nomen 30 tribuerent, ipsumque, si reciperet, execratus, adduci se posse negabat, ut in hanc uocem inconsulta patrie maiestate procurreret, aut regium honorem priuato preter publicum regni consensum deferret. Siquidem eleccionis locum Sialandiam esse, ius uero penes popularis arbitrii communitatem consistere memorabat. Hesitantibus cunctis atque a sentencia aliquantulum cedentibus, Steno quidam, spreto ueterum ritu, Suenonem, occultis [a] se promissis aggressum, regio primus nomine censuit, maioremque concionis partem 35 ad similem uocis ausum induxit. Itaque sentenciam eius 40 prosecutum uulgus, quod arbitrio suo paulo ante permittere

uerebatur, pari mox suffragio comprobabat. Eodem quoque auctore populus Sialandensis, creatum a se regem finitiinorum consensu fulciri cupiens, Iacobo Colonis filio, singularis facundie uiro, legacionem compositam et subornatam committit, qui Scanienses adulacione dignitatis ad societatem eleccionis impelleret. Idem Suenoni comes in Scaniam datus, accepta dicendi copia, docet, noluisse Sialandos quicquam super regio delectu sentenciis suis preter Scanicum arrogare consensum, sed hunc sequi in cunctis
 10 quam precurrere malle, sine eo nihil magne rei executuros. Verum Suenonis insitam animis caritatem habere, eumque sibi in regem, dum modo Scanica allubescant suffragia, exoptare, quem preter proprie indolis claritatem eciam patris auique merita commendarent. Meminisse deinde
 15 moquet, ut soli ceteras Danorum uires obtruerint, ut patri eius ad extremam pene desperacionem redacto nihilque preter interitum prestolanti imperium dederint; obsecratque, humanitate, qua illum exceperant, filium prosequantur. Ita Sialandensium affectum indicans, sed factum reticens,
 20 omnium || Suenoni suffragia conciliauit, quos ad hunc fauorem non solum Sialandensium legacio, sed eciam proprie eorum uirtutis memoria concitatbat. Kanutus quoque eodem a Iutis honore prouehitur, indignantibus, Suenonem temeraria gemine concionis audacia regium occupasse uocabulum.
 25 Inde Sialandiam, pociende eius libidine, iisdem fretus accedit. Post hec maximum pontificem Eskillum, eundemque Suenoniane partis fautorem, occultis ad defeccionem promissis impellit. Quibus incensus antistes Kanuto per internuncios mandat, classe Scaniam petat, seque belli
 30 socium pollicetur. Vt autem occasionem sibi transisionis con(s)ciseret ac lubricum fidei sue racionabilis cause titulo coloraret, acceptas a Suenone iniurias fingit, et quasi cum eo controuersiam initurus, contractis colloquii simulacione militibus, Lundiam, que et Suenonem habebat, petuit.
 35 Vbi dum compositionis negocia falso geruntur, Kanutum ex iis, quos ad speculandum eius aduentum premiserat, adesse cognoscit. Nec colloquium soluere moratus, ignotum ceteris consilium suum eadem hora repente detexit. Siquidem, elatis signis, precipiti in littus equitatu contendit.
 40 Cuius aduentum Kanutus nauigacione precurrens, littori

p. 674

(254)

copias mandare noluit, sed in altum nauigia reiiciens,
 damnata promissoris fide, Sialandiam reuertit. Ita presens
 consilium, non cedentibus ex sentencia rebus, fortuna de-
 lusit. Sueno uero, properantem ab urbe pontificem sub-
 5 secutus, reuertentem bello superat, captumque, quia pu'blica
 custodia non suppetebat, in excelsam Laurenciane edis
 partem attollit, eique templum ergastulo fecit. Eapropter*
 execacionis (que suprema pontificum ulcio est) censuram cxxx
 metuens, non solum eum capcione eruit, sed eciam agresti
 10 uico magnaque Burgunde Insule parte, quo synceriores
 eius fauorem impetraret, donauit. Post hec sine ipso apud
 Sланеторп, ruralem Sialandie uillam, bellum cum emulo
 facit, eumque cruentissimo prelio superatum insula pellit.
 Victor in Scaniam redit, Kanutus in Iutiam refugus cessit.
 15 Per eadem tempora Romanus antistes, Barbarice
 tempestatis procella rem diuinam pene obrutam euersam-
 que conspiciens, datis per Europam epistolis, uniuersos
 Christiane credulitatis hostes ab eius cultoribus oppugnari
 precepit. Singule autem Catholicorum prouincie confinem
 20 sibi Barbariem incessere iubebantur. Ne ergo Dani priuate
 milicie rebus publice religionis officia detrectarent, sumptis
 sacre peregrinacionis insignibus, imperium amplectuntur.
 Igitur Kanutus ac Sueno, inuicem obsidibus datis, deposi-
 tisque inimiciarum exerciciis, rei melius ge'rende gracia
 25 pacem pro tempore statuunt, reuocatumque a suis uisceribus
 ferrum ad sacrorum uindictam conuertunt. Discordiam
 itaque a regni emulacione profectam socie expedicionis
 federe castigantes, iunctis uiribus Sclauiam petunt, Ger-
 manis ex condicto diuersam eius inuidentibus plagam. Iuti
 30 Kanuto duce, Hetbienses Suenone, hostilem occupant portum.
 Superueniunt extremi Sialandenses ac Scani, prior
 remque classem, prout cuique locus patebat, sua circum-
 includunt. Occurrunt in littore Saxones, et ipsi uindicande
 religionis cupientissimi, milicie socii Danis futuri. Mox
 35 Dobinum, insigne piratica oppidum, ab utroque circunsidetur
 exercitu, omni Danica multitudine, preter paucos classis
 custodes, nauigia relinquent. Quorum raritate cognita,
 Rugiani primam ob sessis opem inimice classis oppressione
 porrigere statuunt. Mox Scanos, quos ordo proximos of-
 40 ferebat, adorti, ferme omnes fuderunt, Iutis iocundam

eorum cladem ducentibus, neque socios computantibus,
 quos duce a se diuersos nouerant. Sed et forensis non
 dum pugne memoria exoleuerat et recens parcium odium
 estuabat. Adeo, quos priuate ire agitant, publica num-
 5 quam communio federat. Ascerus uero Roskildensis,
 qui classis a rege curam acceperat, suo repente nauigio
 per ignauiam cedens, mercator*(i)um*, cymba adiectus,
 concendit, coque latebram nactus, quos specioso pugne
 exemplo ad fortitudinem incitare debuerat, deformis fuge
 10 spectaculo territabat. Primum || autem Scani, ne timidi-
 oribus fuga suppeteret, communibus uinculis arccius naues
 in classem sociant, mox uicti nexus industrie procuratos
 fortuitis rupcionibus lacerant, parsque ferro periit, pars
 necem sibi inter undas precipicio maturauit. Cumque
 15 Rugiani complures ob magnitudinem naues captu difficiles
 animaduerterent, multitudinis specie metum eis ingerere
 cupientes, classem suam, abductis cesorum nauigiis, duplicant,
 eademque perinde ac remigum plena, tentoriis instruunt,
 uacuitatem umbraculis obscurantes. Vsi sunt et alio non
 20 minore menciente classis ingenio. Noctibus enim tacita
 nauigacione in altum pergentes, diluculo referuntur, ima-
 ginem recentis classis et superuenientium auxiliorum effigiem
 prebituri. Sed crebro id agencium frustra calliditas fuit.
 Interea Danis obsidionem *urgentibus*, eorum classis piratico
 25 bello nunciatur oppressa. Hac fama reuocati, correptis
 nauium reliquiis, Rugianos, resistere formidantes, portu
 propellunt, sociorumque stragem fuga hostium ulciscuntur,
 ob interfectorum cadauera parum adhuc nauigabili ponto.
 Suenoni uero, naui, qua uenerat, spoliato, suam cedere
 30 Kanutus liburnicam uoluit. Sed suspecta emuli humanitas
 erat, oblatumque notabatur obsequium. Nam cum eius
 partes incolumes suasque prope modum exhaustas uideret,
 alieno nauigio redditum experiri fisus non est. Slesuicum
 deuictus, interiecto tempore, prior Karuto Sialandiam oc-
 35 cupat, Roskildiamque, menium inopem, receptaculi gracia
 uallo fossaque complectitur. Cuius custodia Ebboni man-
 data, in Scaniam pergit.* Kanutus uero, Scaniensium **cxxxv^a**
 damnis benigne secum a fortuna actum existimans, eamque
 tantum sibi uirium addidisse, quantum emulo de*(m)p[re]sis*-
 40 set, reputans, ne res eius proxima clade corruptas ocio

(255)

p. 677

recreari permetteret, Sialandiam, tam sibi quam hosti
 diuidua ope familiarem, Iutis precipue fretus ingreditur, ei
 potissimum cessuram ratus, a quo primum occupata fuisset.
 Vbi comperto, Roskildiam de(s)ciuisse portasque sibi, Eb-
 bone filio Skialmonis auctore, clausisse, Sunonem quendam,
 sola loquacitate insignem, nec tam consilio gnarum quam
 amenum eloquio, qui eam ad dpcionem hortaretur, pre-
 mittit. Is cum j ad oppidum peruenisset, primum ante
 uallum lasciue et discursim obequitans, mox compositi
 10 uolubilitate sermonis propugnaculis insistentes aggressus,
 legacionis mandata facundius quam felicius explicabat.
 Quem Ebbo de industria blandis ac mitibus uerbis ex-
 cipiens, emissis dpcionis simulacione iuuenibus, prenden-
 dum curauit. Quorum unus paulatim ei propior factus,
 15 ius freni uiolencius occupat, ceterisque equum a tergo
 pulsantibus, captum ciuibus ligatum adducit. Is primo
 compedium pena coercitus, post modum, superueniente
 Suenone, luminibus spoliatus, improuide exhortacionis
 penas pependit. Hec audiens Kanutus pociende urbis
 20 diffidencia in Iutiam reuertit, utque rerum commoditas
 affuit, Sialandiam spe reparande fortune parte, qua maris
 anfractibus interluitur, inopinatam intrauit, improuidam
 quoque Roskildiam capit, et penates Ebonis ad Suenonem
 elapsi incendio diruit. Vnde ne impensarum inopia arctatus
 25 discederet, publico stipendio alimentorum ei subsidia de-
 cernuntur. Par Scaniensibus circa Suenonem affectus in-
 cesserat. Ne enim, labente sumptu, ueluti ciborum penuria
 afflictus arma deserere cogeretur, publice eum collacionis
 commeatibus prosequuntur. Tanta inter partes uirtutis et
 30 glorie emulacio fuit. Interea nobilissimi Iutorum et in
 rebus bellicis singulari milicie laude conspicui, duabus
 Suenonem liburnieis petierunt. Quorum uiribus succinctus,
 assumpto Eskillo, manu in Sialandiam traiectit, ac prope
 Thorstani uicum bello cum Kanuto concurrit. Vbi, in-
 35 clinata suorum acie, timidiorum fugam secutus, forciorum
 uictoria reuocatur et, dum uinci credidit, uictor repentinus
 euasit. Kanutum uero sui, siue quod tenera adhuc etate
 esset, siue quia belli eum implicare periculis nollent, in
 aciem descendere passi non sunt, pro duce pugne specta-
 40 torem effectum. Interiectis diebus, Waldemarus, | diui

(256)

p. 680

CXXXVb

Kanuti filius, armis tunc primum per etatem maturus, sed
 paterna in Kanuto merita perosus, Suenoni se iungit, in
 eius castris milicie tirocinium habiturus. Cuius fauor plu-
 rimum Suenoni uirum conciliauit. A quo paterne pre-
 5 fecture dignitate donatus, Kanutum quendam, Henrici
 filium, sub Kanuto Magni filio eiusdem beneficij titulis in-
 hiantem, cebra belli congressione perdomuit. Nec minor
 10 ipsis mediocris rei, quam regibus summe emulacio erat.
 Semper autem ad Waldemarum uictoria redundauit. Erat
 autem Kanutus insignis facundia, sed moribus effusissimus.
 Sueno, et fortune fauore et uirum incrementis accinetus,
 in Fioniam excedit, mox emulum apud Iutiam persecu-
 15 turus. Vbi ab exule quodam Ethlero sollicitatus bellum
 in Holsatios parat, abunde minora ad traiiciendum nauigia
 promittente. Incole siquidem, quo transitus impeditior
 foret, pontem conuulserant. Venientibus Eidoram promis-
 soris incuria binas tantum nauiculas exhibuerat; quarum
 altera Sueno suos precedere cupiens, saniore militum sen-
 tencia reuocatur, rogatus propositum hostium aliena traie-
 20 cione prenoscere, neque propriis rem periculis explorare.
 Siquidem haud procul eis latebram esse, partem copiarum,
 quantam a se superandam crediderint, irrupturis. Nec
 falsa prediccio fuit. Holsatii quippe, uicinis se saltibus
 occultantes, pacienter primorum aditum prestolantur,
 25 transuectisque, quos a se capi posse confiderent, proceru-
 facto, omnes aut neci aut capeioni subiiciunt, quanquam
 Danis in propulsando periculo animus non decesset, ut* pote
 qui nec fugere possent et in regis oculis pugnam edere
 30 necesse haberent. Ita nostros ad uirtutem capessendam
 et salutis desperacio et presens ducis incitabat aspectus.
 Quorum periculis exturbati seafarum magistri circa palos
 medio amne defixos herebant, neque residuos transuechere
 neque translatos referre ausi. Itaque nec regi ad proce-
 35 dendum nec uictis ad resiliendum opi fuere. Interca Ka-
 nutus, sumptuosis milicie impensis oneratus, nec minorem
 occidentis humanitatem inuenit, quam orientis nuper ex-
 pertus fuerat. Siquidem agrestium placide tractatorum
 stipendia contraxit, tali Iutorum beneficio usus, quale
 40 pridem apud Sialandios acceperat. Huius Sueno congressu-
 uitato, Scaniam reuisit, exiguis milicie reliquiis integrum

emuli manum attentare formidans. Interiecto tempore,
receptis precio captiuis, securus Iutiam adire constituit.
Peragranti Fioniam Ebonis e uita nunciatur excessus.
Cuius fato deiectus, relatis in Sialandiam copiis, presens
5 belli propositum deserit, militemque plangere quam emulum
incessere maluit. Adeo enim familiariter eo usus, ut nihil
in foro, nihil in castris absque ipsius amministracione
curaret, inque priuatis ac publicis negociis prorsus ex eius
arbitrio sentenciaque penderet. At ubi recens funeris
10 meror exoleuit, bellum nouaturus, per Fioniam in Iutiam
decurrens, Wibergenses, regiorum uectigalium immunitatem
pactos, ad bella pro se suscipienda perduxit. Huc Kanu-
tus magnis orientis uiribus succinctus aduehitur, uictor
haud dubie futurus, ni, suadentibus amicis, equestrem
15 miliciam pedestri mutasset. Siquidem optimates eius,
superiorum bellorum ammoniti, quibus rem infeliciter
equitando gessere, ne fuge facultas ignauos abriperet,
necessitatem sibi inferre tentantes, equorum amminicula
submouenda duxerunt. Kanutum cum paucis equitibus
20 peditum medium faciunt, belli merita estimaturum. Nec
alias Sueno rebus suis impensius diffidebat. Vt autem
hostes ultiro milicie expedimentis exui uidit, | summa spe
extremam desperacionem mutauit. Neque enim ignorabat,
equitatu uacuos lentam et ignobilem miliciam edituros,
25 plusque sibi presidii demere quam duramenti con(s)ciscere.
Et ne ei similis manus deesse uideretur, Wibergenses,
utpote rei equestris ignaros, pedestri prelio militare pre-
cepit; nonnullos inter sagittarios et funditores dispergit.
His leuia tormenta saxaque iactilia pro armis fuere.
30 Proxime eis ab utroque latere equites iungit, mox hostium
terga pressuros. Committendi taliter prelii precipuus auctor
ei Waldemarus exstabat, corpus annis tenerum, animum
industria preualidum habens. Is siquidem pedites peditibus||
opponendos, latera autem et terga ab equitibus incessenda
35 docuerat. Kanutus, dupliciter instructi hostis consilium ex
apparatu cognoscens, opportunitatem insidiis negare dis-
posuit. Quibus ut copiam demeret, neque suos a tergo
circunueniri pateretur, opus impetu ratus, totam manum
in confertissimos pedites inducit, eosque passim et uarie
40 resistentes pene omnes oppressit. Nec ea tamen uirtute

periculum propulit. Quippe Sueno utrinque ex latere aduersarios partito equitatu circunuolat, deturbatisque equis, quos retro aciem fuge metu locauerat, ancipiti incursu conclusos exagitabat. Quod ubi uidet Kanutus,
 5 transuersis aciem principiis instruit, reuocatamque a pedestibus pugnam ad equites transtulit. Quippe a tergo instantibus ora aduertere necesse habuit. Sueno uero, cum et armis diffideret et equorum pericula formidaret, transuersis eos preliis fatigare, non manum cum eis acie conserere,
 10 non pugnandi copiam facere, sed incerto Marte ludificatos, estu ac lassitudine superandos curabat, eos grauissime adortus, qui communi acie longius excedentes, audacius semet propulsandis obiecere periculis. Variis igitur irruptionibus laccessiti, crebroque impetu et obliquis concursibus
 15 lacerati, tandem uirium inopia ad tantam corporis lassitudinem peruererunt, ut preter communem belligandi morem in ipso certaminis ardore sessione pausarent. Cumque* nec cxxxviia
 ad fugam nec ad pugnam uis ulla suppeteret, dum sollicite salutis presidia circunspiciunt, oppidum, cuius paulo ante
 20 incolas fuderant, composita acie paulatim accedere tutissimum ducunt, subsidii loco hostium tectis usuri. Eo igitur seruatis ordinibus incessum emouent, procuratis, qui a
 25 tergo curarent hostemque retrogradi pellerent. Tanta plerunque necessitatis fiducia est.
 Tunc Barcho quidam, promptissimus Suenonis miles,
 ab aduersariis undique circumuentus, innumeram manum ammirabili solus uirtute sustinuit. Tandem, obfusis sudore oculis, pulso clypeo, ambas bipenni manus inserere, promiscue cedem facere, hostes ac socios iuxta ferire, nulli
 30 proprius instanti parcere. Quo uiso, Waldemarus, cui multa secum ex ueteri conuictu familiaritas erat, memoria prisce caritatis euectus equo ocios aduolat, extremis amici rebus adesse cupiens. Quem Barcho aduersarium ratus, relata bipenni instantem appetit. Sed Waldemarus, prerepto eo,
 35 ictum ocior anteuenit. Manubrio solo scapule eius uehementer impacto, ferrum excidit. Vix hominem inter tot arma, tot hostes obnixius contranitentem seruare potuit. Diu tandem obluctatum abducit, inuitumque saluti restituit. Qui postquam se ab amicissimo salutari cappione pertrahi
 40 uidet, libenter quidem eius opem excipere dixit, sed non

p. 682

ita uti hac uelle, ut captiuorum more clunes equi sequendo, fedum de se spectaculum faciat.

Verum ex parte Kanuti alii confessim fugam facere, pars oppido latebram querere, nonnulli per medias eius plateas erumpere. Kanutus ipse per angustissimas uici partes equo uestus eripitur. Occupati, qui in uicem pro-fugerant, et in unam edium captiuui traduntur. Ad quos introgresso rege, Helias, Ripensis antistes, circumspectis omnibus, hortulanum regi emulandum aiebat, qui utilibus herbis incrementa conciliat, noxiis locum uacuefacit. Quod dictum specie horridum siquis aleius mente perspiciat, summa industria procuratum fateatur, necesse est. Abcise enim rem, sed copiose disseruit. Cui si Sueno obsecutus fuisset, profecto omnem emuli fiduciam sepelisset. Qui licet iniuriarum nomine uindictam a captis exigere potuisset, ad micorem tamen sentenciam ingenita sibi pietate deflexus, plerisque redimendi copiam fecit, aliosque sacramento, alios sponsione in fidem acceptos, morte muletare passus non est. Ex quibus binos duntaxat, peculiaribus flagiciis ob-sitos, alterum, quia tetram latrociniis uitam egerat, alterum, quod optime de se merentem uirum per insidias dormientem oppresserat, capite penas soluere iussit, in neutro belli, in utroque sceleris negocium puniens. || Complures ex superioribus, tribute sibi salutis immemores, acceptum ab hoste beneficium, repetita Kanuti milicia, neglexerunt, eisque pristina fides recenti carior erat.

At Kanutus ab Alaburgo Liuthusium petens, apud uitricum Suerconem exul aliquandiu demoratus est. Hu*(i)e* siquidem, occiso Magno, Kanuti mater coniugio obuenit. Tunc nero lacere Danorum res disiecteque fuere, cum, interius sociali bello flagrante, exterius piratica pestis ingueret. Cuius propulsande causa Sueno toti Sclauie bellum crebrius quam prosperius inferebat. Neque enim tanta illi in preliis perseverancia, quantus furor atque impetus fuit. Nam cum receptui consulere debebat, tam auide littus repetere consuevit, ut par fuge reduccio uideretur. Neque suorum ei res cure fuere, dum modo prior ipse nauigium rapuisset. Que regis ignauia tantam Sclauis audaciam dedit, ut crebro copias eius reuertentes oppri-merent. Ipse quoque Wibergam, adhuc munimenti ex-

pertem, quo tuciori sibi receptaculo foret, terreis menibus
 clausit, magnisque eam stipendiis instruxit. At Kanutus
 apud Suetiam primum uitrico optatus, mox onustus haberi
 cepit, ita ut pro comparandis alimentis, quicquid illuc pre-
 diorum possederat, uenditaret. Neque enim ulla gens exules
 aut prompecius recipit aut facilius respuit. Sed et filius
 Suerconis, Ioannes, ut plurimum strennuus, ita parum
 facetus, irrigorio* carmine fugam eius preliaque retexuit,
 et quasi cantilene specie pudibundi hominis uerecundiam
 lacessiuit. Vt enim hospitem rubore et contemptu per-
 funderet, fortunam ipsius ludibrio lacessere cepit, aspersis-
 que iocis et ignominioso uerborum genere, ignauiam ei
 bellique tristes exprobrabat euentus. His Kanutus op-
 probriis irritatus, nauigio commeatuque empto, pluri minn
 10 in auunculi[s] et materna fisus necessitudine, Poloniā
 profugit. Quem illi materne rei nomine regni consorcionem
 appetere rati, ceteris in locis admissum, munimentis ex-
 cipere passi non sunt. Ad ultimum eum ne placida satis
 fronte conspiciunt, insolenti notantes, cum propinquo
 15 caritatem deberent. Augebat hunc metum recens maioris
 eorum fratris depulsio. Itaque receptus quidem, sed nullam,
 ut dixi, urbium intrare permisus, ad prefectum Saxonie
 Henricum peruehitur. Apud quem minorem spe sua for-
 tunam expertus, Hamburgensem antistitem, Hartuicum,
 20 accedit, iampridem Danis iuri(s)diccioni sue exemptis in-
 fensus. A quo humanissime habitus bellique tandem sub-
 sidia mutuatus, domesticorum militum fidem facita legacione
 pertentat. Responsum est, oinnes ad eum ocissime trans-
 situros, datamque Suenoni fidem, pristina mutaturos. Qua
 25 promissione securior factus, peregrina manu Iutiam intrat.
 Sed et suis nec humanitas Suenonis nec obsidum caritas
 nec periurii respectus, quo minus ad eum signa referrent,
 obstaculo fuit: At Sueno, ubi de eius aduentu cognouit,
 urium diffidencia apud Wibergam, recentibus a se muni-
 30 mentis excultam, obsidionem ferre constituit. Vbi ad
 sustentandam sumptuum necessitatem bona eorum, qui ad
 Kanutum concesserant, rapinis exhaustit, predatuque stipen-
 dia contrahit.

At Kanutus, ex proxime pugne euentu urbem op-
 40 pugnare diffisus, formidata locorum fortuna, procul menibus

CXXXVIB

p. 684

p. 685

castra constituit, operiri uolens, quoad emulus, protelatis
 diebus, alimentorum egestate uexatus aut turpiter fugam
 aut temere bellum arriperet. Ea Kanuti spes Suenoni
 uictorie fuit. Eodem tempore Bruno quidam, qui et Ka-
 5 nutum ipse e Saxonia secutus fuerat, siue Suenonis in-
 stinctu corruptus, cum quo uetusta sibi societas erat, siue
 delati belli tedio saciatus, impetrata utcunque licencia, cum
 aliquot Ripam secessit. Sueno uero, cum rem familiarem
 magnis in urbe sumptibus exhausisset, neque trahendi
 10 diuicius belli materiam circunspiceret, audendum aliquid
 cum periculo ratus, noctu magnis itineribus tacitus ad
 hostium castra contendit, eosque mane diuina curantes
 improuidos irrumpit. Quibus repentina metu percussis, ut
 cuique animus erat, aliis fugam, aliis arma || capere nego-
 15 cium fuit. Medius horum interfluebat riuus occultis uora-
 ginibus frequens, sed uno duntaxat uado meabilis, quod
 Suenonianis ineognitum, Kanuticis notum prior loci inspeccio
 fecerat. Exiguus idem et obscurus olim, nunc belli in-
 clytus fama. Igitur qui irruperant, ignorancia loci inuias
 20 riui partes aggressi, precipitatis equis, improuidi impetus
 penas dedere. Experti periculum eminus instant, fundis-
 que ac iaculis prouocant, congressum prohibente lacuna. Tunc Saxones, ostentande uirtutis audi, ne rebus locus
 officeret, equis uadum insiliunt. Waldemarus, postquam
 25 id loci equitabile uidet, tanquam hostes transitu prohibi-
 turus, eo frena conuertit, aduersoque cum eis equo con-
 currans, impactam uni lanceam ingenuo militandi more
 perfregit. Sed contra in ipso gurgite ita quaternis simul
 hastis excipitur, ut equus in elunes consideret, ipse tamen
 30 ob egregiam | equitandi periciam sella pelli nequiret. Quintam, inter frontem galeamque defixam, adacto capulo
 collisam auulsit. His malis liber, arrepto equo, cum
 paucis uadum superat, et, ne secuturis angustias faceret,
 procul riuo secedit, ibique, facta acie, pugnam capessit.
 35 Quin eciam totam hostium turbam, quoad omnis sociorum
 permeasset exercitus, parua manu sustinuit, Suenonique
 certissimus auctor uictorie fuit. Quo opem ferente, Kanuti
 partes fugam fecere. Grandem quippe ex superioribus*
 preliis metum hauserant, eorumque memoriam abiicere cxx
 40 nequeuntes, egris semper infractisque animis erant. Adeo

enim Kanuticorum animos res aduerse corruperant, ut maiore fortitudinis parte defecti, perseueranter hostem ferre nequirent, nimioque timoris captu hebetatis animis, faciles semper in fugam existerent. Saxones uero, quibus agitacio
 5 militaris familiarior erat, equestri exercitacione usi, crebro equorum reiectu uictoribus insultabant, ita fugam moderantes, ut eam non sine ordine et regimine dirigere uiderentur. Promptissimus horum Folradus eo prelio cadit,
 10 neque captorem reperire quivit, quanquam obrutus preundi se plurimum precaretur. Ceteri interdiu male fugientes, oppido nocte manserunt, ubi a fuge persecutoribus intercepti, hospicio necantur. Condixerant enim uictores nemini parcere deuictorum, tum Saxonum odio, tum quia proximo
 15 bello captos et a se redimendi potestate donatos denuo hostes experti fuissent. Kanuto Saxonia refugio fuit. De cuius fuga Ripenses, uti acta erat, ab intermeantibus edocti,
 quo plus uictori placerent, confestim Brunonem capiunt,
 Suenonis, in breui, iudicio presentandum. Quem Sueno
 20 oblatum aliquandiu familiarius habuit, mox donatum abire
 permittit. Que res ei apud conterraneos suspicioni primum,
 mox cladi atque exicio fuit. Fuere enim interfectorum propinqui, qui crederent, eum, pecunia a Suenone corruptum, sociorum salutem iniquissimo subuertisse consilio,
 declinati belli argumento doli conjecturam trahentes, neque
 25 aliud beneficenciam regis, quam fraudis premium extitisse
 putantes. Cui cum de perfidia diem dixissent, omnemque accusacionis sue uim ualidissima eius defensione elusam
 uiderent, inuictum foro insidiis occupant.

Sueno, perinde ac priuatis iam periculis liber, ad
 30 publica propulsanda animum induxit. Locis marinis natura
 munitis complura agrestium presidia condidit. Bina castra,
 alterum in Fonia, in Sialandia alterum, propter fretum
 molitur, que piratis timori, incolis uero receptui forent.
 Sed a Scelauis utrumque conuuulsum prodiit. Bellum cum
 35 ipsis magna apud Fioniam uirtute gessit. Quorum copias
 ita cecidit, ut, plerisque militum palmas ferro prerosas
 habentibus, media digitorum caro crudesceret.

Eo tempore propter incursus, qui a maritimis crebri
 predonibus edebantur, apud Roskildiam, Wethemanno
 40 auctore, piratica cepit; cuius hec disciplina, hi mores fuere.

Nauigia pirate magis idonea sibi uisa absque possessoris permisso assumendi potestatem habebant, octaua acquisitorum parte || naulum daturi. Nauigacionem orsuri, apud sacerdotes preterite uite piacula deplorabant, eorumque 5 religiosa animaduersione puniti, perinde ac statim decessuri, diuina altaris libamenta sumebant, cuncta prosperius cessura rati, si rite deum ante bella placassent. Paruo uiatico sumpto, onera et impedimenta uitabant, armatura ac cibo simpliciter contenti, nihilque, quod nauigacionem 10 moraretur, amplexi. Multe illis uigilie multaque parsimonia erat. Remorum manubriis considendo innixi somnum carpabant. Quocies propter littora illis nauigacio erat, eadem ante speculatoribus perlustranda mandabant, nequid incompertum forte uel improuisum | occurreret. Insulas, ad 15 quas uento afflarentur, petebant, missis, qui loca procellis auersa percurrerent, quod peregrina classis tranquillis soleat portibus delectari. Crebrum eis cum hoste certamen, sed ubique facilis ac pene incruenta uictoria fuit. Predam ex equo parciebantur, nec maior gubernatoris porcio quam 20 priuati remigis erat. Christianos, quos, expugnata classe, captiuos repererant, amictu donatos ad propria dimittebant; tanta eis in conterraneos humanitas erat. Octogenas et binas piraticas puppes uarie et uicissim cepere, numquam ipsi classem uiginti duabus frequenciorem habentes. Sti- 25 pendii defecti, impensas a ciuibus contrahebant, premii loco prede dimidium recepturis. Hic piratice cultus, ut dixi, Roskildie ceptus, ab urbis gremio eciam ad agrestes manauit, ab omni ferme Sialandie parte subsidia mutuatus. Enimuero angustus primum ac tenuis, magna breui in- 30 crementa contraxit. Sed neque ante redditam terris pacem ulla ex parte remissior fuit.

Interea Kanutus Frisiā minorem, que et ipsa Da- cxvi
nicarum est parcium, cum paucis exilii comitibus petit. Diues agri prouincia est, pecoribus opulens. Ceterum con- 35 finis Occeano patet humilis, ita ut eius interdum estibus eluatur. Qui ne irruniant, uallo littus omne precingitur; quod si forte perfregerint, inundant campos, uicos et sata demergunt. Neque enim illic locus natura alius alio edicior exstat. Plerunque agros ab imo conuulsos alio loci traii- 40 ciunt, locum eorum occupante lacuna, in quorum conse-

derint pre[si]diis, possidendos. Inundacionem comitatur feracitas; gramine tellus exuberat. Torrefacta in salem gleba decoquitur. Hyeme continuo celatur estu, stagni speciem prebentibus campis, unde et, in qua rerum parte 5 locanda fuerit, pene ambiguum natura fecit, cum alia anni parte nauigacionis paciens, alia aratri capax existat. Incole eius natura feroce, corporibus agiles, anxiam et grauem armaturam contemnunt; ancilis utuntur, missilibus dimicant. Agros scrobibus cingunt; saltus | contulis edunt.

10 Penates in editum subiecto glebarum aceruo prouehunt. Hos a Frisonum gente conditos, nominis et lingue societas testimonio est; quibus nouas querentibus sedes ea forte tellus obuenit; quam palustrem primum ac humidam longo durauere cultu. Amministracio deinde prouincie sub nostris 15 regibus esse cepit. A qua Kanutus cum forte presidium implorasset, prompto omnium fauore suscipitur, pollicitus, se eis aliquid de consuete pensionis onere laxaturum. Audi promissionis Frisi, intuitu exilis premii, immanni se negocio onerant. Ac primum menia propter Mildam flu- 20 uium, quis eum recipient, condunt. Tantulo stipendio ingens milicia stetit. Sueno, reditus eius opinione accepta, Iutis in equitatum digestis, a Sialandis et Scanis classem ad(s)ciscit. Ex qua nonnullas naues Slesuici subductas ad Eidoram usque solo tenuis pertrahendas curauit, ne ea 25 pars hostibus elapsui foret. Que res ei impendio magis quam usui fuit. Inde cum copiis ad recens oppidum pergit. Id, inter paludes amnemque situm, natura quam opere municius erat. A latere ei Milda fluuius fuit, angustis alueis, sed placide manantibus aquis. Quod quia rex ob 30 angustias exercitu circunuenire non poterat, locis ex copia idoneis castra defigit. Deinde cesis virgultis, || que nemus proximum offerebat, ad peragrandas paludes constramenta fieri iubet, quibus, cum opportunum foret, uelut pontibus uterentur. Interea quidam ex Frisia iuuentute, siue more 35 inpacientes, siue uegecioribus animis uirtutis iactande cupidi, prouocandi gracia riuum, qui inter castra medius erat, consueta arte transiliunt, uagumque eminus hostem incessunt. Nec lacescentibus | obuii defuerunt. Complures ex utroque agmine huic se certamini ingerunt, suorum 40 quique pericula propulsuri, neutrī communis fortune ne-

p. 689

(261)

p. 690

gocium pacienter inspectare ualentibus. Itaque paulatim
 crescente pugna, adeo omnium hue animi confluxerunt, ut
 ex eo belli presul tuocis uictorie summa pendere uide-
 retur. Quo uiso, filius Thorstani Petrus, omnium regis
 areanorum particeps, non ignarus Frisice temeritatis, con-
 festim a mari exercitum prestolarique castris paratum iubet.
 Huius rei inseci Frisones tota amnem manu repente trans-
 uolant, rati, sine paratu regem in castris esse. Ita auda-
 cius quam prudencius omnis eorum irrupit exercitus, in-
 opinatum hostem opprimere audus. Sed Suenonianis non
 segnius occursantibus, ad notas sibi refugere paludes.
 Quas mox equites factorum a se poncum stramentis usi
 facile superant, translatique fugam acerrime persequuntur.
 Aliud quoque ferro sibi compendium struunt. Nam tanta
 in fugientes strages exercita est, ut, constratis cadaueribus,
 amnis mox a uictoribus permeari potuerit. Fusis Frisoni-
 bus, Kanutus cum paucis exilio sociis eques elabitur.
 Reliquis, fuge expertibus, oppidum* receptui fuit. Cui cxx
 Sueno Kanutum inesse ratus, obsessos, quam poterat, in-
 fensus aggreditur, sperans, obtencione eius tocis belli
 finem futurum. Saucios integris mutat; fessis requietos
 succedere iubet; diurno prelio nocturnum sociat, omnique
 instancia curat, ne lassis quies remedio fiat. Addebat ob-
 sessis animum recens captiuorum occisio, nec cuiquam a
 uictore tocies lesu uenia sperabatur. Contra rex, si pugnam
 remitteret, neque mox oppido potiretur, Fresos auxilio
 obcessis futuros timebat, ideoque perseveranciore prelio
 opus ducebat. Sic metus utrinque pugnandi pertinaciam
 fecerat. Nec interdiu dimicasse contenti, noctem quoque
 bello contribuunt. Tunc uero anceps prelium orat, cum
 forte Waldemarus, clamore comminus orto, Fresos instare
 ratus, in partem, qua strepitus exaudiebatur, cum signis
 accurrit, sociosque perquam strenue repugnantes errore
 noctis elusus oppressit. Ita fortissimi animi dux temporis
 habitu circumuentus, quibus operi ferre decreuerat, cladem
 atque exicum irrogauit. Oppidani, assiduis plagis et
 continua lassitudine exhausti, nullumque pugne supple-
 mentum habentes, cum nec uires nec uulnera | ullo mo-
 menti spacio recreare quiuiscent, desperatis rebus, dedidere
 se regi. Cuius fidem atque clemenciam, ultra ac rati

fuerant, experti sunt. Tum uero rex et in Plogo, qui Ericum occiderat, singulare pietatis specimen dedit. Neque enim a patris interfectore penas exigere uoluit, plus dedicationis moribus quam ulcionis aculeis debiturus. Ceteros 5 quoque nec morte nec capcione mulctatos absque redempcio-
nione dimittit, prefatus, se eorum obsequia ac odia iuxta estimaturum. Nihil enim iis prospere cessurum, qui tocies mobili fide et sacramento fuissent. Dimissi cum duce exilium amplectuntur. Id enim gracie apud suos Kanutus 10 habebat, ut nulli umquam fortuna eius fastidio esset. At Fresones mulete nomine duo milia librarum regi cum ob-
sidibus pendunt. Post hec, siue rubore fuge siue nature stoliditate compuncti, Waldemarum obsecrant, precetur regem, bellum cum eis hac lege iteret, ut uictor equam 15 priori summam recipiat, uictus ex ueteri pensione, quantum Kanutus spoponderat, remittat. Ille precancium temeritatem incertosque pugne euentus solercius estimans, extreme demencie uoces consilii sui salubritate cohibuit, perquam stultum affirmando, uictos a uictore noxias belli condiciones 20 expetere. Interea Kanutus apud Germaniam Fridericum, Romano recenter imperio functum, auxilii imploracione sollicitat, promittens, se patrie procuracionem in eius || be-
neficio reposituruim. Imperator, cui et summa nature calliditas et maxima proferendi imperii cupiditas esset, 25 tantum alieni in dicionem suam redigere audius, Suenonem, ueteris amicicie et comilicii monitum, promisso honoris incremento, ad colloquendum sibi simulacione caritatis inuitat, eximiam sibi uisendi eius cupidinem incessisse significans, sed Romane maiestatis amplitudinem, quo 30 minus eum accedat, obsistere. Quippe Sueno, adolescencie tempore militaris rei perdiscente gracia Conradi Cesaris clientelam ingressus, cum Friderico, adhuc priuate fortune, quem et etate et ingenio equabat, diu sodalitatis officia gesserat. Itaque non quod fallacissimi hominis commentis 35 crederet, aut emulo asylum demere uellet, sed ut sola se Germanis fama cognitum eciam spectandum subiiceret, presentemque fame sue | miratoribus exhiberet, culcioire pompa instructus mandatum exequitur. Nec parum glorie apud curiam magnificencia clientele et apparatus ostenta- 40 cione contraxit, tociusque in se Germanie oculos ob uirtutis

p. 692

(262)

p. 693

ammiracionem conuertit. Mersburgum oppidum, Teutonice
 nobilitatis frequencia completum, ingressus, ab imperatore
 primum ueneranter habitus, mox uario accusacionis genere
 uexatus, disparem promissis fidem expertus est. Cui demum
 5 condiciones huiusce modi proferuntur, ut imperatoris ipse, eius
 uero Kanutus, renunciata regni affectacione, militem ageret,
 beneficij iure Sialandiam recepturus. Alioqui imperatoris
 uires* Kanuto obtentui fore, expeditamque cum eo manum cxxx
 in Daniam esse mittendam, que uel Suenonis precurreret
 10 redditum uel confestim impugnaret aduentum. Sueno, in
 re tam anxia aut periclitandum sibi aut parendum fore
 cognoscens, simulata assensione, paterna bona, quibus in
 Sialandia abundabat, tanquam peculiaria a condicionis
 tenore sublegit, ne uiolande paccionis omnis domi deesset
 15 occasio. Quod quia Germanico iuri familiare erat, admissu
 facile fuit. In hoc Kanutus, pacti parum credulus, Wal-
 demarum, qui cum Suenone aderat, sponsorem efflagitat,
 fidem eius integritatemque tutissimum rerum suarum pignus
 existimans. Neque enim alium ex regio comitatu pari
 20 constancia pro capite suo excubiturum putauit. Ille, Sue-
 noniane perfidie conscius, cum uanam ac lubricam com-
 positionis fidem aduerteret, ne alienam in se labem recidere
 pateretur, sponsonem pertinacius abnuit. Tandem, rege
 compellente, uix atque egre uadimonium dixit, prefatus,
 25 se, si Sueno pactum perrumperet, Kanuti partibus acces-
 surum. Probata utrinque condicione, discessum est. Re-
 uersus in regnum Sueno, deque emulo comitem nactus,
 remissis uestigio literis, fidem Cesaris aperta fraudis ex-
 probracione damnauit, initasque cum eo pacciones obsequii
 30 negacione subuertit, in eas se condiciones fallaciter ad-
 ductum affirmans, in quas Danicorum adhuc regum nemo
 concesserit. Preterea Kanuto, iusta petenti, prouinciali
 duntaxat amministracione concessa, regios penates a cetera
 se condicione secreuisse dicebat. Fraudatus pacto Kanutus
 35 uadem sollicitat. Qui cum regem deserere uel sponsonem
 corrumpere eque fedum putaret, utrobique fame periculum
 contemplatus, mutare pactum quam euertere maluit, sta-
 tuens, ut, cum rex Sialandiam commeatui suo necessariam
 duceret, aliud pro ea Kanuto stipendum assignaret, nec
 40 fructu parcius nec spacio contraccius nec honore defeccius.

Assensus condicioni rex tripertitam Kanuto prefecturam constituit, eique in Iutia, Sialandia ac Scania peculiare beneficium tradit, intercisam loco dominacionem minus solide potestatis gesturam existimans. Huius rei Kanutus 5 Waldemarum denuo predem exposcit. Quem, uelut antea, repugnantem Sueno, condendi federis audius, sponsonem iterare coegit, negans, si pacto obuiamisset, eius Kanutue defecctionem egre laturum. Hoc fretus pignore Kanutus cupide condicionibus fruitur.

10 Igitur Sueno, perinde ac bellorum metu solutus, in superbiam lapsus, || patios mores, quod parum sibi uidarentur exulti, tanquam agrestes et inconditos petita a finitimis urbanitate mutauit, spretoque Danico ritu, Germanicum emulatus est. Nam et cultum Saxonicum sumpsit, (263)

15 et, ne eo inuidiosius uteretur, militum studia ad similem uestis usum adduxit, rustici moris tedio compcioris famulicci grege palacium instruens. Quin eciam epulandi rusticitate depulsa, externas mensis comitates adciuit, commessacionumque ritus culciole ministerio gerendos instituit.

20 Nec solum cultum nouauit, sed eciam edendi bibendique facecias tradidit. Idem studii in nouanda clientela asciscendisque satellitibus | gessit. Honoris quippe nobilibus demptos histrionibus deferebat, magnisque et illustribus uiris a latere suo sepositis, in eorum locum turpium et p. 695

25 effeminatorum familiam subrogabat, ut abiectu maiorum minorumque prouectu prorsus eximias potencie sue uires ostenderet, ditatique fortunam suam beneficio regis, non generis, imputarent. Nec insolencie eius auaricia defuit. Siquidem lucrosa sibi illorum fata, quorum bona auxisset,

30 constituit, pupillorumque, parentibus emortuis, expilator euasit. Neque nefas duxit eorum liberos egestati subigere, quorum opera regni opes ipse suscepit. Ipsos quoque milites, prius a se locupletatos, ad uilem* paupertatis cxxxix. statum beneficii sui penitencia adductus reiecit. Quin

35 eciam, ingentis clientele uoracitate compulsus, prouincialia ministeria impensasque ab agrestibus arccius exigere cepit. Itaque dum militum luxui consultit, plebis fauorem amittit. Preterea controuersiarum iura, eatenus sacramenti religione subnixa, | ad palestras et palmas athleticas relegauit, iudi- p. 696

40 ciumque, rationis speculacioni debitum, in sola corporum

exercitacione constituit. Et nequid fastui deesset, in communibus suggestis concionari fastigio suo indignum ducebat. Quam ob rem equa uulgarium alloquia contemnendo, edicioribus locis occupatis, supposite plebi superne ius dicere consuevit. Crebre quoque ei cum Lundensi pontifice simultates, maiore fructu quam iactura, fuere.

Ea tempestate Karolo, Hallandie preside, prouinciam egresso, coniugem eius sororemque uiduam Suerconis filius Ioannes, excellentis earum pulcritudinis opinione corruptus, ad libidinis commercium raptas in Suetiam usque deuexit. Quibus tam contumeliose usus proditur, ut eas in stuprui uices noctibus euocaret alternis, ingenue pudicie feminas obscenissima feditate proculcans, neque aut huius matronalem thorum aut illius celibem | castimoniam, quo minus uoluptatum suarum ignibus indulgeret, reueritus. Ad ultimum, patr[ile] et populo tante temeritatis facinus execrante, utranque remisit. Quod flagicium Sueno, perinde ac commune probrum, in omne Sueonum regnum ulcisci statuit, publicum ruborem communibus armis submouens dum existimans. Sed nupeiarum apparatu preuentus, (quippe Saxonum satrape Conradi filiam, nuper despontam, uxorem ducturus erat,) propior priuate copule, quam publice vindicte, miliciam retentabat. Per hanc Sue(n)onem in peregrinos ritus adductum falsa plebis opinio referebat, eiusque super consuetudinum nouitate consilium accusabat.

Per eadem tempora Nicolaus, urbis Rome cardinalis, Britannicum permensus Oceanum, Noruagiam, Lundensium adhuc dicioni parentem, immunitate concessa, maximi pontificatus titulis insigniuit. Quod in Suetia quoque legacionis potestate peragere cupiens, Sueonibus et Gothis de urbe et persona tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, certamini decus negauit, rudemque adhuc religionis barbariem summo sacrorum honore dignatus non est. Verum inspecto temporis habitu, cum per Oceanum reuerti hyberne nauigacionis metu in periculis duceret, Daniam redditui suo percommadum arbitratus, offensam eius ex Noruagie promocione contractam beneficii delini[a]mento sedare constituit. Eskillum igitur || mandatis aggressus, plus noue dignitatis, quam ueteris amiserit, recepturum promittit, definiens, se erepte Noruagie damna Suetici primatus

munere pensaturum. Rapuit promissum Eskillus, cupide-
 que legati copiam flagitat. Qui ueniens apud ipsum
 futurum Suetici sacerdocii insigne depositus, dandum ei, in
 quem concors Sueonum Gothorumque suffragium conue-
 nisset. Statuit | quoque, ut, quicunque maximi Sueonum
 pontifices creandi essent, pallio a curia dato per Lundensem
 insignirentur antistitem, eamque sedem perpetuo uererentur
 obsequio. In hoc priuilegio dato, confirmationem a curia
 ad(s)ciscendam promittit; quod effectu perfacile fuit.
 10 Siquidem Romam reuersus, decedente Eugenio, maximus
 pontifex subrogatus est, peregitque publice religionis presul,
 quod priuate legacionis minister annuerat. Qui mos, usur-
 pacione posterorum firmatus, sub hoc usque tempus an-
 tiqui tenoris obseruacione perfruitur. His peractis, Nicolaus,
 15 nondum Dania egressus, Suenonem, Suetica meditabundum
 bella, Romana industria a proposito reuocare conatus,
 locorum difficilium, inopis regni, infructuose uictorie habi-
 tum pretendebat. Siquidem eius milicie negocium ingens,
 fructus exiguos fore,* priusque ei cum uastis et immanibus cxxxix^b
 20 scopolis quam cuin hoste certandum. Quo uicto, nihil
 preter ignobilem predam et sordida spolia uictoribus oc-
 cupandum. Postremo, cum stolidam regis perseueranciam
 consilii sui sapiencia superare nequiret, inerciam eius
 facetissime cauillatus est. Nam araneam eum emulari
 25 dicebat, que, telarum figmentis cum discrimine uite et
 uiscerum suorum egestione consertis, quid nisi scarabeos
 putres et uilia prenderet animalia? Cuius exempli eu-
 idencia aranee regem, miliciam tele, uictoriam uenatu
 conferebat. Ita audum ducem, exigue rei cupiditate se
 30 ipsum uiribus exinanientem, inutili bello delectari mon-
 strabat. Cuius Sueno dignitatem pocius quam monitum
 ueneratus, abeuntemque eum ad regni fines usque com-
 meatibus prosecutus, destinati olim belli studium animo
 reuocauit; quippe quem magis pociende Suetie cupidio,
 35 quam aut iniurie dolor aut pudoris irritamentum accen-
 derat. Maximam siquidem inuadende eius opportunitatem,
 tum ob senium imbelliamque Suerconis tum ob facciones
 inter eundem et plebem recenter ortas (nam Ioannem
 agrestes concionantem occiderant), arbitrabatur. Spe quo-
 40 que tam rata uictoriam complectebatur, ut ante milicie

exordium inter milites suos Sueticarum iura prouinciarum
 tanquam belli premia partiretur. Duo quoque ex proce-
 ribus eius ad opinionem unius Suetie uirginis libidinis
 emulacione correpti, magnis inter se iurgiis dissidere ce-
 perunt. Cuius nupcias rex in beneficio suo reponere par-
 estimans, capta Suetia, forciori connubium pollicetur. Quo
 promisso libidinis emulis magnum uirtutis certamen ingessit.
 Tanta apud Danos fruende Suetie fiducia fuit. Interea
 Suerco belli metu crebras ad eum de pace legaciones
 10 direxit; sed nullis condicionibus ad eam impetrandam as-
 surgere ualuit. Igitur, frustra fatigari se uidens, non se
 prelio offerre, non arma, non expedicionem parere, sed
 ignotos locorum recessus querere, summamque belli Sae-
 onibus credere. Ut autem Sueno difficillimorum itinerum
 15 euitaret anfractus, instrumentum belli hyemis expectacione
 suspendit, ab astricis glacie paludibus profeccions com-
 pendium petiturus. Hyberni itaque temporis beneficium
 nactus, expediora legit itinera, rapinisque et incendio
 Finniam predabundus aggreditur. Occurrunt indigene sup-
 20 pllices, patriam seque dedentes; nec sic se subtraxisse
 contenti, eciam commeatisbus prebitis, hospitalitatis eum
 obsequiis prosequuntur. Post hec Werendiam intrat. Vbi
 ab incolis neque Marte neque dedicione exceptus, flammis
 25 omnia ferroque peruadit, uiris ac feminis passim solitudi-
 num inaccessa potentibus. Sed et prealte niuum moles
 totis ferme campis incesserant, frigorisque tanta uis erat,
 ut uberibus admoti infantes, algore || hebetatis membris,
 inter ipsa lactis alimenta decederent, matresque, simili fato
 30 propinque, extincta pignora moribundis complexibus attre-
 ctarent. Dani quoque, eadem aeris inclemencia afflitti,
 non in castris noctes exigere, non militares excubias ob-
 seruare; pars foco sibi, pars tecto consulere; aeris, non
 armorum seuiciam in metu reponere; cuncti plus celum
 35 quam hostem cauere. Werendenses autem, quoad regis
 graciā paciscerentur, iter intercipere cupientes, cesis
nemoribus, truncarum arborum coa[u]gmentis faueinm, quas
 permeaturus esset, angusta precludunt. Tantis siquidem
 circumiacencium rupium anfractibus claudebantur, ut absque
 40 ingenti dispendio a latere preteriri nequirent. Quorum
 ausu rex inter cenitandum accepto, more omnis inpaciens,

p. 69

265

p. 70

discussis mensis, equum inuolat, militibusque adesse iussis,
ad rupem concitus fertur, indigne ferens, ceptorum suorum
cursum uilibus agrestium obstaculis retardari. Rogatus a
Nicolao quodam, ire parcere incertamque ad modum rem
5 curiosius explorare, interpellanti se, uxoratum quenque
timidissimum esse respondit, ad eius nupcias alludens, qui,
dueta coniuge, postridie miliciam ingressus fuerat. Ille ob
contumeliosam monitorum suorum repulsam ira percitus,
facturum se breui, quod Sueno non audeat, subintexuit,
10 exprobratamque sibi ignominiam, inuicem in eum reiecto
meticulositatis opprobrio, vindicauit. Que uox, ab ira-
cundia profecta, celerem ipsius obitum ominata est. Vbi
uentum ad fauces, delapsi equis milites, quanquam tenui
armatura essent, quod eis festinacionis ardor periculorum
15 contemptum ingesserat, arboream struem oppugnare cepe-
runt, indigenis, qui ad eam defendendam conuenerant, in-
genti pacem clamore poscentibus. Tunc Nicolaus, acceptam
a rege contumeliam conspicue probitatis operibus demere
cupidus, ne magis uxorius quam strenuus uideretur, dum
20 conserta truncorum robora obstinato ad pericula gradu
superare conatur, ab agrestibus, e strue, tanquam ex muro,
propugnantibus, caput hasta traiectus opprimitur. Similis
aliorum conatus saxis sudibusque repellitur. Sueno, pro-
piuquitate noctis impetusque preproperi penitencia reuo-
25 catus, signo receptui dato, propter aggerem castra con-
stituit, luce postera maiore ui ac paratu prelum exequi-
turus. Verum | hostibus noctu sibi diffugio consulentibus,
mane uacuum propugnatoribus iter nullo negocio superauit.
Werendos deinde, resistendi fiducia defectos, in fidem ac-
30 cepit. Igitur cum pleraque sibi ex uoluntate respondere
cognosceret, felicibus fortune experimentis euectus, in
omnem se Suetiam effundere statuit. Sed nimetas frigoris
equorumque ex asperitate itinerum inopiaque pabuli coorta
debilitas processum negabant. Tunc, qui ex equitibus ad
35 pedites redacti fuerant, commilitonum equos suis oneribus
instrauere, eosque pre se onustos agentes, ignaro rege,
domum dilabebantur. Qui tandem furtiu[m] milicie disces-
sum expertus, clandestiram eius elapsionem data reuer-
tendi licencia precurrit, statimque compendiaria ad Sca-
40 ni[c]am uia cursum reflexit. Igitur Karolus cum Kanuto

CXL*

p. 701

fratre receptorum obsidum fiducia spem libere tuteque
 reuersionis presumens, cum Hallandie prope modum con-
 finiis accessisset, a Finnensibus, insidias hospitalitate tegen-
 tibus, conuiuio exceptus, maiorem noctis partem commes-
 sacionibus extraxit. Temulencia grauis in horreum annonae
 uacuum pariter se et comites sobrietate exutos cubitum
 recepit. Quibus alciore somno spirantibus, Finnenses, foris
 ualunas obiicibus obserantes, igni sparsere tectum. Iamque
 maior eius conflagrauerat pars, priusque edes in cinerem
 10 prope collapsa fuerat, quam pressos mero sensus uis ardoris
 expungeret. Postremo propiore flammarum feroce cor-
 recti, dum nudi ualuis erumpere gestiunt, forinsecus eas
 obclusas cognoscunt. Vrgebat intus incendium, foris hostis
 uetabat egressum. Sed presens pena sequentis metum
 15 leuabat, instantisque mali periculum fu[turo] tristius duce-
 batur. Quo euenit, ut Dani, ferro quam flammis opprimi
 preoptantes, ualidius connisi preiecta foribus claustra con-
 uellerent, utque unum periculorum effugerent, in aliud
 ruere non dubitarent. Egregie indolis pueri, quos sibi in
 20 clientelan Karolus respectu propinquitatis adciuerat, absque
 etatis miseracione sub | Nice amnis glaciem, nudatis cor-
 poribus, barbarorum ludibrio mersi in eodem alueo fatum
 ac tumulum recepere. Ita paucorum agrestium fraude
 maxime expedicionis labor exinanitus est.
 25 Intericto tempore, plebs Scanica, a principibus dissiden-
 dens, concione lecta in Arnam uallem armata secessit.
 Quocies enim in ea prouincia intolerabilia uulgi onera
 ducebantur, publica ui iniuriis occurrebatur. Adeo, cum
 intolerabilis plebis seruitus ducitur, publicis armis libertas
 30 expetitur. Veritus ergo rex, ne is tumultus ad grauiores
 regni motus progrederetur, coercendi eius gracia* ad Sca-
 niam e Sialandia traiiciens, militaris manus fiducia agrestium
 concessionem accessit. Ineritis ipse equitibus utebatur ar-
 matis, ut uim metuere pocius quam struere uideretur.
 35 Cedente de industria uulgo, coronam ingressus multis et
 grauibus querimoniis exceptus est; sed obstrepente multi-
 tudinis clamore, defensionis potestatem dicendue copiam
 impetrare nequiuuit. Flagitandi silencii gracia dextram
 uulgo obtendens crebros lapidum iactus exceptit. Adeo
 40 consternacionis furor in contemptum maiestatis exarserat.

Tunc Toko, matre Sygne ortus, uir natu et facundia iuxta nobilis, primaque regis amicicia peditus, in medium uulgi se proripit, obtentaque omnium taciturnitate, imperitum concessionis fragorem docte uocis auctoritate compressit, ita suam temperans accionem, ut et prefectorum partes dissimulanter protegeret et manifestum patrocinium impertiret. Reuersis ad propria agrestibus, rex, tante contumelie deformitatem summa indignacionis molestia prosecutus, complures Scanie uicos exussit, eamque ferme totam, perinde ac maiestatis ream, rapine subiecit. Ipsos consternacionis auctores spiritu uel bonis priuauit, facciosos paupertate aut morte mulctandos iudicauit. Nec Tokonem, cuius salutari eloquio usus fuerat, tametsi lingue eius beneficio uulgi iram uitasset, mulcte expertem reliquit, plebem aduersum se occulto eius consilio concitatam affirmans. Ita, seuissimis iracundie furiis prouocatus, odia ac familiaritates iuxta pensabat. Ea Suenonis irrupecio Kanuto nouandarum rerum spem fiduciamque restituit. Sed hunc ausum precepue Suenonis ac Waldemari concordia castigabat. Nam quantum regis odium, tantam ducis apud omnes graciā intuebatur, alteriusque flagicia alterius uirtute redimi denotabat. Arbitri quoque Kanuti, prius sodalem regi quam ocium eripiendum rati, eius cum Waldemaro concordiam connubii affinitate componendam duxerunt. Cuius efficiendi gracia uterinam Kanuti sororem, Sophiam, apud Waldemarum eximia pulcritudinis laude de industria prosequabantur. Sed Waldemarus, quo minus ad hanc copulam intenderet, inopiam uirginis obstare dicebat, quod, patre Ruteno procreata, nullorum in Dania bonorum heres existet. Quanquam enim suasoribus tacite pareret, plus se tamen paupertatem puelle fugere quam speciem ammirari fingebat. Igitur a Kanuto tocius patrimonii sui parte tercia sponsalium loco promissa, puellam despondit, eamque matrone cuidam, Botilde, adusque maturam thoro etatem educandam committit. Quam ob rem neglectum sanguinis uinculum ac diu funestis odiis laceratum tanta animorum integritate refectum est, ut nulla ueterum iniamiciarum macula, quas uel ipsi uel eorum parentes gessissent, noue societatis habitum infuscaret. Quorum amicicia quo inuicem purior, hoc regi suspectior extitit. Sed

eos et facite cauit, et palam offendere metuit, quod maximam a se uirium partem cum Waldemaro migrasse cognosceret, cuius fortune suam incumbere non dubitasset. Itaque, licet amborum fidem notaret, suspicionem tamen, ne odium proderet, obscurauit. Illi, regie dissimulacionis haud inseci, accepta commeandi licencia, quasi bona sua apud Suetiam inuisitaturi, regem eius Suerconem accedunt. Re autem uera Kanuto Suerconis filie postulante negocium fuit. Quorum presenciam Suero tanta affeccione amplexatus est, ut preteritis liberis, future affinitatis spe heredes eos nuncupare proponeret. Quod uotum ei siue filiorum inercia siue excellentis procii nobilitas inseminabat. Reuersi itaque hoc inuisiores regi, quo hosti concordia iuniores, fuere. Kanuto deinde in Iutiam digresso, Waldemaro uero Ring-stadium inuisente, Sueno post eum contencius pergit, conuentumque diu perfidie et prodicionis probris euerberat. Neganti confictas a se literas tradit, tanquam* ab amicis porrectas, sed titulo de industria uacantes, que eius ac Kanuti initam cum Suercone concordiam nunciarent. Quo commento Waldemarus, quanquam ire parcissimus esset, supra modum accensus, linguam nimio indignacionis haustu repletam in contumeliam arguentis effundere non dubitauit. Perfidie quoque in eum exprobracione reiecta, non iam redargucione, sed conuicio agebat, egregios operum suorum labores nugaci mendaciorum obiectu pensari uociferans. Adeoque regem responsi sui libertate permouerat, ut tentus ab eo esset, nisi milites operam suam in eius capcionem negassent, quorum fauor impensius ipsum quam regem excolet. Quam iniuriam postea apud Iutiam querimonia prosecutus, graues regi inimicicias peperit. Inde cum Kanuto magna tocius Iutie classe in Sialandiam recessit, non quod bellum regi inferre proponeret, sed ut nouis conditionibus taciorem eius circa se fidem efficeret. Quo apud Sundby, maritimum uicum, cum armatis obuio, diali colloquio de concordia actum. Composita pace, rex concubia nocte Roskildiam reuertit.

Interea Sclovorum expedicio ad orientales Sialandie partes inusitate multitudinis classe nunciatur ingressa. Qui quoniam rus ante uastarant, cuncta prede uacula pretergressi, inopinatam aggredi Roskildiam statuunt. Igitur, ne

fumi indicio proderentur, incendio penitus abstinebant. Accedebat eorum audacie, quod ex speculatoribus ociosam urbem regemque procul ex ea profectum acceperant. Quo nuncio instructi, intacto rure, eam contentius petebant.

5 Ex quibus nonnulli pernicioribus equis suburbium prope liminaque ciuitatis accesserant. Rex ipse, dum nocturnam uigiliam sopore audiens redimit, sero paratu tanti discriminis nuncium excipiebat. Primus ex Danis Radulphus, equestris milicie apprime peritus, prompioris equi beneficio
10 in hostem occurrit. Sed cum solitarius esset, nunc euitando hostes, nunc persequendo, opem ab exercicio mutuatus est. Quocies inulta camporum offenderat, ob armature molem egrius fugam conficiebat. Nam Sclauos simili pondere uacuos liberior equorum pernitas adiuuabat. Quo uiso,
15 plus uiribus equi, quam uelocitati confusis, cursum ad culciores agros de industria dirigere cepit. Igitur caballi, quibus uires parum suppeterent, officiente stipula, prestantem robore equum imitari non poterant. Ita dum agilitatis equine certamen ad uirium conamen transtulit, ab instantibus occupari nequivuit. Quippe densior seges plus uilium iumentorum quam robusti animalis cursum debilitauit. Interrogatus, quis esset, mercatorem respondit. Percontantibus, quasnam merces haberet, respondit, arma, quibus equos commutare soleret. Sed et eum, quem insideret,
20 hoc sibi mercimonio obuenisse subiunxit. Regem quoque Roskildie esse, rogatus asseruit. Illis eum, necessarios suos allocuturum, urbe nuper excessisse dicentibus, egressum quidem eum, sed reuersum astruxit. Quod quia cum speculatorum affirmacione non conueniebat, in mendaciis
25 duxerunt. Idecirco autem Radulphus circa regis statum ueris utendum putauit, quod, si qua a se ueraciter ederentur, contrario modo hostibus credidit existimanda. Interea regii
30 equites, ut quisque apparatu uelox ac manu strenuus erat, Radulpho admixti in unam cohortem se receperant, incur-
35 saturi illico hostem, ni Radulphus, intuitu paucitatis, auxilia sociorum expectanda duxisset. Tantam eis uictorie certitudinem assidua bellorum felicitas suggerebat. Contra Sclaui reuocatos a preda socios in aciem corrogant. Radulphus, ubi primum excitati pulueris indicio regem affore
40 deprehendit, superuenientis auxillii fiducia prelum facit.

p. 705

(268)

Cedentibus Sclauis, cum pedites necarentur, equites seorsum in globum contracti prius uelut ex consulto terga uertebant, mox imminentem a tergo regem, equitum eius paucitate conspecta, conuersi fugarunt. Quos Radulphus,
 5 internissa peditum strage, cum suis adortus, in ueram et precipitem fugam coegit. Sed ab iisdem longius insectandis, quod equis prestarent, reuocatus, admixta regia cohorte, ferrum ad pedites retulit. Fugientibus tanta adhuc predandi cupiditas inerat, ut occisorum arietum corporibus
 10 pellem cursitando detraherent. Quantum in illorum pectoribus auaricie clausum putemus, qui inter extrema pericula, abiectis armis, ignobilem predam et uilia fuge impedimenta, quo melius sibi consulerent, deserere passi non sunt? Paucissimi ex eis in littus elapsi, per lubricum pelagi
 15 nando nauigia petuerunt. Nonnulli fuga cupidius inita, ceco metu undas aggressi, passim exanimati sunt, precipitato in mare spiritu, quem ab hoste seruare studuerant. Interea Sclauorum equites, uelut ex abdito prouolantes, uictoriam regi e manibus per insidias eripere conabantur.
 20 Igitur Dani, dum ad finem pugne peruentum autumant, prelum iterant. Quorum uirtute uicti Sclaui, fuga audius sumpta, adeo salutem suam ferro subtrahere gestiebant. ut per maritime rupis ardua semet cum equis effeminato pauore precipitantes uitam finirent, et inter scopulos spi-
 25 ritum deformi corporum ruina deponerent, quem audacter in acie profundere dubitassen. Abducendis igitur nauigiis ob ingentem nautarum stragem egre remigia suppeterant.

Iisdem temporibus, effusis piratice habenis, a Wandalicis finibus Eidoram usque omnes per orientem uici in-
 30 colis uidui ruraque culture expercia iacuere. Sialandia ab ortu et meridie marcida situ uastitate torpebat. Siquidem agrestium inops patrie loco predonibus fuit. Fionie nihil residuum preter paucos incolas piratica fecerat. Falstria, spacio quam uirtute contraccior, incolarum fortitudine
 35 paruitatis damna pensabat. Quippe tributarii ignara iugi, aut pacto hostem aut uiribus submouebat. At Lalandia, tametsi Falstrie granditate prestaret, pacem tamen pensione petebat. Cetera uastitas occuparat. Itaque non armis, | non urbibus confisum; anfractus equorum, quo
 40 minus piratas admitterent, prelongis palis ac sudibus ob-

struebantur. Aduertens igitur rex, nutantes patrie res et iam pene collapsas se propriis uiribus a piratica uindicare nequire, Henrici ducis, cuius insignes ea tempestate uires fucre, aduersum Sclauos opem pecuniis promerendam putauit. Cui mille quingentas argenti libras mercedis nomine pollicitus, publica collacione summam expleuit. At Henricus, cuius uenalis magis quam utilis amicicia esset, pecuniam assecutus, uel quia noluit uel quia nequivuit, parum stabiliter in promisso se gessit. Ita rex, non accepta pace, dum patrie rebus consulere querit, miseriam eius dedecore cumulauit. Que res aduersum eum popularium iram acrius destrinxit, deforme ducencium, pacem censu, nou armis exquiri, communemque patriam regis uicio esse deceptam.

Igitur Sueno, desperatis malorum remedii, a piraticis periculis propulsandis ad ciues usque cauendos curam retorsit; renouatisque suspicionibus, Waldemarum occupare animum intendit, tanquam, altero sibi onustorum sublato, facilius reliquum aggressurus. Quod insidiis quam bello commodius gerendum ratus, perinde ac coniugis dotem exquisiturus, || ad socerum iter instaurat, interque delectos comites Waldemarum profectionis sequacem ad(s)ciscit, quia domi eum tuto relicturus non uidebatur, in carcерem Conrado seruandum tradere cupiens. Quem dolum Walde-
marus, amicorum sibi complurium literis indicatum, | uenienti Slesuicum regi, memoratis, que pro eo fideliter ac strenue gesserat, cum exprobracione perfidie palam obiecit. Neganti, in eum a se crudeliter esse consultum, susceptos apices, abscisis indicum uocabulis, ostendit. Meminisse
deinde monet, ut precipuam ei bellicorum manum conciliauerit, ut corpore aduerso diras pro eo plagas acceperit, ut secum maiorem semper uictorie partem traxerit, egre-
giisque meritis suis gracie loco dolum ac fallaciā erogari conqueritur. Comitatum nihilominus pollicetur, pre*fatus,
scitrum eum, peracta fraude, nequiciam sibi, non astum, effectui fuisse. Contra Sueno suspicionem leuare summa dissimulacione tentabat. Neque enim ad deponendam perfidiam tante fidei meritis adduci poterat. Irreuocabilis itaque propositi pertinacia Stadium aduectus, a presule Bre-
morum Hartuico domo suscipitur. A quo cum ulterioris

(269)

p. 708

CXLIIa

vie ducem exposceret, non impetrato, Waldemarum, quem ei perfamiliarem sciebat, preces iterare compellit. Quo pontifex clam uocato regii consilii commentum aperit, confessus, se de industria negare, quod ei perniciosum aduerteret. Vt autem regi satisfacere uideretur, dissimulata potestate, ductum ab Henrico, quod potentia ac dignitate prestaret, commonet expetendum, uerum has preces suo Suenonisque et Waldemari nuncio committendas. Quibus Henricus auditis, cum et regis dolum calleret et 10 Waldemaro consulere uellet, quod a socero commodius accipere posset, frustra Suenonem a se flagitare respondit. Abductum deinde Waldemari legatum, quam noxia mitenti precetur, edocet, ipsumque, ni redeat, apud Conradum extrema passurum denunciat. Igitur Suenonis nuncius, 15 collegarum utroque dimisso, Conradum accedens nunciat, suspectos regem habere propinquos, quos, pridem inimicicias exercentes, connubii recentis affinitas concordes effecerit. E quibus unum ei fraudulenter accitum in comitatum cessisse, quem apud ipsum, nouarum rerum metu, uinctum 20 haberet cupiat. Preterea procedendi gracia profecionis ei debere prestari ductorem. Querente Conrado, quo pacto regem emulus comitaretur, fidem eius secutum asseruit. Tunc Conradus Suenonis consilium execratus, dedecere senem se, inquit, quod iuuenis fugisset, admittere. Nempe 25 deforme uetulo esse, de integratatis duce perfidie fautorem euadere, notamque, quam eatenus cauerit, sub ultimum tempus sibi con(s)ciscere. Malle igitur se generum filiamque cum nepote ex ea suscepto cruci subfixos uidere, quam fidei et synceritatis opinionem tot annis seruatam 30 extreme etatis infamia corrumpere, alienaque fraudis propositum impiissimi fauoris prosequi nutrimento. Tum demum affuturum se subsidiaque laturum, si gener, omissa fraude, palam, quos metuat, impetat. Ad huius uocis nuncium Sueno rubore perfusus, ulterioris uie tutatore 35 negato, in regnum reuertit.

Breui morarum processu, Kanuto et Waldemaro Wibergi moram habentibus, occulto traiectu in Fioniam e Sialandia accessit, confisus, inopinatos preendi posse. Detecto dolo, mandat utrique, allocutum se eos, non occu- 40 patum uenisse; suspicione deponant, quas falso conce-

perint. Illi, indiciis dolum precurrentibus, eius de se propositum speculati, nihilque iam bone spei ex regis promissu capientes, Iutorum suffragiis regium sibi nomen con(s)ciscunt. Tunc rex apud Othenas (nam eo forte loci diuenterat) 5 contractis in regiam militibus, nunc singulos, nunc uniuersos arceius percontari cepit, qua fide presens bellum ingredi uellent. Respondentibus alacriter, non contentus simplicitate promissi, sacramento fidem efflagitat. Illatis sacris, Suno, siue uetusta Waldemari caritate siue priuato in- 10 iuriarum dolore per motus, regia solus excedit. Emissi, qui cum reuocarent, causam tam subite egressionis efflagitant. Rogatus regredi, ob paterne uille erepcionem conqueritur. Rex restitucionem promittit. Suno, seram hanc iusticiam inquiens, in aduersis usurum se negat, quo in 15 prosperis fraudatus fuerit. Quam ob rem pocioris partis amplexu solitariam transpcionem non ueritus, ab iniurioso sibi rege salutari consilio de(s)civit. Itaque iustum defeccionis titulum secutus, Waldemarum autem paterneque familiaritatis respectu transfugio petuit. Cumque Sueno, 20 roborata suorum fide, in Sialandiam rediisset, consequenter ab emulis, Iutorum classem mutuatis, impetratur. Qui tunc forte Roskildie situs, Eskillum sepe dictum antistitem presidiaque Scano*rum accersit. Quibus presentatis, Petrum, cui pater Thorsstanus erat, omnium consiliorum suorum 25 arbitrum, qualiter rebus consulendum esset, interrogat. Is consultantem olim regem, qualiter tuto regnare posset, iussisse fertur, ut aut equestrem plebeiumque ordinem, quo se tuius aduersum emulos gereret, beneficiis impensioribus coleret, aut ab iis saltem ad propinquos placendi studium 30 transferret, eosque, sola contentus specie, re uera reges existere pateretur. Si neutrum egisset, haud dubium, quin breuem regni usum habiturus esset, edocuit. Rex uero, neque salubritatem consilii neque sapientiam responsi debita animi sentencia prosecutus, utilissimos monitus 35 deliramentorum loco habuit. Enimuero obfusum iracundia animum salutaris estimacio subire nequiuuit. Concepti itaque furoris impaciens, quoad unum sibi scutum suppeteret, id se Petro oppositum iurauit. Tum Petrus, Meum semper, inquit, pro te clypeum gessi, sed uereor, ne cito 40 cunctis scutorum tuorum copiis opus habiturus sis. Quod

(270)

p. 710

cXLII^b

rex auare dictum existimans, perecontatur, num adhuc satur
 esset. Respondit, saturum se, sed uereri, ne sacietatem
 parum salubris digerier sequeretur. Tunc quoque, quid
 facto opus esset, rogatus, in Sciam migrandum edocet;
 5 tuciores illic uires; in Sialandia pauciores amicos quam
 hostes esse. Preterea Iutos | haud facile insecururos,
 Fotensis adhuc pugne memoria trepidos. Sin autem in
 Sciam preuenient, gentis aduersum eum auxilia contra-
 eturos; quam si petere supersedisset, ad emulos defecturam
 10 non dubitaret. Quem Sueno secus estimaturum inquit,
 nisi Waldemarum, cuius concubinarii filii pedagogum ageret,
 penatibus suis parsurum speraret. Aliorum uero bonis, si
 patriani hosti cessissent, nullum peculiaris amicicie bene-
 ficium presidio futurum. Ita alieno consilio spreto, pro-
 15 prium amplexatus, Roskyldie hostem opperiri constituit.
 Rarescentibus alimentis, regios uicos complures comparandi
 sumptus gracia uenditabat. Tandem, multi ruris absumpto
 precio, cum exercitum nimiis impensis onerosum dimissurus
 uideretur, Eskillus, defecionem prouidens, artem excogi-
 20 taut, qua periculum ad fructum conuerteret. Primum
 enim ampla defecionis premia ab aduersariis occulte pa-
 eiscitur. Mox cum conterraneis regem accedens, alimen-
 torum inopiam queritur; dinnitat, precatur, quos pascere
 nequeat, presertim pictatis ac necessitudinis iura uiolatu-
 25 ros, si in ciues ac propinquos ex aduerso contractos pugnatum
 issent. His dictis, tanquam defensionis racione redditia,
 cum cohorte Scanica regia exceedit, subiungente Suenone,
 dignum eum, qui defecionis penas capite lueret. Sed
 hunc regis furorem sanior arbitrorum sentencia propulit,
 30 imminentis belli auspicia scelere et sacrilegio prohibencium
 esse sumenda. Iamque rex, maiore exercitus parte delapsa,
 fugam meditabundus, cum reliquiis copiarum Falstriam
 uersus contencius pergit, ignorantibus eciam arbitris, quo
 proposito tam remotas ab urbe partes accederet. Quem
 35 ubi de fuga cogitare compertum milites habuere, ne sine
 prelio uineeretur, orantes, uictoriam, si redeat, spondent.
 Preterea scire iubent, eos sibi milites esse, qui crebro
 parua manu ingentes hostium copias superauerint, neque
 paucitatem uereri || debere, quam tocies in suis uictricem
 40 aspexerit. Quin eciam ultimi dedecoris esse, fortunam

suam ante fuge quam bello permittere, eosque, qui uinci possent, ultro uictores efficere, alieno metu quam suis uiribus forciores. Monent deinde, re ex strenuo rege timidus militum desertor euadat, ne unius fuge dedecore tot uictorias suas maculare sustineat. Cuius perseueranciam a proposito reflectere nequeunt, amaris eum conuiciis insequuntur. Nec deformitatem ei peregrinacionis exprobasse contenti, eciam contumelie damnacionem iunxerunt. Deinde mutua semet adhortacione firmantes, bello hostibus 10 occurrere statuunt. Fore enim, ut eorum multitudo, passim ac disso^{*}lute instandi cupiditate procurrens, sparsum militie genus sequendo facile a paucis intercipi posset. Preterea arma sibi et equos suppeteret, nihilque tot uiris in unius meticulosi ducis absencia nocuisse fortunam. Ita 15 sibi fortitudinis robur ingenerantes, regii dedecoris notam militari spiritu redimere gestiebant. Diu itaque expectato hoste, nec uiso, Petrus soluendum agmen salutique consulendum ammonuit, perquam stultum affirmans, prelum absque duce capessi. Quippe Iuti, Suenonem de industria 20 cessisse rati, insidiarum metu tardius incedendum duxerunt. Tunc Sialandenses, quod indigene essent, ceteros commilitonum ductu^{ac} commeatisbus prosequebantur; nec cuiquam ex tanto grege perniciosus ad patriam redditus extitit. Sed eorum post modum plerisque paci transicio fuit. Nam et 25 fides regibus data et amicicia pariter obsequio quesita. Wlf et Thorbiornus, spectate in regem fidei, cum hoc uenie genus in probris ducerent, domi sue comprehensi Suerconique regi in custodiam traditi, exilio capita quam hosti dedere maluerunt. Horum siquidem excellentis constancie animus plus glorie in uinculis quam libertatis in defecione constituit. At Sueno, continuato apud socerum exilio triennium emensus, ipso defuncto, Saxonum satrape Henrico, datis uadibus, pecuniam pollicetur ingentem, si regno per eum restitui posset. Pactus premium dux, cum 30 ad aggerem, quam Danorum structuram appellant, summis uiribus peruenisset, transitu per eum, qui porte precrat, pecunia corruptum, obtento, obsidione censum a Slesuicencibus extudit. Tunc Hartuicus, Bremorum pontifex, qui et ipse post Henricum expedicionis auctor extiterat, 35 meruisse eum, inquit, qui portam patefecerit, cum pecunia 40 meruisse eum, inquit, qui portam patefecerit, cum pecunia

- simul, quam pactus esset, suspendi, quatenus ad horrorem consimilis facti in eodem laqueo proditor et prodicionis premium conspicerentur. Illic Sueno peregrinam classem predatus, direptas Rutenorum merces stipendii loco militibus erogauit.
- 5 Quo facto non solum aduenarum in posterum frequenciam deturbauit, sed eciam splendidam mercimonii urbem ad tenuem angustumque uicum rediget. Saxones desertum ab incolis rus nullo resistente permensi, hoc longius, quo licencieus, ruebant. Nam australes Iuti paucitatis sue metu
- 10 in Septentrionalem partem, que multitudine prestabat, elapsi, sub specie fuge bellum parabant; et qui prius auxilia Suenoni spoponderant, alienorum uiribus succincto succursum negabant, ne peregrinam manum aduersum patriam iuuisse uiderentur.
- 15 Eadem fere tempestate Suerconem regem seruus, qui cubiculo eius preerat, noctu dormientem occiderat. Quod scelus diuinitas haud segnus quam iustius ulta est. Nam paruo post tempore Magnus, qui occulta regnandi cupiditate seruo peragendi facinoris auctor extiterat, in eo conflictu,
- 20 quo filium Suerconis Karolum, quem patre spoliauerat, regno eciam exuere gestiebat, scelerate machinacionis penas morte persoluit. Ea res Kanutum, solande matris gracia, Suetie superiora petere coegit. | Interea Waldemarus, apud Sialandiam Teutonici motus opinione suscepta, ad Iutiam
- 25 concitus tendit, remisso coeuo atque collacteo suo Absalone, qui reuertentis a Suetia Kanuti post se maturaret aduentum. Tantum autem || eius apud Iutos presencia ualuit, ut et fortibus fiduciam afferret et ignauia torpentes ad bellum pro patria suscipiendum erigeret. Idem Henricum, nobilem
- 30 inter Saxones uirum, cum quo iampridem affinitatem, data ei in matrimonium cognata, iunxerat, per internuncios oculius obsercat, uti ueteris amicicie causa ad procedendum socios incitet ducisque redditum modis omnibus interpellat, breui se cum exercitu superuenturum denuncians.
- 35 Tantam illi fiduciam et numerus militum et alacritas dabat. Huius tumultus nuncio Kanutus e Suetia reuocatus, cum delectis Sialandiam intrat, extemplo Iutiam petiturus. Sed cum coorte tempestatis magnitudine transitu prohiberetur, afflicti mora milites, Waldema*rum pacem cum hostibus
- 40 pepigisse, idque se per agrestium quondam recenti nuncio

p. 71

(272)

cxl

cognouisse, fingebant. Hoc fame commento Kanutus audito, ingrati animi labem exprobrat parum honestum de eo sermonem habentibus, qui suum communi periculo caput obiecerit, hortaturque, si dignis eum laudibus prosequi
 5 nolint, saltem linguas ab indigna ipsius obtrectacione cohibeant. Hesbernus solus, Skyalmonis Candidi ex filio nepos, idemque Waldemaro ob puericie et educationis societatem percarus, transfretare se uelle dixit, que apud Iutiam gererentur, Kanuto renunciaturum. Igitur ut strenuam,
 10 ita periculosam nauigacionem feliciter emensus et quasi cum ipsa rerum natura luctatus, seuiencium elementorum rabiem incredibili remorum certamine superauit. Nunciatur interea Saxonibus, tocius Iutie uires ad Walde-
 15 marum coisse, tantaque hostes manu esse, ut sine periculo et clade excipi nequeant. Hac dux fama attonitus, Henricum, quem apud Waldemarum affinitatis iure magne familiaritatis locum habere nouerat, ubinam regulus eius degeret, simulato ioco perquirere institit. Quo latebras eum ac solitudines circunspicere respondente, dux, eludi
 20 se senciens, a ficta et ludicra ad seriam et sollicitam interrogacionem conuertitur. Repugnantem illum commissaque tegere perseuerantem per debitam Romano imperio fidei orat obtestaturque, ut, que ab hoste parari sciat, indicio precurrat, neque, quod ciuibus perniciosum aduertat,
 25 silencio contegat. Hac Henricus adiuracione permotus, uerum esse, quod rumor docuisset, asseruit. Bellum si quidem pre manibus esse, quale prius experti non fuerint, superstitesque recordacionem eius perpetuo narratu prosecuturos. Formidolosa cunctis Henrici affirmacio fuit. Idem,
 30 an hostes expectandi essent, consultus, omnium animos ad prelum uirili exhortacione prouexit, ita fidem suam inter amici preces et ducis imperium partitus, ut nec huius mandatum negligeret nec illius salutem silencio falleret. Quam sentenciam publico metu refutante, cupidus reuer-
 35 sionis exercitus occasionem a tempore mutuatus est. Ne enim ob piscium raritatem ueris, quod imminebat, statum solenneque iejunium solueret, remeandi sibi necessitatem imposuit, omniisque simulacione competencium alimentorum causabatur inopiam, ignauie studium religionis nomine colorando. Quod quidem in eorum abscessu luce clarius

fuit. Iter enim, quod semenstri spacio uenientes confece-
 rant, triduo remensi sunt, multa post se onera multaque
 impedimenta nimia festinacionis cupidine relinquentes: Tunc
 reuersus Hesbernus Kanuti expectacionem summis ambi-
 p. 71
 5 gitatis curis implicitam certo rerum nuncio absoluit. Paruo
 post tempore ui Sclauica tanta apud Fioniam clades incidunt,
 ut, si secundam huic similem accepisset, cultu uacna man-
 sisset, resque eius non afflerte modo, uerum eciam perdite
 fuissent. At Sueno, non contentus semel Saxonibus sup-
 10 plicasse, iterato ad Henricum decurrat, perque Sclauos eius
 dicioni parentes in patriam se peruchi laborabat. Quorum
 classe translatus in Fioniam, letis ciuibus, ad urbem
 Othenas se contulit, salutem suam aduersum innumeros
 paucorum presidio defensurus. Sed et pax immunitasque
 15 per Sclauos eius fautoribus promissa. Igitur, siue impe-
 trande pacis || siue amplectende maiestatis intuitu, tanta
 tuendi colendique eius apud insulanos cura flagrauit, ut
 passim ad ipsius presidium uirorum feminarumque turba
 concurreret, egregium reputancium, aduersum eos, qui
 20 rerum summa potirentur, infractam regis reparare fortunam.
 Ad hanc <labefactandam> cum Kanuto Waldemarus ad-
 uersum Fioniam terra marique ceteras regni copias con-
 traxere. Quarum multitudine facile Fioniensium paucitatem
 oppressissent, nisi Waldemarus, miseracione reliquiarum,
 25 afflictis insule rebus parcendum putasset, ne post noue
 cladis calamitatem populi residuum exhaustiendo plus patrie
 quam hosti noſcuisse uideretur. Itaque emulum cum*
 pernicie tolerare quam debile patrie membrum quassare
 sacius ratus, expedicionem ad consilium transtulit. Nam
 30 auctore eo res in colloquium uerse, condictumque, ut
 Sueno cum ascripta sibi clientela Lalandiam concederet,
 ibique prope modum solitarius degeret, quoad inter ipsum
 et duces de pace plenius conueniret. Die postero Othenas
 lauandi gracia repetens, Kanuto ob insidiarum metum
 35 balnea communicare non auso, a Suenone, eius amiciciam
 ambiente, elatis obuiam sacris, religione processionis ex-
 cipitur. In Albani deinde edem ab ipso perducitur, arbit-
 rorum nemine preter Absalonem admisso. Tum Sueno
 intra sacellum residens, Sinistra michi, inquit, iam pridem,
 40 Waldemare, fortuna consorcium tue familiaritatis inuidit,

quanquam et animum bene de te semper gesserim, et a patris tui interfectorē mens non solum ulcionem exegerit, sed eciam, suscepto aduersum patrum bello, salutem tuam, inter parricidales manus sine cuiusquam presidio
 5 constitutam, plenis pietatis armis ab exicio uendicauerit. Post quem Ericus Iunior, ne parentis mei, cui diuinus militauerat, ceptum excidere pateretur, ut regni, ita tui quoque curam arripuit. Tercius ego puericie tue pro-
 pugnator accessi. Nec mea parcias quam priorum opera
 10 seruatum te scito. Pro capite tuo nondum in etatem pro-
 ducto aduersum hunc, cuius fidem nunc societatemque exoscularis, arma suscepi. Que nisi felicius auspicatus fuisset, filio Magni immerens penas luisset. Qui nisi me tercium extimesceret, haudquaquam te secundum pateretur.
 15 Dum uiuo, uitam tibi aduersus eius insidias prorogo. Ex-
 tinctus ut meum, ita tuum quoque diem finio. Igitur eo tucius ad opem tuam decurrerim, quo plus eam beneficio meo debere cognouerim. Et nunc caritatis tue fiducia arbitrum te pacis in me faciente constitue. Contentus
 20 ero, qua me cunque sorte donaueris, tantum apud exterios calamitatis perpessus, ut priuatus aut egens intra patrie fines degere quam exul denuo censeri malim. Arbitror quoque, ut, cum singula iustius estimaueris, inter probra ducturus sis, pocius parentis tui interfectorē quam ultore
 25 procreatū excolere. Hec et similia replicantem Walde-
 marus interpellare non dubitans, Frustra meam, inquit, Kan-
 nutique concordiam cassare pergis, cum et ipse paterne culpe affinis non fuerit et michi in eius expiacionem olim iusta persoluerit. Quod autem ulterius tibi militare non
 30 tuli, non mee leuitatis, sed tue perfidie crimen reputa.
 Nonne olim me peregrinacionis tue comitem in carcerem socero necandum tradere statuisti? Atqui, nisi prauitatem tuam eius honestas uicisset, inter uincula moriturus abieram. Quocies meam, quocies Kanuti salutem per insidias atten-
 35 tatam fraudulentis consilii nisibus obruere uoluisti? Qualiter autem pares ferre poteris, quos milites habere passus non es? Verum ne cum reprehensione propinquum auer-
 tere uidear, res tuas aduersum caput meum restaurare tentabo, plus miseracione fortune tue quam credulitate
 40 promissionis inductus. Quam humanitatem cum scelere et

fallacia repensaueris, simplicitatem nostram artibus tuis
 circunuentam ne existimes, sed pocius fidem pietatemque
 periculis locum dedissem. Tunc Sueno, uerbis in simula-
 cionem compositis, perfide se acturum negare, sincera fide
 5 eorum amiciciam expetitum promittere, presertim cum || (274)
 nec sibi nec liberis consulturus uideatur. Eo enim se
 morbo esse, ut annum uix confidere queat. Preterea sine
 filiis esse, quibus regnum parare debeat. Quid igitur nisi
 culpam et ignominiam perfidia quesiturum? Malle itaque
 10 quantumuis tristes fortunas excipere, quam maximo fame
 dehonestamento sceleratam sui memoriam per totum ter-
 rarum orbem disiicere breuesque regni fructus eterna fame
 turpitudine comparare. Dimisso Waldemaro, Lalandiam
 ipse concessit. Vbi paucitate satellitum non contentus,
 15 nouos cotidie stipatores adciuit, clienteleque grandibus in-
 crementis auctus, colloquii diem hoc tucior, quo * forcior, CLXII
 opperiebatur, tanquam pacem cum emulis ex pari facturus.
 Tempore prenominato Kanutus et Waldemarus cum omni
 Danica nobilitate Lalandiam aduehuntur. Tunc Walde-
 20 marus, quod Suenonem familiarius frequentare soleret,
 cum paucis ad eum uisitandum contendit, Kanuto fidem
 perpetua suspicione damnante. Cum quo Sueno Kanutum
 pariter adesse ratus, subornat ex suis, qui iurgancium
 more rem in strepitum sedicionemque conuerterent, emu-
 25 losque pariter ferro uiolarent. Quem ubi sine socio uenire
 conspexit, consilium reuocauit, parum proficiam alterius
 sine altero oppressionem existimans. Waldemarus, cognitis
 insidiis, sed dissimulatis, multa Suenonis adulacione uexa-
 tus, cum ab eo die postero ad familiare colloquium expe-
 30 teretur, non aliter annuit, quam ut uterque solitarius ad-
 esset. Eo namque corporis habitu erat, ut cum nemine
 uiritim congregari dubitaret. Militibus itaque procul abesse
 iussis, inuicem collocuti, proximo die concilium aduocant.
 Tunc Sueno, siue cognacionis fiducia siue tegende fraudis
 35 studio, Kanuto consenciente, Waldemaro composcionis
 arbitrium tradit, probaturum se, quecumque per ipsum
 taxarentur, affirmans. Igitur Waldemarus, ipsis sibique
 regii nominis usurpacione decreta, trifariam tocius regni
 orbem partitus, Iutie magnitudinem, non minus incola|rum
 40 multitudine quam spaciis abundantem, in unam porcionem

p. 71

CLXII

p. 72

secreuit; in altera Sialandiam ac Fioniam, in tercia Scaniam cum attinentibus prouinciis locauit. Cumque penes ipsum ut particionis, ita optionis quoque potestas existeret, primam sibi, secundam Suenoni indulxit, priorque Iutiam 5 ipse delegit. Tunc Sueno, cui post ipsum opcio debebatur, ne medium inter emulos locum acciperet, Scaniam poposcit. Ita minores insule, duorum eleccione preterite, Kanuto cessere. Fides pacti sacramento componitur, ut religionis metu perfidia pelleretur. Deinde manus ad celum tentuntur; auctor rerum in caucionem vocatur; nec contenti concordie pignus humanis stabilire consiliis, deum simul et passionis presidem et temeracionis ultorem efflagitant. Pontifices quoque, censure sue partibus intersertis, iis, qui pactum rupissent, execracionis sentenciam intentabant. 15 Preterea condictum, delaftores mutuo prodi debere, ne mendaciorum obscuritate sinceritatis habitus corrumperetur concordieque quassaretur integritas. His ita compositis, Kanutus in Sialandiam, cuius iam possessionem adeptus fuerat, Waldemaro comitante, precedit, Suenonem breui 20 subsecuturum hospicio suspicere cupiens. Quem postridie Ryngstadio susceptum expertus, dum in eius occursum bone fidei studio pergeret, Ryngstadi*cō*e religionis prelatum cum Radulfo, equite Teutonico, obuium habuit, affirmantem, nunciatum fuisse Suenoni, cum armatorum multitudine eum uenire. Hausit ergo cum suspicione cautelam, argumentoque perfidie sumpto, concessionem, que eo forte die magna popularium frequencia gerebatur, declinato 25 Suenone, petiuit. Waldemarus vero, apud quem fides suspicioni preponderabat, pacti fiducia Suenonem constancius quam caucius petebat. Stabant milites regis gregatim armati, Kanutum et Waldemarum, dum modo pariter affuisserent, necare iussi. Comperta alterius absencia, Sueno, reuocatis satellitibus, multa uenientem gratulacione prosequitur. Percunctantem illum, cur, nullo discrimine impudente, comitibus uteretur armatis, quid rumoris acceperit, edocet. A quo compluribus perfidie probris laceratus, 30 consilium propositumque suum summa animi dissimulacione suppressit. Roskildiam deinde, Kanuto; cui illic hospitalitatis ius erat, inuitante, procedens, nocte per ludos et 35 commessacionem exacta, diluculo Thorberni uicum, haud

p. 721

(275)

procul urbe situm, cum paucis petiuit, perinde ac paruuile
 filie, que illic educabatur, cernende caritate perductus.
 Ferunt, tunc uxorem Thorberni dixisse, mirari se, eum in
 hanc condicione uilitatem ad*ductum, ut, quod totum ges-
 serat, eius tercia parte contentus haber*i* sustineat. Quod
 dictum, ab indignacione profectum. Suenoni ingens irrita-
 mentum facinoris fuit. Vespa*a* appetente mittuntur a
 Kanuto, qui cenatum eum accerserent. Quos Thorbernum
 perquam iocunde excipiens, cum super regis mora roga-
 retur, debilitatem capit*i*, ex balnearum fumo et uapore
 contractam, tarditatis eius causam astruxit. Sueno uero,
 cum expectacionis sue excusacionem afferre | uellet, cum
 filia ad modum paruula infantilibus blandimentis iocatum
 se dixit. Discors cause reddicio percontatoribus notabilis
 fuit. Quorum hortatu urbem repetens, inter consortes,
 quasi per etatem honoracior, medio sedendi loco receptus
 est. Mensis post epulas amotis, cum, minucioribus poculis
 passim et uarie discurrerentibus, conuiu*i* hilaritas augeretur,
 calculorum ludum poposcit, gloriatus, se eius apprime-
 peritum, quod exul hoc maxime iocunditatis genere de-
 lectari consueuerit. Quod dictum, iactancie simile, re uera
 acerba calamitatis recordacio fuit. Sed tabulato non sup-
 petente, ne lusui quidem uacatum est. Inter cetera cantor
 Germanicus fugam Suenonis exiliumque cantilena com-
 plexus, uarias ei contumelias, formatis in carmen conuiciis,
 obiectabat. Quem ob hoc aerius a conuiuis increpitum
 Sueno, dissimulata molestia, fortunas suas liberi*u* recinere
 iubet, perquam libenter se post erumnas malorum memi-
 nisse confessus. Crepusculo appetente, illatisque ex more
 luminibus, miles Suenonis, Thetleuus, qui paulo ante con-
 uiuio egressus fuerat, reuersus in regiam, occasionem
 edendi facinoris oculis animoque tacitus perlustrabat.
 Cumque paulisper attonito stupentique similis constitisset,
 Kanutus eum, propasso in terram amiculo, sedere sibi
 proximum iubet. Ille | tante eius dignacioni gracia habens,
 e*de* excedit, e uestigioque regressus exiguo capit*i* motu
 Suenonem accersit. Quem signi tam latentis ignarum Ka-
 nutus, a Thetleuo uocatum, edocet. Cui cum Thetleuus
 exurgenti paululum insusurrasset, quotquot Suenoniarum
 parcium affuere, eis in colloquium admixti, collatis in

orbem capitibus, nemini remociorum exaudienda tractabant. Tunc Kanutus, perinde ac insidiarum prescius, Waldemarum brachiis attrectatum osculo petuit. Causam blandimenti, cum minime sic se alias gerere consueuerit, ab eo,
 5 cui osculum tulerat, interrogatus, suppressit. Interea Sueño, relictis in ede militibus, per posticum in conclave diuertit, preeunte puero luminis gerulo. Mox in Kanutum et Waldemarum a subornatis ferrum distringitur. Sed Waldemarus ocios sede exiliens, manum amiculo ob-
 10 uolutam non solum applicatis capiti suo gladiis obiecit, sed eciam Thetleuum acrius in se ruentem pectoris impulsu huni precipitauit. Cum quo pariter et ipse collapsus, femur quam grauissime sauciatus est. At ubi primum pedibus se exceptit, recepti uulneris immemor, dum, per-
 15 ruptis obstancium globis, foribus exiliret, quidam obscuro loco obuius, arrepta cinguli ipsius pensilia, retentare cum conatus, abrupit. Interea aliis, ne noctis errore facinus impediretur, fenestras reserantibus, Thetleus humo resiliens Kanutum, dexteram gladio obtendentem, a fronte
 20 confudit. Excipit semianimem Absalon, Waldemarum esse ratus, fluidum que crux caput manibus ac sinu complexus, inter ipsos armorum strepitus salutem suam quam regis curam negligere preoptabat, reliquiis spiritus adhuc in eius pectore palpitantibus. || Tandem Kanutum a se
 25 teneri cultus indicio expertus, permixtum merori gaudium habuit. Dobicus, uir prima audacia, dum regis necem in auctores vindicare conatur, occiditur. Itaque, noctis obscuro neminem discerni paciente, in eos, qui ualunas proprius accessissent, stricto ferro proruebatur, quia tenebrarum accessio, hostesne an commilitones adessent,* incertum fecerat.
 Igitur Constantinus, qui primo inter Kanuti necessarios loco fuerat, ne exitu prohiberetur, Absalonem, in cuius iam gremio complexuque Kanutus spiritum deposuerat, ad unum ostiorum accedere, quo tucior sibi in reliquum
 35 proculs pateret, tacite postulabat, parenteque eo, seorsum elapsus, ab iis, qui foris uersabantur, exceptus opprimitur. Absalon uero, propior eius petitioni quam sue saluti, Kanuti corpore reuerenter amoto, securus periculorum in armatos progreditur, crebrasque eorum interrogaciones confessione sui nominis absoluere dignatus non est. Itaque

p. 724

p. 725

(276)

CXLVb

constancia taciturnitatis adiutus, salutarem inter hostes
egressum habuit. Cui Radulfus medio ponte obuius, tam
tetri facinoris non auctores modo, sed etiam consciens ex-
erabatur, ab eius se culpa alienissimum protestatus. Hunc
5 Petrus cognomine Thenia magno secutus impetu, per ludi-
brium Absaloni comminando discessit. At ille ad australem
atrii portam, quo Trinitatis edes ambitur, progressus, in-
festo satellitum occursu proripitur. Cuius caput gladiorum
multitudine circunfusum quidam forte cum aliis super-
10 ueniens non solum ferri corporisque sui pio vindicauit
obiectu, sed etiam, quendam a pectore eum confodere
gestientem penas sibi, si non desisteret, daturum minatus,
salutare ei diffugium conciliauit. Absalon quoque tempe-
stiuia corporis declinacione percussorem euitans, tunica,
15 qua latus eius proxime tegebatur, telum excepit. Ita, ne
Danice reparacionis spes penitus claberetur, futurum patrie
columnen fortuna seruauit. Inde digressus, cum in Ramsø
uicum nocturno itinere peruenisset, attonitum solitario eius
aduentu uillicum, nunciatis, que Roskyldie inciderant, pene
20 exanimem reddidit. A quo uegesciore equo donatus, primum
sororem, quam Petrus quidam in matrimonio habebat,
deinde matrem petiuit. Que cum ex eo Kanutum occisum,
Waldemarum uero grauiter affectum cognosset, plus
memoris ex eorum clade quam ex filii incolumitate uoluptatis
25 contraxit. Interea Waldemarus, duos duntaxat e suis casu
comites assecutus, gressum, femoris debilitate negatum,
uite cupiditate prouexit. Igitur incedendi usum, uulnere
debilitatum, a necessitatis uiolencia mutuatus est. Adeo
corporis dolores animi metus extenuat. Deinde sequacium
30 ope equo impositus, in eum forte uicum casu ductante
peruenit, ad quem fortune eius nuncius Absalon paulo ante
precesserat. Quem postquam ex uillico recenter ad matrem
discessisse cognouit, preuiis locorum peritis, post eum con-
tendit. Adeo corpoream ipsius debilitatem duratrix infir-
35 mitatis humanae necessitas confortabat. Illic, procurato
uulnere femoreque fascia circumligato, noctis reliquias
exegit. Diluculo Sueno, collectis ciuibus, nocturnis emu-
lorum insidiis appetitum se queri, amiculum, quod de in-
dustria confederat, ostendere, Kanutum et Waldemarum
40 hospitalitatis uiolatores, periuros, latrones, parricidas appell-

lare, gracias deo replicare, | quod amborum facinus alterius p. 728
 nece propulerit, auxilia aduersum superstitem implorare.
 Assertis eius, quia fraus in propatulo fuerat, fides delata
 non est. Deinde, ne Waldemaro maritime fuge locus
 5 suppeteret, tocius insule nauigiis confodi iussis, solitudines
 quoque, quibus eum irrepsisse crediderat, exquisicius inda-
 gandas curabat. Igitur Waldemarus, tribus duntaxat comi-
 tibus fretus, non per abdita nemorum aut inaccessa palu-
 dum, sed per tenues ad modum saltus errabat, tuciora
 10 ratus loca, que minus hosti suspecta fuissent. Hesbernus
 quoque cum aliquot procul in planiciem mittitur, qui se
 patencioribus interdum campis, Waldemarum simulaturus,
 ostenderet. || Complures quoque, duce eo, uariis in locis
 15 multitudinem suam, regie transpcionis simulacione, conspi-
 ciendam prebebant. Cumque demum Iutiam ac*cedi pla-
 cuisset, familiaris ei faber nauigium, quo in eam traice-
 retur, reficere iussus, metuens, ne Suenoni penas daret,
 operam suam sub specie coaccionis extorquendam perdocuit.
 20 Igitur Hesbernus officinam eius agrustum frequencia com-
 pletam ingressus, in primis eum flete precis commento
 sollicitat. Refeccionem abnuenti iniciit manus, nexumque
 deducit; abstractus artificium prebuit. Itaque sub iniurie
 simulacione et amico utiliter paruit et apud Suenonem sibi
 25 impunitatem salubriter conciliauit. Tunc armamentis com-
 meatibusque per Hesbernum exhibitis, Waldemarus noctu-
 cum suis nauigationem orsus, coorta subito tempestate, in-
 usitatam maris seniciam expertus est. Ipsis quoque mili-
 tibus, immanum undarum aspergine prolutis, tantum algoris
 30 incessit, ut, singulis corporis partibus hebetatis, ne uelum
 quidem ad nauigationem commodum circunferre potuerint.
 Preterea tanta nymbi uis antennam impulit, ut inter undas
 effracta decideret; nec minus hymbrum quam fluctuuni
 moles nauigium onerabat. Gubernator omnia freto per-
 35 mittens, abiecto regimine, quo proram deflecteret ignarus,
 solum uenti imperium expectabat. Aer quoque crebris
 internitencium fulminum ignibus micans, ingenti nubium
 fragore concrepuit. Tandem per suminam nymborum
 rabiem insule eidam errore nauigationis appulsi, detractum
 undis nauigium, quod ancora retentare nequiret, circum-
 40 stancium arborum ramis in foros detortis, quo minus p. 729

lapsum collideretur, tenacius astrinxerunt. Eadem nox Sclauos, ad Hallandiam mille quingentarum nauium classe appulsos, naufragio obruit. E quibus quotquot uiui in littus euaserant, ferro periclitati sunt.

- 5 Diluculo Waldemarus, amministrato per Hesbernum uiatico, militibus abunde firmatis, secundo mari in Iutiam peruenit. Vibergum progressus, Suenonisque dolum pro concione causatus, omnium animos ad mesticiam lachrymosa fortune sue narracione deflexit. Cuius assercioni
 10 non minus miseracionis, quam fidei uulneris presencia conciliauit. Itaque nescias, miserior plaga an felicior fuerit. At Sueno, fuge eius opinione accepta, refectis nauibus, quas ante quassauerat, expedicionem in Iutiam parat. Tunc mater Absalonis et soror egregium uirilis industrie
 15 facinus edidere. Siquidem, ut regis transitum morarentur, nauigia, quibus traicere destinabat, nocturno tempore dissecanda curarunt. Quarum Sueno refectioni diueius immoratus, cum, redintegratis omnibus, in Fioniam peruenisset, Waldemarus, ocios emulo occurrentum existimans,
 20 primis eum Iutie liminibus prohibere constituit. Quo cognito, in Sialandiam se contalit, eiusque et Scanie populo per edictum contracto, priuatis armis publica miscet auxilia. Interea Waldemarus, incertum belli suspicatus euentum, repetito Vibergo, nupecias agit, tum ut eos facilius sibi,
 25 qui Kanuto militauerant, ad(s)ciscere[n]t, tum ne pulcherime spone castitatem hostibus forte delibandam seruaret. Deinde expeditio coire iussa, Randrusium petit, Sialandiam, quod Suenoni receptaculo esset, | armis attentare
 constituens. Ex Suenonis quoque milicia complures, ob
 30 immane eum scelus perosi, Waldemaro se iungunt, tanti facinoris reatum auxiliorum fomentis prosequi nefas ducentes. At Sueno, qui bellum inferre quam excipere speciosius duceret, magnitudinem animi sui intra unius insule fines concludere nequiens, nauigiis e Fonia Sialan-
 35 diaque petitis, ad Iutiam appulit; iisdemque intra Dyurso fluminis alueum recipi iussis, cum promptissimis equitum, sub dubia oppidanorum fide, Vibergum concessit. Quod cum Waldemarus per transfugarum quandam expertus fuisset, auxiliaribus, qua poterat, celeritate contractis, ad
 40 exturbandam hostium classem Saxonem et Burisium cum

naualibus copiis mittit. || Quorum auctoritatibus moti Sia- (278)
 landenses, nauigacione reflexa, plus propinquorum monitis
 quam regis imperio tribuendum putarunt, eiusque deser-
 tores quam horum hostes existere maluerunt. Verum
 5 Fionienses, apud quos plus regis quam priuatorum respe-
 ctus ua*luit, spreti monitus penas uapulando luere, pulsa- cxlvib
 tique dedere fugam, quam sospites abnuerunt. Nec quic-
 quam Sueno malorum egrius tulit. Post hec Hesbernus
 10 hostium consilia cognoscere iussus, cum prope Wibergum
 suscepit speculacionis gracia peruenisset, Suenonis, Ran-
 drusium potentis, obuium contemplatur exercitum. Igitur
 ne res diligencius quam forcius explorare uideretur, pre-
 15cedencium quosdam, effusius obequitantes, hasta ualidius
 appetitos militari uirtute prostrauit. Quorum equos potitus,
 comitum ope per deuium abstrahendos curauit. Tunc
 20 Suenoniani, propinquas hostium copias arbitrantes, arma- p. 731
 tura propere sumpta, lectissimisque equorum consensis,
 bello se preparant. At postquam inequalia loca permensis
 prospectum planicies dedit, solum contuentes Hesbernum,
 25 post eum promptissimos dirigunt. Quibus ille, uolueri
 fisus equo, tanto semet interuallo surripuit, ut interdum
 quieti descendendo consuleret. Cumque insecuriores frustra
 se eius occupacione inhiasse conspicerent, alloquium ipsius
 30 sub fidei promissione eminus uociferando deposcunt. Negat
 eorum se colloquia suscepturum Hesbernus, quod lubrica
 fide serotinis esse temporibus consueuerint, facetissime eis
 perfidiam, quam recenter Roskyldie patrarant, obiectans.
 Ex quibus Petrum duntaxat, cognomine Thenia, antique
 35 societatis fiducia accepta fide, propius accedere passus,
 cum super Waldemaro pluribus rogaretur, reliqui inter se
 equis de industria concurrentes insidias ei sub exercita-
 cionis simulacione tendebant. Tunc Petrum Hesbernus,
 quid animi sociis esset, aduertere postulat. Ille fidem
 suam commilitonum perfidia quassandam ueritus, obuersa
 40 hasta, confixurum se, qui in Hesbernum irruisset, exclamat.
 Quorum fraudem Hesbernus per angustos diuerticuli re-
 cessus prepropere pontis cuiusdam transitu precucurrit,
 intentasque lateri hastas cuspidis sue frustrabatur obiectu.
 Cumque eos identidem dignis perfidie conuiciis affecisset,

insecuione eductos, propinquis uie fruticibus occultauit, ac protinus ipse equo dissiluit. Qui uero in eius capcionem intenderant, nondum hac spe deposita, cursum dirigere perseuerabant. Quibus ille procul conspectis equum insilit, 5 eiusque latera crebris de industria uerberibus attundendo, factio cursum labore confecit. Igitur insequentes, conceptam intercipiendi eius spem maiori conamine prosequentes, aerius equos urgere ceperunt, haud dubie ab hostibus capiendo, nisi insidiacionum quidam, expectacionis impaciens, 10 per nimiam occursandi cupidinem ocius latebris erupisset. Itaque ex unius procursu datum sibi insidiarum indicium existimantes, ad socios impigre relabebantur, aliena impaciencia quam sua prouidencia feliores. Ita Hesbernus, nisi sociorum imprudencia uetusset, calliditate perfidiam 15 ultus fuisse. Per quem Waldemarus hostes imminere | comperiens, nondum se committendi belli uiribus abundare confisus, iunctum uico pontem, ne eis perius foret, partim discindi iubet. Itaque et tutum militi munimentum et op- portunum contrahendis uiribus spacium ab amne mutuatus 20 est. Cumque nec Suenoni transeundi facultas nec Wal- demaro obuiandi uoluntas suppeteret, promptissimi tamen iuuenum, reliquiis pontis preter imperium occupatis, iaeulis missilibusque certantes magna fortitudinis experimenta dedere. Quippe, quia congressionem locus negabat, ad ali- 25 quanto micius pugne genus iuuenilium animorum lasciuia decurrebat. Waldemarus, tandem gerendi fiduciam belli cotidianis copiarum incrementis adeptus, amne alias su^up- rato, hostem appetere statuit. Nocte uero, quam belli insecutus est dies, frenatos stare equos pastuque penitus 30 arceri precepit, ne, sacietate graues, cursu hebetes forent. At Sueno, castris sata complexus, ex ipsa agrorum uber- tate abunde equos refici iubet, ignarus, stomachi sareinam cursui impedimento futuram. Cumque Waldemarus exer- citu in aciem digesto procederet, cohortem armis signisque 35 fulgentem e latere conspicatur. Quam primo* hostilem cxi- ratus, ex speculatoribus cognoscit, socios esse, quos metuat. Quibus in aciem receptis, fidencius in hostem tendebat. Adeo quippe copiis creuerat, ut ne a decima quidem exer- citus parte signorum ordines prospici potuissent. Tunc, 40 quibus a Suenone commissa speculacio fuerat, reuersi, im-

modicas hostium uires edocent; fatigandam ante multitudinem, quam sustinendam esse; fore enim, ut multum ex eius numero copiisque dies detraheret. Cuius consilii salubritatem, Suenoni ad modum gratam, Achonis cuiusdam Christiarno procreati temeritas reppulit. Siquidem aut pugnaturum regem aut a militibus deserendum esse dicebat; quippe qui ita sibi consulere nolint, ut rem familiarem proprio spiritu cariorem hosti impune pociendam relinquere cu^piant. Ad hec memorem esse iubet, quocies exigua manus ingens uictorie decus acceperit. Itaque si animos suorum, non numerum metiri uelit, plus fiducie ex corum paucitate quam metus ex hostium multitudine concipiendum fuisse. Preterea aciem contemni pocius quam metui debere, quam non militum robur, sed uulgus inerme construxerit. Hac exhortacione regem, salutari consilio depulsum, perniciose parere coegit. Ex parte Waldemari iuuentus ferrugineis succincta tuuicis dextrum aciei latus confecerat. Quam Suenonici ob eximiam ferri similitudinem uario loricarum genere excultam rati, in eam cohortem exercitus sui cuncum destrinxerunt. At ubi specie deceptos se uident, ab his ad regiam phalangem insultum transferunt. Illud quoque memoratu dignum, quod Waldemari exercitum tam crebri coruorum greges interuolasse produntur, ut complures se erectis militum hastis feriendos obiicerent. Medius acies interequitabat cantor, qui parricidalem Suenonis perfidiā famoso carmine prosequendo Waldemari milites per summam uindictē exhortacionem in bellum accenderet. Congressuris sepes frugum ambitrix obstabat, quam neutro equitatu propter palorum eminencia acumina transcendere presumente, Waldemari pedites disiicere aggressi, pugne principium ediderunt. Qua Suenonici leui negocio uicti, egre fugam moliebantur. Quippe equi, nocturno adhuc pabulo onusti, persecueranter cursum intendere non ualebant, quod saturitatis moles citam eis lassitudinem ingerebat. Primipilus ipse, et equo in hostem conuersus sparsosque fuga socios ad pugnam capessendam hortatus, tandem, circumspectis nusquam auxiliis, signum humi defixum sinistra complexus, dextra proprius accedentes obtunecat. Ad ultimum, memorabili pugna edita, circumfuse multitudinis uiribus lacesitus obruitur. Sueno cum paucis

p. 733

p. 734

ad palustria forte fuga perueniens, cum, luto desidente, equi uestigia mergerentur, pedes iter arripere conabatur. Sed ne sic quidem ceno onus ferente, eciam arma depositum. Postremo, quanquam suorum humeris anniteretur, suprema uictus lassitudine, comitibus aufugere iussis, in arboris unius radiee consedit. Adeo quippe eum uires defecerant, ut ne gradum quidem alieno subnixum adminiculo proferre potuerit. A quo quidam suorum per ignauiam discedere omni fato tristius ratus, ab agrestibus, indagande prede 10 gracia superuenientibus, ante pedes regis appetitus occubuit. A quibus et Sueno captus, cum, quis esset, interrogaretur, regis scribam profitebatur. Agnitus tandem, quoque ob reuereuiam maiestatis impositus, siue metus siue spei instinctu Waldemaro se presentari poscebat.

15 Hec orantis caput || agrestium quidam subito aduolans securi precidit. Corpus eius nullis funeris impensis honoratum ignobili sepulture popularium cura mandauit. Vluonem bello captum Wibergique custodie traditum, Hesberno duntaxat, quo minus puniretur, obstante, capitali supplicio 20 Kanuti milites affecere, sanguine* eius ducis sui manibus parentandum putantes. Prensus quoque Thetleuuus, cum ad eculeum abs, primo culpam apud captores excusare pergebat. Postremo, cum sine effectu preces esse cognosceret, adeo effeminate se gessit, ut uirum ex- p. 73
25 uere uisus ne lachrymis quidem abstineret aut planetu, muliebremque animum uirili corpore clausum confiteretur. Itaque prius dedecore, deinde morte mulctatus, geminam imperfecti a se principis manibus penam persoluit. Magnus uero, posterioris Erici ex pellice filius, qui et ipse Suenonianus nominis acrior quam iustior defensor extiterat, cum captus ultima se passurum arbitraretur, supra uota propiciam uiotoris clemenciam expertus est. Quem Waldemarus, sibi a captoribus presentatum, sub respectu cognacionis non spiritu modo, sed eciam honoris ac potestatis incre- 30 35 mentis donauit; cumque abunde esset impunitatem tribuisse, eciam liberalitatem adiecit, ne districtum ultorem agendo plus ire quam necessitudini induluisse uideretur. Itaque, tametsi iniurie supplicium deberetur, propinquitati salus tributa est. Igitur non minus in aduersario affinitatem, 40 quam in fautoribus fidem atque obsequium ueneratus,

hostem amicis prémio equauit. Burysium eciam, ut sanguine sibi, ita animo obsequioque coniunctum, quod optima ipsius opera aduersum Suenonem usus fuerat, tum opibus, tum eciam honoribus prosecutus est. Cuius fratrem Kanutum 5 pari munificencia ad prefecture fastigium recenter euixerat. Tum uero, qui Kanutice milicie comites fuerant, nondum hostium cladibus contenti, communiter regem adeunt, ut eos, qui Suenoni interficiendi Kanuti consilium dederant, proscripcione prosequeretur, orantes. Inter ceteros autem 10 Thorberni penam cupidius expetebant, quanquam is, cum apud Randrusii pontem dimicaretur, presentibus, quorum consilio Kanuti cedes commissa fuerat, huic se perfidie affinem negabat, auctores eius acerrime deuouens. At rex metuens, ne, si tot gentis sue nobiles exilio multaret, 15 Kanutum Burysiumque, dubia fide suspectos, proscriptorum aduersum se armis instrueret, ueniam sontibus quam emulis opem afferre maluit. Ad ultimum instancium perseuerancia uictus, ne a Kanuti interfectoribus remissius ulcionem exigere uideretur, proscripturum se, quos iussissent, promisit, nec alio pacto patrie redditurum, quam si eorum precibus reuocarentur, quorum sentenciis exilio adacti fuissent. Sciebat enim, facilem humani animi ab odio ad graciā deflexum existere, ac plerunque mortales affectus cum ipsa rerum uarietate consentire. Nihil enim in his 20 tam asperum reperiri, quod tempus aut casus lenire non possit. Ceteris eiusdem gregis, ut iisdem pocis bonis militibus ute- retur, quam in eos animaduerteret, exoratus ignouit, tanto- que se eius amicicia propiorem exhibuit, quanto ipsos ab illius parricidalis commenti conscientia remociores agnouit. 25 His ita compositis, ut regni inicia strenuis milicie operibus auspicaretur, patriamque, tot annis piratica lace- ratam ac ferme tercia ex parte ad situm et uastitatem usque redactam, iniuriarum ulcione reficeret, publica classe Masnet insulam, bellum Sclauis facturus, accedit. Vbi 30 dum populum in concione exhortaretur, seniores, quibus pro rostris dicendi mos erat, classem tuto processuram negabant. Nam et suos commeatibus defici et hostes compertum regis habere propositum. Aucupande ergo opportunitatis gracia dilatu opus existere, quoad melior 35 gerende rei facultas incideret. Ceterum non parue temeri-

p. 736

- tatis esse, aduersum prouidos et premunitos armorum experiri fortunam. Preterea in eam classem Danicum penitus coisse robur, quod si periclitari contingeret, protecto Sclauos unius uictorie beneficio Dania potituros.
- 5 Nam si res parum ex sentencia cederent, nonne patriam penitus in eorum funere perituram? Minime igitur uni prelio tante nobilitatis uires impendere debere, dum modo uictrices parum glorie, uictae dedecoris plurimum sint lature. In hanc sentenciam tocius conciosis suffragia consonabant. cxlvi
- 10 Cuius arbitrio rex expedicionem remittere coactus, proposito suo celerius quam cupidius cessit. Apud quem Ab-salon in nauem regressum, desidiam eius eludens, facetissime cauillatus est. Nam cum solute expedicionis causam perquireret, dixissetque rex, ne tot fortis periculo obiectarentur, Ergo, inquit, cum ignavis et ignobilibus p. 7 ceptum exequere, aut proficie uictor futurus aut parum damnose uincendus, cum nullo in momento uilium internicio ponenda sit. Ita lepidi ingenii adolescens indignacionem suam ad inercie exprobracionem sub ioci specie conuertit.
- 15 20 Que tam faceta eius urbanitas tacitum regis conuicium fuit. Per eadem tempora Ascero, Roskyldensium antistite, deceidente, super subrogando pontifice plebis a clero suffragia dissidebant. Eadem eciam tempestate, diuidua Roskyldensis populi coniuraeione, cum mutuis cedibus ciuitas exundaret, aduenis partim cesis, partim urbe electis, non contenta indigenarum sodalitas alienigene coniuracionis partes protriuisse, eciam in eum, qui regium numisma amministrabat, non tantum edes eius solo equando, sed eciam bona omnia diripiendo uesaniam sue consternacionis exer-cxit.
- 25 30 Tunc rex ob maiestatis sue contemptum acrius ciuitati infensus, cum ad excidium eius magna prouincialium manu niteretur, missis ad se deprecandum legatis, ne armis, que pro patria ferre debuerat, aduersum patriam uteretur, incolumitatem urbi, suscepta pecunie paccione, donauit. Quam continuo placida mente ingressus, Trinitatis edi inseruiciumi penates intrauit, eorum de creando pontifice suffragia suo prosecutus assensu. Quanquam autem ei in ecclesia a maioribus condita ac dotata iuris aliquid competere uideretur, nihil se tamen aduersum eam aut 35 40 illicita affectacione aut insolita consuetudine presumpturum

dicebat; sacris siquidem legibus cautum nosse, ne clerus peculiare eligendi ius regali imperio obnoxium habeat. Itaque presenciam suam haud quaquam impedimento futuram, quo minus electoribus libera suffragiorum arbitria
 5 maneat. Tunc clerus, religiosam eius iusticiam summis p. 738
 graciarum actionibus prosecutus, concilio excessit, delectum curiosius habiturus. Cumque tres spectate opinionis uiros, quibus quartus ob uirtutem Absalon adiiciebatur, circunspexisserunt, ut ex eorum numero potissimum assumeretur,
 10 Waldemarus tacita singulorum suffragia in unius tabule segregata uolumina referri iussit, sinceriorem eleccionis habitum ratus, si uniuscuiusque uoluntas ante manu quam lingua proderetur. Euenitque, ut, omnium scripto in unam coeunte sentenciam, honoris culmen Absaloni decerneretur.
 15 Qui mox antistes creatus, non minus piratam se quam pontificem gessit, parui estimans intus religionem tueri, si foris eam periclitari pateretur. Neque enim minus
 20 sacerorum attinet cultui publice religionis hostes repellere quam ceremoniarum tutele uacare. Itaque, pontificalibus teatis maiore ex parte solo equatis, quo patriam firmioribus uallaret excubiis, maritimam assidue stacionem peragens, habitacionis usum interdum a siluis frondibusque mutuari solebat. Cuius tam humilis mansio conuulsos patric penates
 25 erexit. Eloquence quoque eius presidia Sialandenses salutaria senserunt. Nam domesticas conciones, ad uim et rixam usque litigiosas, moderacione sua ad pacaciorem habitum perduxit. Tantaque facundie eius ornamenta fuere, ut eos semet stoliditatis dammare cogeret, qui eum inertem elinguemque crediderant. Nec pensi duxit duratos gelu
 30 fluctus hybernis sulcare nauigiis, || ne illum anni tempus (282) salutaribus uacaret excubiis, aut insignis eius erga patriam pietas necessitati cedere uideretur. Itaque non minus patrie pareutem quam pontificem egit, milicie et religionis sociato fulgore conspicuus. Prima illi, pridie quam Palma*rum
 35 solenne instaret, apud Borlundam uicum aduersum Sciauos congressio extitit. Nunciata namque eorum irrupcione, clientela duntaxat sua, que decem et octo militum numerum explebat, instructus, aduersum quatuor et uiginti nauium copias ut periculoso, ita felici certamine dimicauit. Com-
 40 pluribus siquidem aduerse partis equitum fusis, | pedites p. 739

ferme omnes oppressit. Nec in tanto discriminе quempiam ex suis preter unum amisit, pontificatum et miliciam pulcherrima uictoria auspicatus. Paucos ex hostibus, arma spoliaque fuge liberius ineunde gracia per ignauiam abie-
5 ctantes, iuncta campis silua seruauit.

Eodem anno ciuitas Arusyensis acerrimis piratarum incursibus afflita proditur. Tunc quoque Falstrensisibus paucitatem suam aduersus infinitam Sclauorum classem publica munitione tuentibus, cum forte pincerna regis ad
10 alia negocia obeunda in eam prouinciam missus communi obsidione premeretur, prouincialium quidam arbitris regis segniciem exprobrando dixisse fertur, priores reges in talis, presentem uero in prima pedum parte calcaribus assueuisse. Quod dictum pincerna, desidie conscientia prouocatus, ma-
15 ligna animi interpretatione regiis auribus modo, quo non debuit, inculcauit, et, quod sue contumelie erat, in maiestatis opprobrium transtulit. Alia quoque haud leuiori criminacione aduersum Falstrenses asperatum regis animum inflammabat, unius precipitis lingue uehemenciam uniu-
20 sorum excidio multare cupiens. Siquidem impiissimam eis prodicionis noxam affixit, quasi consiliorum omnium aduersum Sclauiam conceptorum indicia ad eam transmittere solitis; familiaritatemque, quam interdum conciliande sibi salutis gratia ad hostes habebant, in crimen deducens,
25 obsequia, *que* timori pocius quam caritati erogaba*n*t, perfidie*[que]* deputabat. Nam et captiuos a Sclauis sibi commissos in custodia asseruare, et plerunque patrie arma, metu pocius quam beniuolencia adducti, lato hostibus nuncio precurrere consueuerant, scilicet ut salutem suam, quam
30 uiribus protegere nequibant, saltem beneficio munirent. Huius itaque pestifera rex exhortacione corruptus, reliquias Falstrie ferro penitus exhaustire constituit, atque ad id peragendum Sialandie duntaxat ministerium sufficere credidit. Absalone ergo orientalibus insule copiis preesse
35 iusso, occidentales ipse ductare statuit, ingentibus passim exiguisque nauigiis exercitum traiecturus. At Sialandenses, quod cum Falstrensisibus diutinas ac uehementes inimicicias gesserant, acceptas iniurias communibus armis pensare cupientes, ultro imperium obsequio precurrebant, letati,
40 regem sibi aduersum emulos belli ducem auctoremque

futurum. Sed hunc eius errorem, sinistris monitis concitatum, fortune uiolencia felici remedio precucurrit. Nam cum rex magnis uiribus succinctus iter ingredi uellet, apud Ryngstadium subita febri implicitus, Absalonem, remissis copiis, ocius ad se uenire iubet. Ita pestifere regis molicioni opportuna ualitudinis conquassacio remedio fuit. Nec minus Waldemari innocencie quam insontis populi saluti, misso celitus languore, consultum. Quam porro tunc non solum deformem, sed eciam miserabilem rei Danice statum
 10 fuisse credendum est, cum foris hostilibus, intus regiis armis appeteretur? Quis uero diuino numine effectum ambigat, ne patrie imperator futurus in ipso pene fulgoris sui primordio regnum, quod ex hostium manibus erupturus erat, obrueret, quia patrie habenas tenenti difficillimo morbo
 15 quam maximo facinori implicari sacius fuit? Itaque languore in dies acrius grassante, Absalon pro salute regia uotis excubare non destitit. Ad ultimum ueluti remedii desperacione perfusus, cum unicum in uirtute diuina auxilium restare animaduerteret, ad eam propiciandam summa (283)
 20 cum examinacione uota pro egroto nuncupaturus accessit, diuinamque rem sacerdotali* ueste amictus rite peregit; CXLIX^a sacrificia deinde legitimis uerbis confecta ad egrum detulit, ac pene exanimi delibanda porrexit. Quibus ille refectus, continuo oborto sudore, bone ualitudinis habitum recuper-
 25 rauit. Antistes tamen, adhuc de eius conualescencia dubius, languore ex molestia contracto, repente corporis firmitate defici cepit. Ac nisi celeste remedium affulsisset, spes tante indolis in ipso ortu suo occubuisset. Sed nec illi sanitatis alienacio impedimento fore potuit, quo minus
 30 curam regis, quam sospes gesserat, eger exsequeretur. Ratus siquidem, emendatam ipsius ualitudinem tristi nuncio corrumpi posse, affectionem suam ei nunciari prohibuit, ne subita animi tristitia implicatus in pristinam pestem relaberetur. Sospitate reddita, ambo tam excialis propositi
 35 interpellatori deo saluberrime ammoncionis grates soluebant, errorisque eos non sine rubore penitencia subiit, cogitate impietatis effectum diuine animaduersionis beneficio sublatum esse, gaudentes. Salubriori itaque sentencia animum amplectente, a ciuium periculis ad hostes usque lacessendos
 40 studium traduxerunt.

Tunc rex, Absalonis, Petri, Sunonis et Hesberni, qui potissimum consiliis eius preerant, prudencioribus monitis informatus, ciciore quam maiore exercitu occultoque magis incursu quam aperta classe expedicionis in hostem agende 5 consilium cepit, cum multo facilioris sit negocii inopinatos quam prouidos oppugnare, et plerunque preualide multitudo nis sentencia salutaribus maiorum iussis obniti soleat, apud quam plus uirium Sclauici nominis terror quam regium possideret edictum. Idecirco autem perpaucos huius rei 10 arbitros adciuit, quod sciret, quecunque ferro geruntur, publicis uiribus, sed priuatis consiliis amministrari oportere. Et quoniam de Sialandensium nihil obsequio dubitabat, Scanice classis ducem agere preoptauit. Cumque, nondum integra ualitudine, Scanienses, Lundie contractos, expedi- 15 cionis sollicitaret edicto, maximus pontifex Eskillus (nam ei ceteri proloquium deferebant,) negabat in expedito naues esse, quibus tam subito iussum perageretur. Cumque rex obtemperantibus graciā, supersedentibus iram se repen- surum dixisset, tantaque propositi cupiditate perfusum, ut 20 unico proficisci nauigio quam expedicionem remittere mallet, Eskillus, indubitate uoluntatis eius firmitate comperta, non solum consilium probauit, sed eciam, qui regi comites de- essent, ad modum execratus, sua eum nauī impensaue excepit. Iampridem enim regem expedicionum dissuetudo 25 nauigio spoliauerat. Postremi Lalandenses ac Falstrici in classem coire iussi, ne, longa presciencia edocti, furtim ad Sclauos imperate rei indicia deferrent. At ubi Landoram classe peruentum, rex, spectandi exercitus sui audius, in campo copias explicare constituit, ut totas uires oculis 30 subiiciendo, an ea manu tuto bellum commissurus uideretur, aspiceret. Ab huius littoris continentī longior harene tractus, breuibus abscisus, curuatis anfractibus portum nauigiis facit, humilis ita, ut ueniente estu lateat, abscede- nte uisatur. Nam uadosus eius introitus diffusiore spacio 35 opace altitudinis undas includit. Sed quoniam hunc locum cuncti Danorum reges, uanissimi erroris deliramento suspe- ctum, perinde ac fatalem cauere consueuerant, proximo portu uniuersi agminis apparatum curiosissime contemplatus est, adhibitis, qui milicie rudes rei bellice documentis im- 40 buerent, quatinus uires suas pocius solida oculorum fide

quam ecco estimacionis augurio metiretur. Huic milicie
 speculacioni quatuordecim diebus intentos maior commea-
 tuum pars ocio consumpta defecerat. Egressis portu,
 tranquilla toto mari nauigacio incidit. Sed ut taciti im-
 prouisque appellerent, remigii eam quam uelis instruere
 maluerunt, Absalone cum septem nauibus premisso, qui
 Rugyani littoris excussius indagaret accessum. Si quidem (284)
 Arcon oppidum, uetusto simulacri cuiusdam cultu inclytum,*
 ignaris incolis incendio tentare cunctosque eius presidium CXLIX^b
 petituros ex improuiso opprimere statuerunt; munimentum
 quidem habitatore uacuum serarumque duntaxat
 claustris firmatum, existimantibus indigenis, parum humanc
 tutele egenum, quod presentis numinis excubii esset ual-
 latum. Summa uero contracte classis ordine digesta du-
 centarum et sexaginta nauium numerum reddebat. Absalon
 exsequende speculacionis gracia cum prope modum ad
 Rugiam peruenisset, indicantibus nautis cognoscit, regiam
 nauem subito remigium uelo mutasse; miratusque, quid
 ita cetera classis incederet, que paulo ante uelis, quo oc-
 culcior nauigacio gereretur, abstinentum condixerat, post-
 quam eam a statuto declinare cognouit, et ipse, non sup-
 petentibus propositi sociis, per summam animi confusione
 puppim ultimus uertit, regemque, Mōnensium in portu re-
 ceptum, mestior quam libencior comes petiuit. Quippe,
 quia cepti comitibus deficiebatur, indignatus, optimam
 gerende rei facultatem omitti, cum et aeris fauor et mi-
 litum arridebat alacritas, ab inchoata nauigacione egre
 proram auertit. Hunc Petrus, Suno et Hesbernus, cum
 quibus rex consilia sua participare solebat, rate egressum
 excipientes, tam deformem regis ab utili illustrique con-
 silio defecionem anxie querebantur. Quos tandem rex,
 obuiam sibi uenire iussos, ubi tristes animaduertit, am-
 mirans, cur eo uultu essent, uisum sibi, inquit, ne tarda
 et intempestiuua nauigacio proferretur, cursum eius ad in-
 sulam fuisse flectendum, mane cuncta | commodius exsecu-
 turo. Quippe dies labori, noctes quieti familiares existere.
 Cumque nullum ab amicis responsum daretur, taciturnitatis
 ammiracione permotus, proferre eos, que senciant, imperat.
 Illi, que inuicem contulissent, Absalonem proponere iubent.
 Tum ille, Quid miri est, inquit, segnes hesitate uoces, quas

ingenti meroris pondere obrutas, quasi fauce obclusa, latens
animi strangulat egritudo? Enim uero uicem tuam ad
ignominiam uergere consipientes interno mentis luctu per-
fundimur. Quippe imperii ius obsequio mutas, paresque,
5 quibus preesse debueras, utilissimis consiliis spretis, eorum
monita consectando, qui in equo ponunt, pulcherne rerum
tuarum cursus an deformis existat. At, postquam sine
collega aut emulo regnare cepisti, altera nunc expedicio
geritur, nec illius remissio quam huius fedior appetet.
10 Siquidem, summa rerum opportunitate contempta, paruulas
commeatuum reliquias habentes ociosis nauigacionis ex-
cessibus excusabilem reuersionis titulum querimus, et, cum
nullis urgeamur obstaculis, ignauiam nostram necessitatis
nomine censeri cupimus. Hiscine patriam operibus nindi-
15 candal talibusue regnum ingeniis auspicandum duxisti?
Si uero maris seuicia nauigacionem interpellari contigerit,
quid superest, nisi ut, necessitatis imperio cogente, domos
inglorii petamus, tetricmis effeminate mentis opprobiis
insectandi? Hec et similia, tum molestie stimulis, tum
20 fiducia familiaritatis euectus, per summam uerborum acer-
bitatem apud regias aures eloqui non dubitabat. Quan-
quam autem rex aduersum dictorum eius libertatem acrius
exarsisset, tamen, ne monitorem impudencius auertere uide-
retur, magnitudinem ire, quam uultu teste conceperat, mo-
25 deracione sua ad leue et tolerabile responsum deflexit,
dicendo, complures operum suorum testes extare, nihilque
tam fortiter ab Absalone gestum, quod, si nondum uirtute
equauerit, adhuc factis emulari non possit. Nec plura
eloqui passus, cymba nauigium repetiuit, subiungente Absa-
30 lone, haud quaquam eum utilia suadenti succensere debere,
cum aliquanto sacius sit apertis amicorum monitis instrui,
quam occultis amare sugillationis morsibus obtrectari.
Postera nocte concita tum acrius mare eo tempestatis ex-
cessit, ut regia classis non portu, non anchoris, quo minus
35 spar*sa pelago disiiceretur, retentari potuerit. Nulla ex ||
parte remissior eodem aeris habitu quatriduo perseuerauit.
Que res iram regis aduersum Absalonem accensam magnopere
deliniuit. Sed quod iam corde salubre deprehenderat,
uoce fateri erubescerat, pudore serum animi eius intel-
40 lectum celante. Nam interim nulla ad amicos communione

habita, postridie predictos uiros forte litorii insistentes accessit, comitibusque proprius accedere uetitis, concitacionem animi sui, inquit, tametsi dissimulacione uti uellet, iracundis oris notis proditam esse [dicebat], parum quidem ammiracione dignum, cum consultantis uocem monitis pocius quam contumeliis excipi deceat. Quedam tamen ab eis sapiens quam tempestiuus dicta, que si ante triduum prolata fuissent, ingentis mali materiam precurrere poterant. Seras quidem monitoris partes esse, que rem, dum in arbitrio est, negligencius obeunt, exactam sollicitudine prosequuntur. Inemendabilia autem corrigere uelle proximum amencie errorem esse. Frustra igitur se conuiciis attentatum fuisse, cum et irreuocabiles preteritorum euentus existant, et plerunque animi commocio parum cum racione consenciat. Orture uero tempestatis seuiciam absque celestium monitis humano presagio comprehendere nequiusse, neque, quin ea delictorum penas lueret, dubitare. Quam ob rem aut nature ignoranciam aut improuise necessitatis uiolenciam uicio sibi uerti non oportere. Omissis igitur preteritorum querelis, ad tempestiuia rebus consilia animum operamque deuocare par esse. Malle enim se spiritum specioso exitu quam expedicionem deformi reditu finire. Tunc Petrus, Absalonis sentenciam aliquanto leniori monitorum genere prosecutus, docet, neminem regum fidias amicorum noces infensis auribus excipere conuenire, cum sepe clari illustresque uiri spreti salutaris consilii penas perniciosa morte pependerint. Ceterum aura, dum faueat, utendum esse, quod eius anceps incertaque uarietas existerre soleat. Sustinendum itaque, donec tempestatis im- mensitas ad tolerabilem remigiis habitum concidat. Ad-huc | enim tridui commeatus superesse, exiguoque traiectu hostes accedi posse. Quod si presenti alimentorum ope deficerentur, alia armis esse poscenda. Oportere ergo, mox ut undas remigio habiles uiderint, sparsam ociosum uniri classem, incessuramque sociali remigio progredi. Quippe nauigacionem omnem hoc alaciorem, quo equabiliorum existere. Rex, monitore laudato, Absalon speculande tempestatis officium mandat, sibi, cum primum eam remigii pacienti aduerteret, indicaturo. Absalon cupide precepto, quod suis monitis extuderat, obsecutus,

nocte postera, aura sensibiliter impetum remittente, euentu
 gausus, antelucano tempore, peractis diuinis, ad regem
 peruenit, nunciando, tempestatem ex parte collapsam, pos-
 sibilem quidem profeccioni, sed difficilem fore, nec nisi
 5 summa cum remigii difficultate nauigacionis capacem ex-
 istere. Respondente rege, moras esse rumpendas, per
 ludibrium subtexuit, pulchre se operam impensuros, si,
 nauigacionis medietate confecta, unde soluerant, sint reuer-
 suri. Cuius dicti procluitas tametsi ioco mordacior uide-
 10 retur, ingens regi capessende uirtutis prebuit incitamentum.
 Lepida tamen irrisione non caruit, subiungente rege,
 reuerentem se ex eo, que in Sclauia gerantur, posse
 cognoscere. Principio classis letam alacremque nauiga-
 cionem pleno fiducie remigio proferebat. Nam intra pro-
 15 pinque telluris anfractus aure uis, que aperto mari licenceius
 incumbebat, latencium undarum habitum asperare non
 poterat, terreni tractus obstaculis undique secus incitaciorem
 fluctuum allapsum arcentibus. At ubi in altum dirigi
 nauigia cepere, intolerabili pene tempestatis oecursu ex-
 20 cipiebantur. Antistes, ne fortissimos monitus suos parum
 iusto conatu prosequi uideretur, ingenuo* pudore firmatus
 perseuerantissima remigii obluctacione quasi cum necessi-
 tate certabat, regemque, uirtutis emulacione prouectum,
 cepti sui comitem existere coegit. Itaque lenta et inhabilis
 25 ac pene inconcessa nauigacio, hinc seuiente mari, inde
 claudicante remigio, fuit. Ea freti repugnantis uiolencia
 regiam nauem, aduersis undarum molibus implicatam, per
 summam procellarum asperitatem laxatis prope modum
 compagibus disiungi coegit. Quo uiso, rex, tum uitandi
 30 periculi, tum eciam complende nauigacionis gracia tuciore
 excipi cupiens, Ingimari Scaniensis ratem proprius adesse
 iussam, ensem dextra signumque leua corripiens, ut teme-
 rario, ita prospero saltu inuolat, eamque remis acrius citari
 iubet. Eskyllum, uirtutis pertinacia aliquandiu subsequi
 35 conatum, affectumque regis quam debilitatem nauigii sui
 propensius intuentem, partim regie uocis prohibicio, partim
 referta periculo necessitas reuerti compulit. Eo uiso, com-
 plures reuersionis occasionem ab erroris simulacione mu-
 tuari ignavia docuit. Quibus tamen erroris commentum
 40 patrocinio fore non debuit, cum regem nauigium, non iter,

mutasse translati signi indicio liquere potuerit. Nonnulli
 quoque conquassacionibus nauigiis inuiti relabebantur, quod,
 hisdem compagum firmitate defectis, concitati maris in-
 cursum sustinere nequibant. Qui uero procedere perse-
 5 nerabant, ut uiribus corporis laboris continuitati sufficere
 possent, edendi nauigandique pariter officio fungebantur.
 Ne enim nauigacionis cursum uel paruula remigii inter-
 missio moraretur, dextria remos, leua cibos tractabant.
 Exigua classis pars, Absalone duce, uirtutis et glorie
 10 emulancior, inusitate tempestatis seuiciam incredibili remo-
 rum certamine superauit, obluctatumque pelagus infatigabi-
 li permensa nauigio, hora antelucana ad insulam Hythini,
 ipsa quoque necessitate superior, appulit. Tunc Absalon,
 15 nequid inexcussum omitteret, per Wethemannum, piratice
 operibus clarum, officio speculationis addictum, et portus
 hostilibus nauigiis uacuos *et* Rugiam nihil hostile metuentem
 cognoscit. Nam armenta securis custodibus propter
 littus errancia, inopinatos incolas esse, fidem fecere. Rex,
 20 languido remigio seram nauigacionem emensus, obtento
 portu, protinus in Absalonis naueni se contulit, fatigatumque
 tedio ac uigilia corpus somno exceptit. Reliquie, que
 cum eo fretum superauerant, annumerate sexaginta dun-
 taxat nauigiorum classem explebant. Duo tunc Hallan-
 25 denses, natu quam animis nobiliores, | paucitatem suam
 indubitate periculo oblatam rati, nauigio, quo communiter
 utebantur, Absalonem petebant, seque prepropero regis
 alloquio opus habere dicentes, postquam somno eum
 aequiescentem audierant, ocius excitari poscebant. Absalon,
 30 salutarem eius quietem importune rumpendam negans, que
 afferrent, regem ex se cognitum affirmat. Tum illi,
 conquassacionem nauigii, inopiam comineatum, longinquitatem
 reditus pretendentes, optimam sibi nauigacionis fa-
 cultatem prosperantibus uentis incidisse dicebant, quod,
 35 quibus aduersis egre processerant, secundis facile reuerti
 possent. Quam ob rem eorum se beneficio uti malle, quam
 cassam et inutilem expedicionem agendo aut nauigii uicio
 aut inedie malo perire. Quos Absalon non solum deformitatem
 propositi specioso consilio mutare, sed eciam, quo
 minus se probris obiicerent, honesto silencio suppressione
 40 iubet, ne tam pudende uoces alienis auribus excepte in-

expiabilem eis timiditatis notam inurerent. Itaque eneruis
 et effeminati animi trepidacionem falso causarum commento
 colorare eos, asseuerabat, docendo, facilia refectu nauigia
 fore, et opima commeatum supplementa per predam late
 5 patentem leui negocio con(s)cisci posse. Ceterum ipsos
 famam et opinionem suam grauissimo crimine corrupturos,
 si regem apud hostes in tanta suorum pauci*tate sine re-
 spectu pudoris deserere sustinuissent. E quibus alter domi
 se negocia regia, que summa cum celeritate exsequi ne-
 10 cesse haberet, manere subtexuit. Contra Absalon, simu-
 lacionem eius, quia blandimentis nequibat, minis discutere
 cupiens, eos, qui in expedicione soluenda || plus arbitrio
 suo quam regie indulserint reuerencie, non tantum bonorum,
 sed et lucis ac spiritus erepcionem patria lege meritos
 15 astruebat. Sed ne ea quidem periculi denunciacione, quo
 minus fauentem nauigacioni uentum uelo colligerent, im-
 becillitatem eorum durare trepidacionemue corrigere potuit.
 Discedentes itaque execracione et conuicio per summam
 uerborum acerbitatem insequi perseuerauit. Quod cum
 20 experectus rex ex Absalone cognosceret, tam impudentes
 et improbos desertores penas sibi luituros iurabat. Con-
 scensa deinde insula, accersitos nauigiorum rectores agen-
 dorum percontacione sollicitat. Compluribus, ut redeatur,
 expedire uisum, quod tuto ho|stem laccessere nequeant.
 p. 7
 25 Placituram rex sibi sentenciam affirmabat, nisi ea res et
 grauis patrie rubor et ingens hostium incitamentum exis-
 teret. Nam et eos Danice expedicionis presenciam ex castro-
 rum uestigiis comperturos, et clandestinam eius reuersionem
 timiditati duntaxat imputatueros. Huius rei causa periculo
 30 se quam rubori patere malle, haud quaquam proram, nisi
 laccessito hoste, uersurum. Preterea se eorum, qui, simu-
 lata nauium fragilitate, defecerant, ignauiam equatueros, si,
 quos labore uicerant, uirtute non superarent, domosque,
 impensa male nauigacione, repeterent. Tunc Wethemannus,
 35 incutas Rugie res recenti speculacione expertus, admo-
 uendas littori copias suadet, si ignari incole fuerint, impune
 predam cedemque facturas, sin prouidi, confessim absque
 discriminē reddituras. Vtro autem modo se gerant, per
 arancium morem deprendi posse asseuerabat, qui cum
 40 primam diurne opere partem exegerint, quo ad laborandum

fiant uegencias, sopori se prosternere soleant. Hunc uero non nisi metu uacuis altaque securitate firmatis obrepere solitum; ceterum, nemine talium dormiente reperto, precaute gentis indicium accipi. Quem rex piratico pocius
 5 muneri consentanea quam magnitudini sue conuenientia docuisse dicebat. Numquam enim, Danorum reges a Sclauis fugatos, memorie proditum fuisse, sed ne se quidem primum regiam dignitatem hoc deformitatis genere maculaturum. Tunc Guemerus Falstricus, quanquam alias
 10 uegencias quam sapiencioris animi estimaretur, siue ingenio suo siue regis fortuna monente, summam omnium hesitacionem, ancipiti studio fluctuantem, salutari exhortacione discussit, incertamque consilii concionem ad suam sentenciam perduxit, affirmando, temeritatis esse exiguum manum
 15 cum immenso hoste conserere. Ceterum Bartam prouinciam, a Rugia breui freto discretam, ob paruitatem sui, quocunque paratu esset, populatu perfacilem fore. Denique regem quiescendi gracia cubile petere, exhaustasque uigiliis uires et attritum curis animum somno reficere
 20 iubet, uespere, quo minus prouisus irrumperet, classem applicaturum. Preterea, uadosi fluminis angustias intraturos, sparsam nauigacionem tacito confidere remigio iussit, ne aut obstrepencium remorum fragor securitatem incolis demeret, aut ipsimet, impactis harene nauigiis, circa in-
 25 certe altitudinis uada diuiciis herere cogerentur. Cetera se exploraturum promittit. Rex cupide consilio obsecutus, uespere, signo nauigacioni dato, destinatum amnem occupat. Cuius expedicius permeandi gracia ternis nauigiis iunctis classem incedere iubet, ne confusa fluiualibus tar-
 30 daretur angustiis. Cui Guemerus rate obuius, opportunitatem inuadende gentis aucupatus, interceptos incolarum speculatores adducit. Letus eo rex, diluculo peragratis siluis, rura ac uicos hoc aerius, quo latencius, irruptit, incolasque adhuc somni securitate torpentes repentina in-
 35 cursione protrivit. E quibus* complures, perstrepentis equitatus fragore perculti, patrios duces aduentare crede-
 bant. Sed hunc eorum errorem adacta repente corporibus iacula discusserunt. Complures eorum, exertis per ostia capitibus, Kazymarusne an Bugisclauus aduentaret, roga-
 40 bant. Quorum percontacio propriis eorum funeribus ex-

p. 749

CLIB

cepta || est. Antistes, cum parte copiarum longinquam
 regionis plagam diuerso complexus itinere, eo locorum
 peruererat, ut a regia cohorte eximie paludis interiectu
 distaret. De cuius ad modum incessu dubius, ne direptos
 5 a se uicos exuri pateretur, illustri consilio prouidit. Tan-
 dem procul ignes a rege editos conspicatus, sibi quoque
 consimilis facti potestatem suppeteret, confessim, illato
 tectis incendio, declarauit, sociisque sui prosperitatem ex-
 cursus, resperso flammis rure, nunciandam curauit. Cum-
 10 que predam abunde actam existimasset, iter ad naues
 remensi, quanquam grandi inuicem a se intersticio disces-
 sisent, uestigia tamen sua, quo minus clandestinos redditus
 captasse uiderontur, neue alter alterum impetuosa festinacione
 precurreret, mutuis ignium fumigiis prodiderunt. Interea
 15 Skyalmo quidam, cognomento Barbatus, in asseruande
 classis officium relictus, ne, hostili remigio preueniente,
 aninis exitu prohiberetur, ad mare nauigia reducit. Vbi
 dum Rugianorum nauali incursacione peteretur, in paucas
 rates tocius classis presidium transfert, instruccioribus
 20 quam frequencioribus nauigiis hostibus occurrere preoptans.]
 Quibus obvia nauigacione fugatis, ne sociorum rcuersio
 tardius nauigiis exciperetur, omissa fugitancium insecucione,
 portum reuisit. Iterato lacessitus, eodem ausu inuasoribus
 restitit. Sed et compluries attentatus, crebra hostium ir-
 25 ritamenta occursacionis perseuerancia superauit. Ita per-
 tinaci magis quam agri incursacione uexatus, opportuna
 hostem agitacione premebat. Inter hec regi in littus
 superuenienti non parue ammiracioni fuit, nauigiis custodia
 uacantibus, abesse Skyalmonem. Quem tandem ab agi-
 30 tacione redeuentem cetero prosecutus exercitu, Rugianos,
 fugam a remigio mutuantes, uelorum intensione prosequitur.
 Sed interuallo precessionis et uolucritate nauigacionis
 adiutos instando magis quam occupando uexabat. Tunc
 quendam uicine ratis rectorem in anteriorem nauigii sui
 35 partem fortitudinis simulacione progressum aspiciens, uer-
 bisque magnam pre se laudem ferentibus prosecutus, ad
 ultimum, quecumque uiro forti erogarentur, egregie et
 laudabiliter impensa asseuerabat. Ad ultimum uento ob-
 liquante proibitus, quantum uelis emensus fuerat, conuersa
 40 nauigacione, remorum obsequio pensat. Sed quo prospe-

riorem uelificandi, hoc difficilem remigii usum habuit.
 Itaque Danis aduersa cum mari nauigacione certantibus,
 Sclaui, quos locorum habitus non fallebat, ignotum nostris
 profundum compendiaria nauigacione sulcantes, subito
 5 fugam in insidias uertunt. Quos Absalon per occultos
 pelagi recessus prosilire conspiciens, sociis metu nauiga-
 cionem citantibus, subsequi quam antecedere maluit, preue
 classis terga plenis pietatis excubii tutaturus. Pudet
 referre, quod sequitur. Maxima Danorum pars, rubore
 10 posthabito, quanquam hostes imminere consiperet, deserto
 rege, uelis malos onerare sustinuit. Rex cum paucis ad
 modum nauigiis relictus, aliquanto desertores egrius quam
 hostes ferebat. Tunc eciam militem, quem paulo ante in
 prora astantem probauerat, breuitatem ueli sui, quo maior
 15 nauigacionis cursus existeret, pannorum additamentis pro-
 ducre conspicatus, laudem conuicio mutauit, amorem timidis
 erogatum imprudenter impensum affirmans. Ita absque
 supreme necessitatis discriminine uere ac solide fortitudinis
 habitum explorare promptum non est. Enauigancium
 20 discessio non clamore, non signis, denique nullo exhorta-
 tionis* genere reuocabilis fuit. Adeo omnium aures pauor
 concluserat. Cumque rex, intermisso paulisper remigio,
 a presentibus, quid factu opus potissimum esset, inquireret,
 cunctantibus ceteris, Absalon insulam Hythini petendam
 25 ibique secunditatem aeris expectandam hortatur. Quod
 Petrus fieri oportere non sine racionum assercione negabat,
 quod, perseverante tempestate, nec redditum nec supplementum
 classis habituri uiderentur, Sclauis aduersum se
 cotidiana copiarum incrementa sumpturis. Pan^denda igitur
 30 uela, eamque nauigacionis equalitatem habendam esse, ut
 naues uolucritate prestantes, complicata uelorum parte,
 tardiores operirentur, et, quas celeritate precurrerent, so-
 cietas iure consequi debeant. Ita strenua Absalonis
 adhortacio eximie Petri prudencie cessit. Vterque siqui-
 35 dem annis suis similia cogitabat. Ille etenim iuuenili
 animo condigna, hic canis suis consentanea proponebat.
 Ita septem solis nauigiis ex omni Danorum classe residuis,
 Sclaui, multitudine freti, incitatissimo remigio acerrimoque
 clamore cum contemptu paucitatis irrumpunt. Sed maiore
 40 impetu quam audacia rem exequabantur. Quippe cum

p. 751

CLII.

(289)

primum excepero sagittas, proprius ferre remos ausi non sunt. Paulo post destrictorum ensium lamiis nunc ceruices suas, nunc scuta pulsare ceperunt, rati, se Danos hoc minarum genere territuros. Remigium deinde magno 5 clamoris strepitu prosecuti horribiles late sonos edebant. Hic quoque procursus priori persimilis fuit. Obuiis namque Danorum missilibus repulsi, continuo remigium retulerunt. Tercio ut hostem apparatu terrent, cont(r)actos sole elypeos aqua perfundere, genibusque superpositos in 10 pugne usum extricare ceperunt, ueluti indubitatum nostris prelum illaturi. At tum demum, seu cupiditate prede seu ui pudoris accensi, uehemencius nauigia concitant. Que species ut inicio acris, ita exitu inanis apparuit. Tollerum enim obiectu uelut ante deterriti, inuictam paucitatis 15 constanciam ulterius laccessere destiterunt, quanquam Danorum prouocacione ad modum sibi insultari conspicerent.

Rex cum ad aspectum patrie peruenisset, concidente paulatim uento, tam remissam et languidam nauigacionem agebat, ut, quanquam pro passo uelo uteretur, eo feré loci 20 diem opperiretur, ubi noctem ingressus fuerat. Sed cum Zephyris deficeretur, processum a remigio mutuatus est. Tandem obuiam Eskilli ratem ingressus, Scaniam repetiuit. Qui nouissime eum prosecuti fuerant, Sialandie partibus aduehuntur. Tunc Petrus Ranonis, eloquentissimi uiri, 25 imperitam calliditatem eludere cupiens, non solum nexos, sed eciam remiges suos, ut prede speciem augeret, in eminenti nauigii parte constituit, captiuorum imaginem prebituros. Quem cum Rano liburna pretereuntem uideret, dissolucionem nauigii simulare desiderans, sentina aquam 30 egeri, increpitis acrius remigibus, iubet. Tunc quodam respondente, eo triduo sentinam aqua uacasse, Non rite, inquit Petrus, remiges tui, quibus te responsis excipere debeant, callent. Tunc Rano, paucis intra Petri nauigium remigio occupatis, ociose iuuentutis multitudinem exerto 35 capite conspicatus, predam existimabat, quietisque sue penitencia permotus, non similiter sibi, ut Petro, fortunam affuisse dicebat, quod, naufragii periculo interpellante, expeditio nis comes existere nequiuisset.

Autumno rex cerebra Sialandensium ac Scanorum, 40 rara uero Iutensium manu prouinciam Arcon urbi con-

finem adortus, cum, ingenti preda acta, ad littus reuerte-
retur, Rugiani, repetentem naues exercitum hisdemque
scandendis intentum a tergo per insidias circunfundere
gestientes, magnis viribus in iusulam e continentis traiciunt.
 5 Per idem tempus coorta nebula uis spissam celo caliginem
intendit. Que res incertos uie Danos atque errore nebulae
implicatos aliquandiu subsistere coagit. Crediderim, hunc
aeris habitum pro*picie fortune interuentu future eorum
victorie paruisse. Iamque Sclaui, quia nubium | obscuritas
 10 prospicere non sinebat, caliginis errore protracti in medios
ferme hostes inciderant, cum, subito discussa sole nebula,
exercitus prope modum consertos aspiceret. Tunc Pri-
sclauus, olim e Sclauia profugus, equo prouolans, adesse
barbaros factamque Danis optate pugne copiam, nunciat,
 15 exhortans omnes inuictam Danici nominis emulari uirtutem.
Responsum a rege est, reperturos hostes, qui fatum fuge
preferre cupiant. Igitur Dani, quorum animos preceps
belli cupidus exagitabat, preter usitatum pugne morem,
confusis copiarum ordinibus, conspectos hostes incursare
 20 ceperunt. Nec tardior uictoria quam impetus fuit, pugnam
fuga precurrentibus Sclauis. In quo procursu duo regii
milites ita inter se fortuitis equorum impulsibus concur-
rerunt, ut uterque excussus prosterneretur. Super quos
 25 rex, corruente equo, ita precipitatus est, ut leuus eius
cubitus, pertuso clypeo, terre alcius infigeretur. Absalon*(i)*
itaque erigendi eius gracia descendere cupienti manu, ne
subsisteret, innuit, feliciter se lapsum reputans, si modo
hostium cladibus attolleretur. Sed hic euentus tristior
 30 specie quam omine fuit. Regis namque lapsus hostilis
ruine presagium edidit. Quippe superati sine prelio bar-
bari impune obtrebantur. Quorum magna pars sinum,
per quem traiecerat, audius repetens, salutem in undis,
quam querebat, amisit; nec minor fluctibus quam ferro
 35 periclitancium numerus extitit. Pars, quo tucius hostem
uitaret, ore tenus de industria aquis corpus immerserat.
Nec hoc quidem auxili genus, quo minus a Danis in
eadem uada descendantibus interimerentur, latebram eis
prestare potuit. Cumque, ceteris intra aquam prostratis,
 40 unus adhuc, occultum pedibus saxum complexus, socie
stragi superesse uideretur, Absalon, militibus ad oppri-

CLII^b
p. 753

(290)

mendum eum descendere profundidatis metu cunctantibus,
 Non hic, inquit, ea proceritate est, quam uestra, milites,
 equare non possit. Neque enim uadabiliorem sibi quam
 nobis gurgitem occupat. Quam | uocem frater eius Esber-
 p. 764
 5 nus exhortacionis loco suscipiens, quanquam barbarum
 latentis saxi beneficio uti non dubitaret, saluti *sue fraterne*
 uoluntatis imperium pretulit, aliisque renuentibus,
 aquas hostili cruento infectas armis onustus intrauit. Cum-
 que, emissa in barbarum lancea, solum repetere uellet,
 10 undis uerticem inuolutus, profundo se excipiente demer-
 gitur, perissetque, nisi sociorum presencia auxilio fuisset.
 Enimuero Olaeus, undis eum abstrahere cupiens, stimu-
 latum calcaribus equum in illud profundum egit, exceptumque
 15 brachio leuare conatus, pene sella pronus excu-
 titur. Igitur, urgente fato, sue quam aliena saluti propior
 extitit, sibique, ceptam amici curam postponendo, consu-
 luit. Cuius propositum Nicolaus quidam forciosus quam felicius
 emulatus, non temperauit, quo minus concitato equo
 20 gurgitem peteret. Sed ab incepto se, pari periculo reuo-
 catus, abstinuit. Igitur equitum ope defecto peditum opera
 seruari contigit. Cumque littori restitutus fuisset, extinctus
 ab intuentibus putabatur; adeo illapsus corpori humor
 anhelitum occultabat. Tandem sociis corpus suum diuicius
 25 agitantibus, uomitu undam egerere cepit. Cuius onere
 liberatus, suspicere magis quam cloqui ualuit. Itaque, qui
 aderant, corpus eius frigore obstupefactum applycate uestis
 fomento prosequabantur. Quibus percalefactus non oculorum
 modo, sed eciam uocis usum recuperauit. Ceterum
 ipso die adeo exsanguis permansit, ut uix eum funebris
 30 oris note deserent. Nec silencio obliterandam alterius
 Danici equitis uirtutem existimo, qui cum, nemine sociorum
 comitante, fugam hostium audius quam caucius insecurus
 fuisset, barbaris, qui effugerant, ut se eis capiendum pre-
 beret, roganibus, spreta prece, equo desiliuit, mortemque
 35 dimicans quam deditus lucem amplecti maluit. Igitur in-
 genti hostium caterua ad se op*primendum nitente, quot-
 quot proprius accesserant, interfecit, ac sine ulla specie
 metus | pugnans super factam a se stragem plenis glorie
 uulneribus corruit. Itaque non solum innumeros fati comites
 40 habuit, sed eciam superstites fortitudinis sue spectaculo

attonitos reliquit. Cuius excellenti uirtute tantum promotum est, ut deinceps Sclavi manum cum Danis acie consere non auderent.

Anno postero Danis expedicionem parantibus, Rugyenses, ob recentem cladem suscipiendo belli fiducia defecti, Domborum quendam, prestanti facundia, ad pacem ab 5 ipsis petendam decernunt. Quo Absalon excepto, nauigium eius expedicionis sibimet usui uertit, nautis uero, quoad reuerteretur, hospicia cum impensis expedienda curauit, ipsoque Domboro secum assumpto, regie classis conuentum 10 petiuit. Siquidem legatos hostium expedicionis tempore susceptos ad redditum usque eius, mutua Rugiensium Danorumque consuetudine, retentari fas erat, ne ad suos exterarum rerum nuncii reuerterentur, speculacionis pocius 15 quam legacionis officia peracturi. Sed contrarie tempestatis perseuerancia nauigacionem morante, cum Iuti, labentibus alimentis, expedicionem solutri uiderentur, eorum egestati Sialandenses ac Scani, impensis liberaliter commeatibus, affuerunt, ne tanta uirium parte maligno necessitatibus obstaculo fraudarentur. Fionenses uero, tametsi commeatibus abundant, ne minimam quidem eorum partem 20 ad sustentandam sociorum inopiam contulerunt. Quod uidens Domborus pacem, quam ante supplex petuerat, sub equis tantum condicionibus offerebat. Ceterum Absalonis apud regem interuentum poscebat. A quo oblacionem suam liquida fide prosequi rogatus, pignoris loco lapillum se aque injecturum asseruit. Siquidem icturis fedus barbaris religioni erat calculum in undas coniicere, seque, si pacto obuiam issent, mersi lapidis exemplo 25 perituros orare. Sed contra poscente obsides Absalone, fucosaque superstitionum mendacia in rebus seriis recipienda negante, haud quaquam Domboro mutua petendorum obsidum fiducia defuit. Quod Absalon indigne ferens, Ruginos non solum obsides Danis, sed eciam pecuniam cum 30 supplementis classis transmittere solitos asseuerabat, cum Dani nihil tale Ruginis umquam a se concessum solutumue meminerint. Tunc Domborus, Si sapiencia, inquit, 35 qua te preditum existimas, uiges, que a me proponenda sunt, docili animo excipies, tenaci memoria apprehendes. 40 Quisquis rite se gerit, circa tria tempora maxime cogita-

cionem expendit; ex iisdem duo leuiori cura complectens,
terciī pre ceteris habitum intuetur. Siquidem preterita
meminit, futura prospicit, presencia colligit. Stolidus uero
inter spem futuri memoriamque preteriti presencium fa-
5 cultatem omittere et, quod in manibus retinet, excutere
consuevit. Quo pacto tu quoque, uanissimis sollicitudinib;
ambagibus implicatus, adeo scrupulosa cura preteritorum
imagines recolis futurosque meditaris euentus, ut ad ea,
que pre manibus sita sunt et oculis obuersantur, aspicere
10 nequeas. Quippe, dum prioris eui recordacioni animum
inseris, felicitatis eius exemplo futura metiris, teque, spem
ex memoria adeptum, quid instans etas afferat, preterit.
Fateor, olim Danos gente nostra potitos; sed presens
fortune benignitas iisdem nunc fauoris blandimentis partes
15 nostras proseguitur, quibus quondam uestras excolere con-
sueuerat, sortemque nostram ad hanc felicitatis summam
perduxit, quam uestre quandoque rei status attigerat.
Quippe, quanto uobis inferiores extimus, tanto nunc
uiribus successuque prestamus, eo, rerum fortuna ductante,
20 progressi, quo Danice quondam prosperitatis incrementum
excesserat. At dum temere uotis extenderis, noua ac
recencia stolida uetustatis simulacione pretergrederis, eis-
que me condicionibus adigere conaris, quas pro presencium
habitu prestare pocius quam postulare debueras. Fines
25 uestri, armis et exercitibus nostris miserabiliter obtriti, situ
marcidi cultureque inopes iacent; nostrarum diffusio par-
cium uix * alende, quam genuit, multitudini sufficit; et
tamen, quos omnifariam potenciores aduertis, non superiores
modo, sed eciam pares habere fastidis. Tunc demum
30 tributi nos exaccionē sollicita, cum et sortem nostram suc-
cessibus equaueris et eam malis, quibus tua nunc premitur,
adactam conspexeris. Hec Domborus. Sed Absalon, dis-
simulato indignacionis conceptu, paucis eum responsis ex-
cipiens, ad regem, que acceperat, perfert. Verum pertinax
35 freti seuicia nauigacionem interpellando finem expeditiōni
fecit. Rex, quanquam superius Sciauos secundis succes-
sibus attentasset, plus tamen negocii in eorum expugna-
cionē, quam ut propriis uiribus exequeretur, aduertens,
Saxonie satrapam in armorum milicieque collegium ingentis
40 premii pollicitacione sollicitat. Ille tum amplissime mer-

cedis capture, tum eciam pociendorum finitimorum spe
 inuitatus, expedicionis societatem spopondit. Sed superius
 Waldemarum rex Noricus per summum amicicie cultum
 nauigio draconem simulante donauerat. Quod Absalon,
 5 mira arte effigiatum, Roskyldensi remige exornare et ad
 conuentum usque Danorum dirigere iussus, cum in portu
 Isorensi, parum secundantibus uentis, uoto diueius mora-
 retur, nihil egrius tulit, quam quod, aliis in expedicionem
 10 proficiscentibus, tardior ipse superuenturus uideretur, qui
 ceteros et uelocitate apparatus et procinctu nauigacionis
 alias precurrere consueuerat. Itaque cum, mente tedio et
 pudore sopita, in puppi iaceret, futuram maris tranquill-
 15 itatem nocturnis imaginibus speculatus est. Existimauit
 enim, ab homine se accersi, accessoque littore, cum Bur-
 galanensi pontifice Tokone aliquandiu spaciatum, iussum-
 que ab eo, que audiret, sagaci mente comprehendere et
 tenaci mandare memorie. Tokonem deinde melos, quod
 20 in diuini natalis peruigilio rite recini assolet, semel | iterum-
 que et trecio replieuisse, ipsumque ad ea, que canerentur,
 sollicitis auribus esse iussisse. Expergefactus adeo pre-
 sentes uisorum imagines animo representabat, ut rem ueram,
 non somnium fuisse arbitraretur. Et quia crastine egres-
 25 sionis opem per quietem sibi promissam meminerat, tam
 certam commode nauigacionis spem animo presumpsit, ut,
 consensa cymba, quanquam nihil adhuc tempestati detrac-
 ctum erat, malum regie nauis, cui Astradus preerat, ocius
 attolli iuberet cibumque capere properaret. Epulanti
 superuenit Astradus indicans tempestatis occasum et, quid-
 nam fieri expediret, interrogans. Iussus est illico, erecto
 30 nauigii malo, fauces Isoricas penetrare, eisque preteritis,
 insulam, qua uentus iuberet, ambire. Quod eo exequi
 per gente, expéditionaria classis, que in eundem forte
 portum appulerat, subito tranquillitatis incessu gausa,
 uelorum usum nauigacionis auida preparabat. Verum
 35 effectus minor impetu fuit. Siquidem modo orientem,
 modo occasum incerto uentorum flatu ludificata uicissim
 petebat, nauigacionemque mutabilis aure uarietas optato
 cursu fraudabat. Diuinitus consultum crederes, ne aut
 solitaria Absalonis nauigacio aut aliis incessu tardior ha-
 beretur. Quod eciam ipsius liquido comprobauit aduentus.

Siquidem, ad nauigante eo, omnium nubium errore discusso, certus pelago flatus incubuit, tantaque propieci uenti stabilitas incidit, ut nauigacio, que ante dubiis uelis incertum cursum tenuerat, continuo prosperitatis ordine frueretur.

5 Ita nature rerum temperies, que se ceterorum usui inuidenterat, Absalonis respectui tributa est. Qui eciam cum nauem regis sibi creditam ualidis tempestatis incrementis contusam extremoque naufragii periculo propinquam aduerteret, continuo in littus subductam necessarie trabis

10 uinculo refecit, laceramque ac pene confractam pristine firmitati restituit. Sed et prorarum eius cacumina, quo culcior incederet, aureis apicibus texit. Quo rex apud Ma[n]snetam exceptus, Polam prouinciam eomite classe petebat. Itaque communibus, sed discretis uiribus alterum

15 Selaue latus Dani inuaserant, alterum Teutones lacerabant. interdumque exercitus alter ab altero inuicem spectari poterat. Cumque Teuto*num forte satellites petendi pabuli cl
gracia laciū euagatos Sclauī per insidias adorti interemissent, equites recentis iniurie ulcionem audaci calliditate

20 quesierunt. Siquidem, milicie insignibus occultatis, loricisque, quibus corpus munierant, familiari ac sordida ueste tectis, pabulancium more fruges metere aggressi, Sclauos, Nucleo duce, ad se opprimendum ex abdito prouolantes, ocios ascensis equis, falcesque gladiis mutantes; trucida-
uerunt. Caput Nuclei abscissum ac pilo affixum sieque in castra perlatum gratum utriusque exercitus oculis spectaculum prebuit. Quod cum filio eius Priszlauo, qui ad Danos et Christiani ritus amore et pagane superstitionis odio patria pulsus transierat, cenitanti nunciatum fuisse,

25 aliquantis per manum ab escis retractam demisso capiti subiiciens, dei contemptorem tali exemplo interire par esse dicebat; reuocatoque a cogitatione animo, consuetam oris ac mentis hilaritatem cene consortibus exhibebat, magnus potencia, sed maior diuini cultus memoria. Neque enim

30 sibi parentem iudicabat, quem publice religionis emulum nouerat. Itaque ambigue estimacionis esse potuit, utrum magis fortem animum gesserit, an piam uocem emiserit. Sed neque patrie plus solito misertus, eam ductu et inicitamentis suis duarum gencium predam existere coegit.

35 40 Interiectis diebus Henricus Waldemaro, sermonis in-

uicem conferendi gracia se accedenti, cum Absalone solo
 in tabernaculum suum perduto epulum prebuit, ingenti
 magnatum frequencia amministratorum officio fungente.
 Que cena licet multigena ciborum uarietate splendoreret,
 aliquanto tamen plus luxus in obsequiis quam epulis habuit,
 presertim cum glorie, non usui seruiretur. Clientela uero
 seorsum discubitu excepta. Post redditum suum Walde-
 marus, nouarum rerum casibus sollicitatus, intento ad
 sciendum animo, ubinam Henricum necessarie collocucionis
 10 gracia obuium habere posset, atque ad id negocium ex-
 plicandum prudenti uiro opus asseueraret, alii sibi clau-
 dicare equos, | alii parum cultis unguis esse fingebant.
 Cunctis itaque metum excusacionis astucia protegentibus,
 nemineque tam periculosam legacionem suscipere audente,
 15 Absalon, forte lignis ex more per ocium cesis, e nemore
 superueniens interrogatusque, an regiarum parcium legatum
 agere uellet, iturum se pollicetur. Igitur legendorum
 comitum opcionem habere iussus, potissimum necessarios
 ac sanguine semet contingentes asciuit, consanguineam
 20 fidem alienae preferendam existimans. Priszlaus quoque,
 potentissimi Scelavorum principis Nuclei filius, quem, quod
 Waldemari sororem in matrimonio haberet, Christianeque
 discipline sacris iniciatus esset, pater iampridem, perinde
 ac insidias sibi necentem, conspectu suo submouerat,
 25 localis pericie fiducia proposita uie conductorem agere
 pollicetur. Huic siquidem tum rex ob bone fidei experien-
 ciam, tum ob connubii affinitatem magnam nobilium insu-
 larum partem fruendam concesserat. Profectus Absalon,
 affatusque ducem, cum apud eum pernoctare rogaretur,
 30 regem, anxia suorum expectacione sollicitum, longioris
 more interposicione molestari oportere negabat. Preterea
 classem sine portu esse asseuerabat, undique uentorum
 impulsui patentem. Cumque, festinacionis racione redditia,
 propinquaque nocte equos abiturus scandisset, quidam claro
 35 Saxonum loco natus, ultro adito duce, perituros Danorum
 legatos, nisi comitaciores abscederent, querebatur; obiur-
 gare quoque eum uehemencius ausus, quod illustrium
 uirorum paucitatem, tot ingruentibus periculis, incomitata
 a se dimittere sustinuisse. Reuocatis itaque comitum
 40 offeruuntur auxilia. Sed non minorem se Absalon in reuocan-

p. 760

do comitatu gessit, quam in pernoctacionis egerat obsequiis
respuendis, gloriosius ratus suam ac sociorum salutem dubiis
casibus credere quam alienis armis protegere. Cumque
5 haud procul tentoriis abesset, Priszlaus, omnibus frenos
succutere iussis, Si meo, inquit, ductu res expedienda foret,
comitum supplementum nostra paucitas non refugisset.
Siquidem* aduersum pericula abundare industrie pocius ar-
gumentum est quam timoris indicium. Hoc enim proba-
bilius est fortitudo, quo minus cum stoliditate consentit;
10 illa uero reprehensionem meretur, cui ui[er]es temeritas am-
ministrat. Sed nunc exigere perquam deforme est, | quod
paulo ante oblatum acceptare contempsimus. Restat igitur,
ut unicum salutis uiam in pectorum ac uirium nostrarum
fiducia reponamus, spemque ex desperacione certissimam
15 capiamus. Emulanda itaque Danici sanguinis et nominis
uirtus, omnique studio entendum, ut aut nobis uictoria
reditum aut speciosa mors eternum fame pariat monimen-
tum. At minime dubium, quin de transitu nostro hostes
equina fecerint uestigia cerciores, nec magis ambiguum,
20 eorum redditum insidiis excepturos esse, quorum aduentum
adesi callis indicio peruiderunt. At mori uobis, commili-
tones, quam capi prestat. Capti enim occisi parentis mei
penas, perinde ac eius interfectores, crudeli morte pendetis,
fratresque mei paternis manibus per summam cruciatuum
25 acerbitatem nestro sanguine parentabunt. Aliquanto ergo
sacius est, proprie uirtuti spiritum impendi, quam aliena
uiolencie miserabiliter puniendum relinqu. Hec non proprii
periculi metu, se uestre pocius caritati consulendo monuerim.
Eo enim sanguine oriundus sum, quem nulli Sclauorum
30 attentandi umquam ausus incessit. Per patrem uos opti-
mum maximumque perque[m] illud Danorum celebre
cunctis gentibus nomen obsecro obtestorque, ne fiducie et
fortitudini imbecillitatem atque ignauiam preferatis. Hec
Priszlaus. Denique leta omnium acclamacione exceptus,
35 nihil se de uictoria ambigere asseuerauit, cui militum ala-
ritas presagio fuisse, presertim cum omnis Sclauorum
irrupcio specie quam re formidabilior existere soleat. Circa
incessum uero id ordinis obseruari debere, ut iuuenes
parum armati medium inter milites equitandi locum tenerent,
40 eorum utrinque presidiis muniendi. Ceterum militarium

turmarum per binas acies distinctarum alteram ab altera auxiliis inuicem tutandam esse. Quippe gemine cohortis specie hostium animos labefactari posse. Preterea clamabundos incedere uariisque cantibus obstrepere iubet, fiduciā[que], que plerunque multitudini inest, simulaturos. Nec fortune expers consilium fuit. Siquidem in portum eis, ubi classis acquiescebat, nullo incessente perductis, rex, expectantis | more sollicitus, prolixamque legatorum absenciam cura ac mesticia prosecutus, dolorem ex teme-
raria suorum emissione contractum religiose lectionis officio leniebat. Quibus redisse compertis, soporis blandimentis, ob tristiciam dilatis, ocius aditum dedit. Inde ad Gudaram amnem nauigacione discessum. Cuius uadosus aditus haud quaquam magnarum nauium capax exstabat, exiles duntaxat transmittere solitus. Itaque rex propter fauces, fixa ancora, sedem nauigio con(s)ciuit, magnitudinem eius paruitate amnis admittere nequeunte. Habilior classis, et quam fluuale profundum ferre poterat, Absalone duce, angustos amnis attentabat anfractus. Quo auctore eo loci peruentum, ubi gurges ingentis stagni diffusior speciem preferebat: Has faucium angustias barbari crebra classe prestruxerant, hostem transitu prohibituri. Quos nostri deturbare gestientes, profunditatis ignari, imperite nauigacionis errore uadosis locis affixere puppes. Quas dum, profundo defectas, ad loca nauigatu facilia reiicere cupiunt, cum minus remigio liceret, passim in uada desiliunt, manibusque foros complexi, remorum uices corporum uiribus exequuntur. In quos Sclavi, nauigiis suis tanquam propugnaculis utendo, superne tela librabant. Nec sic eos attentasse contenti, et ipsi saltim in uada delapsi comminus dimicandi locum petebant. Sed nostris strenue occursantibus, pari celeritate deserta ac repetita sunt nauigia. Ante alias bine Priszlaui rates subiere stagnum. Quarum alteram, qui ua*do institerant, tam frequentes insiluere, ut media, fractis penitus lateribus, finderetur. Quippe, dum audius se ingerunt, multitudinis onere medium rupere puppim. Subsequente classe, deserta fugiencium barbarorum nauigia calpiuntur. Vicorum quoque || ripe iunctorum incendia peraguntur. Noctu redeunte Absalone, rex adhuc in somnis diutinam eius moram angore et uigilia prosegue-

p. 762

CLV^ap. 763
(295)

batur. Quo excepto gauisus, liburna sua, quod ob granditatem nauigacionis inhabilis uideretur, domum remissa, in aliquanto minorem se contulit; eaque ad lacum deuectus, Sunonem binis instructum nauigiis in longinquis paludis recessus predatum mittit. Vrbem quoque Rostock, oppidanorum ignavia destitutam, nullo negocio perussit. Statuam eciam, quam gentis profana credulitas, perinde ac celeste numen, diuinis honoribus prosequebatur, incendio mandauit. Post hec Henricum, cum exercitu suo conse-
rendi secum sermonis gracia uenientem, preparato ponte traiecit. Eodem tempore Nucleti filius Pri(bi)s[z]lauus, ripa altera superueniens, cum fratrem Priszlauum Bernardo, cuius manu Nucleum occidisse fama fuerat, nauigio communicantem aspiceret, conuicio lacesciuit, impietatem obiciens, quod cum parentis sui interfector amice conuersari sustinuisse. Contra Priszlaus, bene de se meruisse eum, per quem patre sacrilego careat, affirmabat. Sed neque se eius filium censeri uelle, quem maximi sceleris parentem extitisse constaret.

Interea dum hec geruntur, subito fama pertulit, Rugianam Pomeranamque classem ex disposito conuenisse, Danos anni includere auidam. Igitur rex per Henricum necessarie discessionis ammonitus, ne se locorum angustiis implicari pateretur, protinus amne excessit. Cumque Sclauice collectionis famam nulla adhuc indicia confirmarent, insidiarum suspicione permotus, hostium calliditati inuicem occurrere statuit. Qui in occultos littorum sinus collati, si rex rura diriperet, classis eius incurso copiam explorabant. Quos ut opportunitatis simulacione protraheret, Magno cuidam exurendorum littoralium uicorum curam demandat, militibus intra nauigia latere iussis, sciens, profecto Sclauos ab uniuerso Danorum exercitu incendium peragi putaturos, sicque prompciorem exercendarum insidiarum ausum capturos. Nec secus, ac ratus est, hostile propositum fuit. Quippe, Magno oppidis facem subiiciente, Rugiani, uniuersas Danorum ui[re]s eo negocio occupatas existimantes, auidius edendi propositi fiduciam rapuerunt, perinde ac eorum classem defensoribus uacuam reperturi. Sed quorundam, regis imperium ignorancium, occursu-
tarius excepti, incursandi studium repente fuga mutarunt.

Quos cetera Danorum classis certatim magnis remigii
 nisibus insecura; uelocitate nauigacionis equare non potuit.
 Cumque reueande lassitudinis gracia estum umbraculis
 leniret, Lundensium pontifex, ceteris portum tenentibus,
⁵ superueniens, postquam medio ferme diei tempore nauigia
 uelaminibus obducta conspexit, cunctis segniciem expro-
 brans, His, inquit, tumulis, commilitones, cum animi exer-
 cendi sint, corpora sepelire gaudemus? Quo dicto mili-
¹⁰ tibus diurne quietis ruborem ingessit, et regem, desidia
 obsecsum, torpentes milicie sue uires excitare perdocuit.
 Qui eciam ad pontificis uocem modesto indignacionis
 genere permotus, simulque iusta desidie sue reprehensione
 commonitus, cito hos tumulos relinqu posse aiebat; sta-
¹⁵ timque discussis tegminibus, hostile solum petere prope-
 rauit. Post hec circa australem insule plagam prede in
 biduum acte; inde Walungiam nauigatum. Vbi, nunciato
 Rugianorum occursu, cum quidam e Danis hastam suam,
 quo commodius ea in acie uteretur, in conspectu sociorum
²⁰ aliquanta parte curtasset, ceteri ipsius factum secuti, con-
 gestis in unum locum putaminibus, ingentem breni cumu-
 lum extruxerunt. Sed interim apud hostes pacis, non
 belli studia agitabantur. De qua acturus Domborus ad
²⁵ Danos dirigitur. Quibus* ad naues digressis, ignem in
 littore accedit, cuius indicio se legacionem afferre mon-
 straret. Sed Absalon, nequis eum naue exciperet, uetuit,
 ne pax, quam petere uenerat, iniicem a Danis affectari
³⁰ uideretur. Ita Domborus, aliena rate non habita, propria
 classe petiuit; Absalonemque per interpretem aggressus,
 ut se inter regem et Rugianos faciende pacis auctorem
³⁵ exhiberet, orabat, obsequium cum obsidibus spondens.
 Contra Absalon, perinde ac eorum, que ab ipso posce-
 bantur, ignarus, responsionis loco desertas Danorum in-
 sulas numerabat, earum solitudinein nuper sibi ab ipso
 exprobratam acri memoria prosecutus. Domborus, oracio-
⁴⁰ nem suam parum competentibus responsis excipi per
 interpretem cognoscens, Racione, inquit, non uacat, pontifi-
 cum optime, quod tuam ceteris opem in aduocacionis
 petizione preferimus. Siquidem eo nunc iustius ad tui
 nominis opinionem uotis decurrimus, quod quondam ad
 promerendam Danorum concordiam aui tui presidiis nite-

CLV^b

(296)

p. 765

bamur. Eius nutu perinde ac regalibus edictis contenti fuimus.
 Quia uero filiorum eius nemo superest, supplices ad nepotis
 genua manus tendimus, ne extra consuete familie seriem
 auxilia circunspexisse uideamur. Nec pari industria in
⁵ fratre tuo pretereundo, quanquam natu prestet, usos nos
 esse constat. Tibi enim auctoritatis prerogatiua, honoris,
 non animi nec etatis priuilegia, sed dignitatis ornamenta
 conciliant. Ante uero quam pacem domesticam bellis
 ciuilibus fedaretis, constantem Danorum imperio fidem
¹⁰ prestitimus. At postquam in uestra republica sediciosa
 suffragia adoleuere, regnique affectatores armis instruere
 cepistis, proprie liberattis quam aliene faccionis studiosiores
 euasimus, uestrique nominis quam pietatis desertores esse
 maluimus. Sed et bellum uobis inferendo quid aliud quam
¹⁵ ingenii uestris finiendarum simultatum causam prebere
 tentauimus, idque efficere, ut, nostra arma excepturi,
 mutua concordia indigeretis? Itaque secures uestras,
 ciuili sanguine madentes, in nosmet ipsos conuerstimus,
 bellaque uestra alienis quam patrie perniciosa fore ma-
²⁰ luimus. Siquidem aduersarios uestros specie, re uera amicos
 egimus, caritatisque partes hostilitatis simulacione prebui-
 mus. Etenim concordiam uestram magis quam spolia,
 pyraticam a beniuolencia profectam exercendo, quesiuimus.
 Et nune quidem, ope*ra* nostra ceptorum deuis ac parri-
²⁵ cidalibus bellis abstracti, merito tanti beneficij auctoribus
 gratulari debetis. Cur ergo, eunctis inter *nos* amice com-
 positis, soli communionis uestre ianuas intrare non possu-
 mus, quarum ipsi claustra reserauimus, aditum patefeci-
 mus? Cur ea factorum nostrorum prudencia, delicti uestri
³⁰ saluberrima correctrix, a uiris sapiencia claris parum grata
 estimacione colligitur? Cumque finisset, adhuc Absalone
 uastatas Danie prouincias supputante, Nil factu*(m)* est,
 inquit, quod homines patrocinii tui indigos ab illius cle-
 mencie sinu repellis, quam nemo supplicum umquam dif-
³⁵ ficelem habuit. Etenim repulsi identidem tuis genibus
 aduoluemur, puerorum perseueranciam imitaturi, qui quo
 atrocius irate matris uerberibus lacerantur, hoc audius
 eius gremiis allabi nituntur. Quod si parum supplicii de
 nobis sumptum creditis, iram uestram, quoad libet, cladi-
⁴⁰ bus nostris impune exsaciare poteritis. Vastentur licet

agri, exurantur uiei, euertantur urbes, trucidentur populi,
 precibus uobiscum, non armis, agemus, pro bello ueniam
 quesituri. Si sanguinem sitis, ultro iugulum gladiis uestris
 ferendum prebebimus. Si seruicium affectatis, quid dedi-
 5 cione maius prestare poterimus? Quis autem tam effere-
 mentis, qui eius oblatoribus parcere presto non sit? Ex-
 treme autem deinceps est uelle laboribus adipisci, quod
 10 ocio possit acquiri. Scio autem, illud tibi succurrere, quod
 priore colloquio patrie tue uastitatem inter probra posue-
 rim, ideoque te tam pertinaciter eius solitudines estimare,
 ne prius de pace agatur, quam totidem apud nos uestris
 15 armis effecte fuerint. Ego uero iampridem, sapientibus
 monitis* insipiente usus, aduersarii partes secus, ac ex-
 pediret, edocui, ignarus, quod auditori tam attento pre-
 ceptor extiterim. Nam rem puerilibus deliramentis con-
 20 sen[taneam] dixisse sacius fuerat. Quod uero locutum me
 nunc penitet, te eciam audisse piguit. At si tunc intel-
 lectu digna tuis auribus deprompsi, que nunc quoque dicturus
 ero, pari mentis racione suscipito, eodem ingenio preseucia
 25 hauriens, quo prioris alloquii documenta sumpsisti. Quo
 maiorem de nobis stragem egeritis, hoc minorem ubiectorum
 numerum milicie uestre residuum facitis. Quid ergo aliud
 cladem nostram exercendo agitis, quam quod uiscera uestra
 30 uiribus exinaniendo consumitis? Quod si parum adhuc
 nos punitos ducitis, hostibus uestris bello proterendos
 obiicie, aut morte nostra uindicte sacietatem sumpturi,
 aut uictoria rebelles sub iugum missuri. Victi namque
 parum meroris, uictores multum alacritatis uestris animis
 35 ingereremus; utralibet ergo fortuna uestris successibus ob-
 sequeretur. Preterea, si nos armis laccessere perseuerabitis,
 casus effeere poterit, ut stragem nostram alicuius uestrum
 fato luatis, cuius capite tocius Rugie subiectionem emisse
 difficile fuerit. Talibus Absalon monitis inuitatus, Rugianorun-
 uota apud regem sua prece compleuit. Rex, ac-
 40 ceptis obsidibus, redit.

Eodem fere tempore de Vrbis pontificatu controuersia
 inter cardinales orta, uarie prouinciarum suffragia fere-
 bantur. Nam Gallia Alexandro obtentui fuit; Germania,
 auctore Cesare, Octauiani partibus obsecuta est. Sed
 45 iustior religionique propior Gallorum sequacitas fuit. Quod

CLVI^a

(297)

p. 767

postquam in Dania pererebruit, | Lundensis pontifex, qui
 et ipse prediecte expedicionis comes fuerat, ne, feruente
 religionis tumultu, deposito fraudaretur, pecuniam, quam
 in Gallia collocauerat, per ministros reportandam curabat.
 p. 163
 5 E quibus unus, monachice professionis, apud Stadium op-
 pidum, inter cenitandum, ligneo forte calice non suppe-
 tente, aureo, quem in custodia habebat, arrepto, nitidius
 quam tucius cenam exegit. Cuius facti irritamento iis,
 quorum hospicio receptus fuerat, tacitam latrocenii cupi-
 10 dinem ministravit. Maioris namque pecunie conscienti ani-
 maduercebant, quem prestanciori poculo priuatas mensas
 exornantem uidebant. Ceterum hospicii reuerencia palam
 facinus exequi ueriti, quoniam intra penacium limina
 hospitalitatis sacra uiolare nefas ducebant, in Holtsatiam
 15 eum subsequendo sarcinis exuerunt. Quo Eskyllus, dum
 ab expedicione reuerteretur, auditio, regem super earum
 recuperacione sollicitat, ratus, auctoritate eius restitucionem
 a predonibus fore. Nec iam precibus, sed paccione agen-
 dum existimans, porcionem pecunie, dum inodo per eum
 20 redditu foret, in premium pollicetur, tantoque eius auxilium
 instanceius expetebat, quanto eum in annuendo tardiorum
 aduertit. Rex, petpcionum eius perseuerancia fatigatus,
 egre operam pollicetur, quod et raptor incertus et pecunia
 repertu difficilis uideretur.. Ceterum eam requisitu prom-
 25 peiorem, si a potentibus, quam si a plebeis occupata
 fuisse, arbitrabatur. Igitur antistitem Slesuicum secum
 petere iubet. Vbi dum forte per iocum, inter familiares,
 amissoris auro bibentis iactanciam elusisset, interfueri, qui,
 regis dieta sinistre excipientes, clandestini sermonis mor-
 30 dacitate pontifici illusum putarent. Quorum obtrectacione
 Eskyllus ad deserendam regis amiciciam adductus, eo
 demencie prorupit, ut opes, quas amisisset, ab eo obtentas
 suspicaretur, eumque rapine sibi inflicte conscientum asseuer-
 raret. Ita se concepte uesanis moles falso regis conuicio
 35 patefecit. Igitur nescias, utrum antistes insanis maioris,
 an rex pacience fuerit, quorum alter integerrimum uirum
 tetricima suspicione notare sustinuit, alter, conscientie
 puritate syncerus, aduersum innocencie sue criminatorem
 equo lencius iram distrinxit. Inter hec Occo, cui supe-
 40 rioris scismatis contagio deponendi | pon*tificatus causam

prebuerat, tanquam recepta ab Octauiano dignitate, conciliato regis fauore, Slesuicensem sedem sacrilego occuparat regimine. Quem Eskillus, catholice partis emulacione, inter rei diuine actionem || cum suis fautoribus execratus, magnopere regem permouit. Ita contencione paulatim ad inuidiam simultatemque progressa, accito apud Sialandiam Absalone, querimoniam suam a rege tum spretam, tum eciam irrigam conqueritur. Quippe eum erga pecuniam amissam parum honesta conscientia esse; restitucionem in facultate habere, si uelle suppeteret. Quin eciam cum Occone, scismaticarum pareium comite, criminose iunxisse collegium, inque eius excolenda societate eatholice pacis aduersariis execrabilem obtentum prebere; quam ob rem se belli aduersum eum suscipiendo infinita cupiditate flagrare. Sepe enim numero consimilia ausumi, pociusque preesse regibus quam obsequi solitum. Preterea ad hoc audendum se non infimis amicorum presidiis abundare. Veritus Absalon palam tanti uiri sentenciam obiurgare, temperato reprehensoris officio, impaciencie eius errorem modesto genere castigacionis exceptit, regis integritatem deformi notatu perquam indignam iudicando, eiusque conscientiam, collatis innocencie rationibus, ab omni suspicionis turpitudine alienissimam comprobando. Ceterum non tam catholicarum parcium odio, quam eius regisque litigio Oeconis suspcionem imputandam docebat. Ad hec, si litem ingredetur, quos auxiliares sperauerit, hostes sensurum. Quippe homines inter aduersa plerunque parum iusta constancia amicicias colore. Sibi pocius ad ipsum legati partes mandari precatur, discordiarum pericula compositionis officiis auertere tentaturo. Eskillus, tanti consilii documento parum salubriter estimato, percontacionibus eum fatigat, num sibi in eam rem auxilium sit latus, quem non tam gerendorum arbitrum quam belli socium depositat, dicendo, iam non se consultorie cum eo, sed precarie agere. Absalon, antistitis sublimitatem regis caritati componderans, Cu[e]m, inquit, me tibi iam pridem iurisiurandi religio fidei debitorum effecit, malo simplicitatem tuam uerioribus monitis obiurgare, quam blandioribus fallere, ne, rebus in perniciem uergentibus, uacuum promissorem egisse uidear. Sed neque ceruicem meam eo usque spon|sionis titulus obnoxiam facit,

(298)

p. 770

ut amantissimum mihi herum, cui tum fidei, tum eciam
amicicie stipendiis obligor, neglectis caritatis officiis, attentare
sustineam. Preterea, reges de rerum summa certantes
laceſſere, iampridem haud difficile fuit. Huic uero, cum
5 regnum sine emulo gerat, uim inferre temeritas est. Quem
si communibus uiribus adorti fuerimus, communis iacture
pericula senciems. Sed tuos quidem conatus, sepius
consimilia ausos, res ipsa minore cum uituperio admittit;
meum uero facinus, nullis excusacionis presidiis nixum,
10 hoc magis reprehensionem meretur, quod summam beni-
uolenciam, perruptis amicicie uinculis, iniquissima pre-
sumpcione rependerem. Eskyllus, speciosissimis sapiencie
responsis ad summum ire stridorem euectus, per sacram
obedicionis religionem eum adiurat, mandata ad regem
15 ferenda suscipiat. Absalon, mandatorum lacione promissa,
responsorum nuncium abnuit, quod inter illustres viros
inimiciciarum auctor haberi nolit. Huic Eskyllus, egre
legacione credita, Gerardum, Esromensis domus prelatum,
associat, seiturum, an Absalon fidus mandatorum minister
20 existeret. Quorum tanta asperitas erat, ut non solum
simultates augere, sed eciam amicicias odiis conuellere
potuissent. Hanc austерitatē Absalon, quoad licuit, tem-
perare conatus, specioso uerborum delinimento truces
mandatorum sentencias castigabat. Rex, audita legacione,
25 preter morem accensus, Eskillum, superiorum regum
cruorem combibere solitum, nunc et suum sitire respondit;
multaque in hunc modum per summam* uerborum asperi-
tatem remandanda curauit. Quibus Eskillus ex Gerardo
cognitis, impacienciam metu mtauit, tantumque <illi>
30 pauoris surrepsit, quantum prius furoris incesserat. Igitur
euitandi periculi gracia longinquas Werundie partes
accessit, salutem || secessu, non bello, quesiturus. Tunc rex
urbem in solido Letrice paludis ab eo constructam obsi-
dione tentat, captu quidem difficultem, quod et nature
35 presidio munita et commeatibus affatim instructa fuerat.
Cuius custodes, animis quam menibus debiliores, expugna-
cionem dedicione precurrere cupientes, ni pax ab Eskillo
quam citissime cum rege componeretur, nepote eius, qui
apud Esron educabatur, obside dato, urbem se tradituros
40 promittunt. Pactus condicionem rex, adolescente suscepto,

obsidionem amouit. Hec cum Eskillo nunciata forent, respondit, maiores se urbis quam nepotum sollicitudinem gerere, haud quaquam huius incolumitati illorum capita prelaturum. Igitur rex, iterata obsidione, aliam sibi munitionem, per quam obsessis arccius immineret, edificat; quoniam in absentem aduersarium seuire non licuit, aduersum nominis eius defensores acerrimos ire sue conatus exacuens. Maxima siquidem pociendi castelli spes in hyemis auxilio reponebatur, aditum, quem unda negaret, glacie paratura. Inter hec iuuenis parum cognitus, a quibus nescio subornatus, literas adulterinis notis obsignatas, tanquam ab Eskillo transmissas, Gerardo obtulit, iubens, ut per eum obsessis porrigerentur. Quas ille continuo, nulla doli suspicione concepta, per familiarium quendam urbi inferendas curauit. Harum series habebat, maiore Eskillum nepotis quam urbis caritate teneri, parumque sibi milites placituros, si rei ignobilis curam pertinacius gerendo nobilissimi adolescentis salutem perielitari patarentur, quam ob rem iubere se, exicium eius maturata decisione precurri. Quod uero superiore mandato tutelam urbis incolumitati nepotis preferendam decreuerit, ire, non deliberacionis fuisse preceptum. Perlectis literis, oppidanii liberandi obsidis consilium circunspiciebant. Incertum, quis commenti huius auctor extiterit; regem tamen complurium suspicio notauit. Interea rex, erecto magne arboris trunco, admotum obsidem defense urbis penas suspendio sibi luiturum simulabat. Quo auditio, Gerardus cum domestico religiosorum cetu ad regem processit, | [ei] eiulabundis uocibus deprecans, municipii sibi ingressum permitti, suppliciumque, quoad inde reuerteretur, differri. Rex, alienissimam sibi crudelitatem simulanter amplexus, tandem rogatui cessit, prefatus, ni urbe potiretur, obsidem peritulum. Conuentis oppidanis, Gerardus, quid mandati literis receperint, perquirit. Vt cognouit, adolescentis capiti dedicione consulendum iuberi, parentum hortatus, effecit, ut oppidanii, sua ac rerum incolumitate pacta, uacuum regi municipium traderent. Ita religiosissimi spiritus circunuenta simplicitas finem prelio fecit. Hec audientem Eskillum nihil egrius umquam tulisse, proditum est. Qui tamen post modum, premissa pacis lega-

cione, in Scaniā reuersus, eodem precipicio mentis ad recuperandam regis amiciciam procurrit, quo ad deserendam prolapsus fuerat. Siquidem beneficia, que superiores reges sacris edibus religiosa liberalitate detulerant, regie 5 protestati preter fas pocienda restituit. Quod parum licite gestum postera regum usurpauit auctoritas. Inde, ne scismatis contagio implicaretur, Hierosolimitane peregrinationis iter ingreditur, sacius ratus a suis penatibus quam a Romane amicicie liminibus exulare.

10 Eodem tempore Christiarnus quidam, adhuc priuate sortis, antequam Maguntie pontifex creatus esset, Daniam legacionis titulo petiuit, qui eam exhortacionibus suis ad societatem Octauiane faccionis impelleret. Ceterum multe adulacionis conatibus aliqua ex parte regis conniuenciam 15 assecutus, obseratas Eskilli aures habuit. Interea* Nicolaus quidam, Razi flius, recenter Slesuicensium satrapa constitutus, cum eorum antistite Esberno inimiciciis uehementius gestis, per summum temeritatis excusum celebrissimum eius fundum speciosissimo spoliauerat edificio. Quod 20 cum || plaustris deuehendum mandasset, a militibus Esberni, deportacionem inhibituris, occiditur. Cuius facti penas Esbernus dare metuens, perinde ac curiam petiturus, ultionem exilio uitauit. Sed dum apud Saxoniam moraretur, morbo periclitatus est. Quod audiens Occo sedem, quam 25 olim falso antistitis titulo occupauerat, Octauiani nixus auctoritate recuperat.

Post hec, Rugianis ex pacto comitatum prebentibus, castellum Walogastum obsidetur a rege. Quod quanquam in Sclavia situm foret, a communi tamen eius dizione se- 30 cretum, propriis ducibus regebatur. Ab huius incolis Pomeranie satrapa Bugislauus in auxilium euocatus, pacis magis quam belli consilia circunspexit. Quam eciam pro eis apud regem hoc modo composuit, ut non solum ipsi regi parerent, sed eciam ex piratis *(neminem)* sui fluminis 35 ostiis excedere sustinerent, eamque paccionem obsidibus firmarent. Illic forte Rugianis ad concessionem uocatis, | cum Bernardo quodam, Henrici filio, qui, quod neptem regis in matrimonio habebat, duobus eum nauigiis secutus fuerat, iurgium incidit. Interrogati enim ab eo, cur illustrissimi 40 Saxonie ducis graciā amplecti superuacuum ducerent,

cum se nullo in momento Saxonici nominis respectum ponere respondissent, quid virium duci esset, breui agnitionis, subiunxit. Tunc quidam, principis, quem tanti estimaret, potentiam floccipendentes, Bernardi percunctacionem ac minas ludibrio insectabantur. Ea altercacione per regem sedata, Maseo quidam, inter Rugianos natu atque auctoritate prestantissimus, luminibus orbatus, sed ingenii sagacitate perspicuus, nec annis quam animo uiuacior, Conciliatoris, inquit, petulancie equis mos est, quo arrecius retinentur, hoc uehemencius habens tendere. Laxentur itaque Saxonibus freni, ne retentacionis nimietate rumpantur. Siquidem et nobis ipsorum et ipsis nostra perquam nota est uirtus. Que uox apud ducem uulgata inter eum ac regem simultatum seminarium fuit.

Per idem tempus scismaticorum legacio confictis iusticie argumentis Danorum suffragia pertentabat. Quorum rex assercionis dubius, cognoscende ueritatis gracia scribam suum Radulfum, origine Britannum, lingua quam animo prompeciorem, ad Cesarem destinat. A quo per summam ueneracionis simulacionem exceptus, non minus ab Octauiano honorificencie expertus est, ita ut inter eos quasi quoddam culture eius litigium atque officiorum contencio foret. Octauianus tamen, cui iniquissimorum suffragiorum consensus auctoritatis umbram tribuerat, Cesarem, quem maiestate anteire uidebatur, eciam adulandi comitate uinciebat. Nam sacerdotem, qui cum Radulfo cotidie sacras preces decurreret, prouidit, ne diuina ab eo sine socio parum celebriter agerentur. Nec officiis eum coluisse contentus, obsequiis beneficia sociauit. Siquidem in re diuina agenda anuli usum ei indulxit, pontificalis ordinis insigne aliquanto obscuriori gradui tribuens. Ita nescias, dantis an accipientis beneficium ridiculous demencia fuerit. Huius audita legacione, Cesar, dolenter se diuidue religionis statum ferre, asseuerabat; neutri tamen parti acclamatatur, quoad publicum ecclesie decretum acceperit; tunc demum ei, quam uniuersorum sentencia probauerit, assensurum. In cuius rei speculacionem nuper a se tocius Italie maiores concilii nomine contractos fuisse. Octauianum equitatis fiducia causam suam humiliter generalis ecclesie iudicio substrauisse; Rodlandum uero, prauitatis

conscientia retusum, non solum contumaciter supersedisse,
 sed etiam dixisse, maiorem se esse, quam ut cuiuspiam
 censure parere debeat. Cuius controversie finiende gracia
 terrarum reges secum adesse oportere, publice religionis
 5 negocium communibus studiis inspecturos.* E quibus pene
 omnes in aduerse partis presidium concessisse, sibi uero
 neminem ex his suffragiorum societatem prebere. Quam
 ob rem se magnopere prudentissimi Danorum regis allo-
 quium affectare, parcium suarum moderationem eius potis-
 10 simum sentencie crediturum, quippe quem animi uirtus et
 generis sanctitas tante rei iudicem depositant. Preterea
 attendendum esse, quantum pietatis opus ederet, si tot
 animarum salutem, ancipiti iudicio fluctuantem, sentencie
 sue sagacitate seruaret. Super hec omnia, si tam religiosi
 15 itineris laborem suscipiat, se ei in premium fatigacionis
 unam ex Italie prouinciis cum tocius Sclauie prefectura
 daturum. Talibus Radulfum Cesar hortamentis aggressus,
 non pauciora literis, quas per eum in Daniam destinarat,
 complexus est. Regressus inde Radulfus, Cesaris Octauia-
 20 nique caritatem in regem uberrimam predicebat. Rex,
 promptius quam prudencius familiaris assercione suscepta,
 nec tam religioni consulere quam exterarum gencium
 mores cognoscere audis, petendi Cesaris cupidinem con-
 cepit.
 25 Ea tempestate Bernardus quidam, ab Octauiano le-
 gatus in Daniam profectus, pontificum suffragiis inhiabat.
 Verum paucorum fauore exceptus, ut uniuersos ascisceret,
 datis per prouinciam epistolis, concilium simulat. Quod
 30 tenui frequencia habitum, maiore ludibrio quam gloria
 celebrauit. Eo rex apud Slesuicum dimisso, eximiis
 Cesari illecionibus captus, Absalon, in insulis excubanti,
 propositum aperit, eumque uie comitem depositit. Tunc
 35 Absalon, fidem Cesari astuciamque damnando, fallaces
 eius promissiones fideli spe excipiendas negabat. Quin
 eciam sine religionis violatu familiaritatis eius usum haberi
 non posse, quod scismaticae faccionis acrior quam iustior
 defensor existeret. Se uero tum commeatum inopem,
 40 eciam longinque peregrinacionis laboribus imparem
 memorabat. Rex, quoad sibi commeatus suppeterent, ei
 non defuturos respondit. Absalon, quantiscunque com-

CLVII

(301)

p. 776

meatibus abundaret, haud quaquam se salutem spiritus
 sui neglecturum affirmat. Rex, non se minus anime sue
 studiosum testatus, ob hoc maxime eius comitatum affectare
 respondit, ut, si iusticia posceret, per eum ab Octauiane
⁵ partis societate facesseret. Adhuc Absalone profeccionem
 abnuente, publiceque religionis hostes adeundos negante,
 hactenus eum a se pre ceteris cultum, asseuerabat; cuius
 si nunc ope deficeretur, se nihil ulterius ex eo commodi
 speraturum. Tunc Absalon, exprobratam sibi ab eo in-
¹⁰ gratae mentis labem iudicans, Ad deserendam, inquit, tui
 nominis amiciciam nullis corporis periculis adduci potero;
 at, cum de anime negocio agitur, humano timori diuinum
 preferre fas est. Ego uero, tametsi circumstancia damna
 peruideam, tamen, ut anime tue uestigium ab errore pro-
¹⁵ hibeam, meam periculis implicare non metuam. Tunc rex,
 assumpto eo, viros genere et honestate iuxta nobiles, sci-
 licet e Sialandia Sunonem et Esbernum, e Fonia Takam
 et Esgerum, comites ascinit. Burisius duntaxat, nequid
 interim in patria nouaret, ex necessariis assumptus. Nec
²⁰ defuere, quos ex Iutia profeccionis participes legeret. At-
 tingentibus Eidoram principis Holtsatiorum Adulfi ignotus
 eques obuius extitit, interrogatusque, an ipsos prosecuturus
 uenisset, dominum suum huius rei prestande gracia transitum
²⁵ eorum in uicino prestolari denunciat. Cuius ductui fiden-
 dum uetantibus arbitris, rex, perinde ac ingenuo duce
 fretus, primus pontem equo transgreditur, profeccionis
 auiditate metum pariter monitusque contemnens. Hunc
 ceteri subsequentes sentenciam suam quam regem deserere
³⁰ maluerunt. Procedentes paululum Adulfus exceptit, salu-
 tatumque regem | benignissimis uerbis amicissimoque uultu
 prosequitur. Cui cum occursum suum ob uetera odia
 onustum magis quam gratum sentiret, ut iram obsequiis
 flicteret, apud Ekeho oppidum suis eum impensis excipere
³⁵ statuit. Sed re*ge beneficium spernente, nequis ei neces-
 saria uenditaret, edixit. Tunc Danis domesticos cibos
 sumentibus, confectas || epulas per ministros inferendos
 curauit, sieque demum, uerecundia superatos, munificencia
 sua uti coegit. Interrogatus tandem, an regis processum
⁴⁰ tutari posset, posse se quidem, quoad Bremam ueniatur,
 asseruit. Albia pertransito, cum Bremam uersum conten-

p. 777

CLVIII^b

(302)

deretur, Esbernum, profectionis stoliditatem animaduertens,
 quamque uanum iter caperent, non segniter contemplatus,
 fratrem Absalonem aliosque Danice nobilitatis proceres
 consilio illustres clam ceteris accersitos obsecrat, regem
 5 arrepti itineris emensione probibeant, quod presertim sine
 duce conficiat, neque eum tam periculosi propositi execu-
 torem existere paciantur. Quod Absalon inane tentatu
 iudicans, proposito regem cessurum negabat, dicendo, mo-
 nitorem non solum operam perditurum, sed etiam sensurum,
 10 quantum odii pertinax error pie monicioni referre soleat.
 Tunc Esbernum, Tametsi me, inquit, grauissimas monitorum
 penas e uestigio daturum prenoscerem, que ad regis sa-
 lutem pertinere deprehenderim, silencio dissimulare non
 paterer. Adestote ergo mecum, et in regis ammonicionem,
 15 si linguam abnuitis, aures prebete. Enimuero, cum hone-
 statis periculum obuersatur, offensam principis utilia sua-
 denndo quam amiciciam inaniter blandiendo contrahere
 malo. In his etenim melius ex reprehensione ira percipi-
 tur, quam ex adulacione gracia conciliatur. Absalon,
 20 haud fratrem rege faciliorem intelligens, cum neutrum a
 proposito reuocabilem cerneret, fratris tamen adeundo rege
 socium gessit, siquid ire ex dictis eius conciperetur,
 mitigaturus, ceteris ne interesse quidem tutum ducentibus.
 Tunc Esbernum mirari se inquit, quo impetu rex tantum
 25 iter duce uacuus ingredetur, suam autem patrieque
 salutem in unius Cesaris perfidis precordiis depositurus.
 Videri enim, quod liberam gentis sue ceruicem nullisque
 barbarorum obsequiis assuetam per fedam et ignobilem
 seruitutem miserabili Teutonicorum iugo subigere cupiat.
 30 Quid autem stulcius esse, quam, nullo impendente peri-
 culo, ultro ad dpcionem procurrere, summamque liber-
 tam extrema seruitute mutare, insuper regno precario
 quam potenter preesse malle? Itaque Cesarem, cum
 Damnam sue dicionis effecerit, miratum, quod tam uali-
 35 dam gentem ante promissis superauerit, quam armis ten-
 tauerit. Rex, paucis iram exprimere solitus (quippe raras
 uoces turbatus edere consueuerat), Etsi te, inquit, adeo
 metus perurgeat, ut uie comes esse non audeas, me qui-
 dem trepidacionis tue socium non habebis. Virtute enim
 40 quam familia comitacior, sine te propositum exsequar, nec

adduci potero, ut teterrimis ignauie tue monitis consentire
 sustineam. Ita salutares Esberni monitus regie festinacionis
 impetus aspernatus est. Quos si imitari uoluisset, sup-
 plices Cesari manus deformiter non dedisset. Adeo, quem
 5 temeritatis incursus transuersum abripit, recte racionis
 estimacio deserit. Ingressos Bremam ciuitatis antistes,
 omnibus humanitatis numeris instructissimus clemenciaque
 et liberalitate conspicuuus, impensioribus hospitalitatis officiis
 prosequendos suscepit. Idem de ductu dando sollicitatus,
 10 comitandi sibi regem, non ductandi fas esse respondit.
 Complures quoque Saxonie principes, quo tucius curiam
 peterent, regiis se sodalitatibus deuinixerunt, adeo ut de
 Danorum familia ac grege existere putarentur. Itaque,
 crescente eius comitatu, cum multitudo speciem hostilis
 15 exercitus reddere uideretur, perterrefacti incole cum uxori-
 bus ac liberis diuinis sémet penatibus intulerunt, a sacra-
 rum edium hospiciis | auxilium quesituri. Eo comperto, p. 779
 rex premisit, qui gentis trepidacionem pacis denunciacione
 corrigerent, sibique commeatum empacionem fieri iuberent.
 20 Cum ad urbem Methis uenisset,* oppidanis ob aduenarum
 frequenciam emendorum precia aggrauantibus, injuriam
 senatui conquestus, effecit, ut necessaria tum sibi, tum
 eciam comitatui tolerabili precio uenderentur. Igitur syn-
 ceritatis et iusticie eius || rumore increbrescente, Germanice
 25 matres paruulos suos in eius aduentum offerendos curabant,
 rate, eos regio contactu, perinde ac celesti aliquo bene-
 ficio, feliciora nature incrementa sumpturos ac prosperiori-
 bus educationis auspiciis nutriendos. Nec minus super-
 stiosi agrestes, qui iaciendorum seminum grana, quo
 30 melius adolescerent, dextere eius disiienda prebebant.
 Quo curiam ingresso, preses Saxonie Henricus, ueteris
 amicicie recordacione, castra sua maiore ex parte eius
 aduentui cessit, hospitalitatemque ei suis sumptibus ero-
 gauit. Die postera Absalon cum Radulfo missus, apud
 35 Cesarem, Latine uocis ad modum rudem, per interpretatum
 Coloniensis antistitis mandata prosequitur. At Cesar, in
 primis moram regis tarditatemque causatus, iniuriosum,
 quod ante non uenerit, aiebat, asserendo, eum ob regnum,
 quod Romani imperii beneficio gerat, sibi seruiciorum de-
 40 bitorem existere. Tunc Absalon, decuisse, inquit, Cesaris

CLIX^a

(303)

fidem, ut hec pocius ante itineris ingressum regi proponeret,
 ad quod tantis eum promissionibus impulisset. Cesar,
 simulata ammiracione, per quem regi promissa fecisset,
 interrogat. Absalon, demonstrato Radulfo, Hic est, inquit,
 5 qui credulam regis simplicitatem promissorum tuorum com-
 mentis illexit, eoque negacionem Cesaris repellere non
 audente, seriem tocius promissionis edisserit. Inficiante id
 Cesare, reducem *regem* dari depositit. Ille plus se negotiis
 eius redditui tributurum, quam aduentui impenderit, negat.
 10 Simili modo die postero regis legacio excepta. Quo agnito,
 rex, salutaris monitus spreti penitencia afflictus, tametsi
 mucronem cervici sue applicatum aspiceret, ante se eam
 ferro quam patriam seruituti subiecturum, asseuerabat.
 Estuante eo opisque modum impensius disquirente, Ab-
 15 salon, liberacionis uiam a se repartam professus, non am-
 plius illie regi quam in patria trepidandum, asseruit. Si-
 quidem trans pontem, quo Gallorum regnum a Germanico
 secerneretur, uenacionis simulacione sepius eum obequitare
 debere, ac demum, cum consuetudine suspicionem uicisset,
 20 cum pociore familie parte aliquod e finitimis Gallie oppidis
 petere, haud dubitatrum, quin a rege Francorum ornacius
 in patriam dimitteretur. Cuius consilii execucionem Cesar
 arte preuenit. Siquidem uim regi inferre ueritus, cum
 eius famulatum coaccionibus impetrare nequiret, beneficio
 25 mercari tentauit. Vniuersos quippe Germanie principes
 sacramento adactos iurare compulit, se eius dicioni Sclauiam
 substratueros. Quod si parum perficerent, se ipsum id,
 cum primum ex Italia reuerteretur, exsecuturum spopondit,
 eaque fraude ad obsequia sibi paciscenda ambas regis
 30 manus pertraxit. Ceterum ei, non curiam communi prin-
 cipum more petere, non in Romani imperii presidium copias
 ductare, solaque specie, non re, Cesari parere, concessum.
 Filio uero post eum proxime regnaturo liberum fore pa-
 ternas condiciones abiicere, ne ad omnem Danorum gentem
 35 hereditarium manaret obsequium. Cuius seruicii pudorem
 minnere uidebatur Gallorum dicioni in consimili famulatus
 genere Britannie regis inclinata maiestas.

Post hec Octavianus, vocato concilio, quam iustis
 suffragiis in adipiscendo sacerdocio usus fuerit, loquacius
 40 quam uerius astruere conabatur; Rodlandum uero honorem,

p. 780

p. 781

quem oblatum repudiasset, uetitum occupasse, seque eau-
sam suam generali pontificum cognicioni inspiciendam pre-
bente, illum impietatis conscientia canonice discretionis
iudicium formidare. Preterea ad conciliandos sibi ponti-
5 fium animos eorum dignitatem benignis decretorum sanc-
cionibus adornauit, haud prius Romanam ad sedem pro-
uocandum constituens, quam si lis ipsorum pronunciacione
finiri non posset. Finiente eo, Cesar prouinciarum reges|
huius controuersie finiende* gracia ad colloquium a se
10 inuitatos dicebat, eorum sentencie repugnare nefas duetur.
Quos ideo non adesse, || quod in Romani imperatoris in-
iuriam Rome pontificem creare cupiant, aliena ciuitatis ius
suis suffragiis amministrare conantes. Post hec Regnaldus,
Colonie urbis antistes, religionis causam dicere adorsus,
15 quanto iniurie pondere Romani imperatoris equitatem pro-
uincialium regum temeritas attentaret, argumentando de-
monstrare pergebat. Nam si controuersiam in eorum
ciuitatibus de pontificatu ortam Cesar suis suffragiis finire
uellet, haud dubie id grauium iniuriarum loco ducerent,
20 cum ipsi simile in urbe Roma perpetrare conentur. Quam
assencionem tam ualido racionis presidio subnixam putauit,
ut nunc Latialiter, nune Gallice Germaniceque fando, ternis
accionem uocibus iteraret. Sed quantum hac oracione
gentis sue fauorem illexit, tantum nostre suffragia detur-
25 bauit. Assensis itaque pontificibus, cum Octauianus, qui
sibi falsum Victoris nomen inscriperat, accensis luminibus,
aduersum Alexandrum eiusque suffragatores | solenni ex-
ecracione usurpus uideretur, Waldemarus, hortante Absalone,
ne sacrilego eius facinori interesset, concione excessit,
30 aduerseque partis iusticiam emulatus, presentis curie erro-
rem quam absentis rectitudinem postponere preoptauit.
Cuius egressum secutus Absalon, cum ab Octauiano super-
scdere rogaretur, ab eius uestigiis se, cuius comitandi
35 responso execrabilis pontificum collegio liberatus, ne sci-
smatis errore laberetur, effecit. Die postero Octauianus
Liounem, Othoniensium electum, uehementer ab Absalone
prohibitum, falsa pontificis uincione prosequitur. Inde ad
oppidum Bisuntium concessum est. Vbi equorum pabulo
40 non suppetente, regeque emende eius facultatem sibi non

p. 782
CLIX^b

(304)

p. 783

p. 784

fieri conquerente, Cesar eum, qui stabulo preerat, necessaria Danis expedire precepit. Qui mox, eorum satellitibus secum eductis, in uico eminus sito, quibus egerent, capienda demonstrat. Qui cum, earum consuetudinum
 5 ignari, equorum alimenta ab oppidanis inermes deposcerent, uocesque suas sagittis ac iaculis repelli consiperent, depositis precibus, prelium ordiuntur. Capto itaque uico, cum laciis, crebrescente fumigio, facem oppidis subiectam agnoscerent, similia sibi licere rati, confessim expugnacioni
 10 incendium addiderunt. Que res incredibili regem angore permouit. Interiectis diebus, cum Cesar, quem uindicta modum a Maguntinis, proprii pontificis interfectoribus, exigere deberet, in concione perquireret, Waldemarus,
 15 iterata superiore querela, equis annona defectis, uenaliuim alimentorum subsidia postulabat. At Cesar, circumiacentem prouinciam coniugis sue patrimonium esse testatus, frustra eum emptu affectare dicebat, quod raptu petere licuisset. Contra Waldemarus, regem se, non predonem esse proclamans, commeatus latrocino quesitum negabat, aut,
 20 quod domi iniquum duxerit, apud exterios approbaturum. Quanquam enim eius modi uiolencia necessitate excusabilis uideretur, permisis uti passus non est, ne domestice equitatis mansuetudinem peregrina austritate corrumperet. Cuius sanctitatem uniuersi Germanie principes maximo
 25 plausu comprobantes, seque mutua ammiracione inuicem contuentes, beatos aiebant, quos tanti uiri integritas regendos curaret. Qua laude tacitum morum suorum uituperium ediderunt. Dimisso itaque rege, Cesarem Henricus hortari cepit, reddituro regi impensas expediatur, neque eum
 30 hospitalitatis sue expertem dimittat, cuius patria quasi commune aduenarum hospicium existere soleat. Quod Cesar facile pollicitus, parum executus est. Pontifex uero Maguntinus humanitatis specimen maioribus experimentis quam promissis exhibuit, gemine pernoctacionis impensis
 35 regium iter excipiens. In Henrico quoque, crebris regem* commeatibus prosequente, clarum amiciciarum indicium patuit. Lodouicus autem, Thuringie princeps, non solum liberalitate uacuus, sed eciam habendi cupiditate refertus, impudenti precacione effecit, ut equus regis sibi daretur.
 40 Post hec Adolfus, Holsatiorum prefectus, Absalonis officio

p. 7

p. 7

CLX

(30)

primum amicus regis, mox miles solenni fidei dacione effectus, obsequiorum principium officiis hospitalitatis expleuit. Ita patrie parens, prosperum redditum emensus, exoptatam aduentus sui copiam ouantibus ciuium animis 5 obtulit. Insignem hunc annum filii eius Kanuti ex Sophia suscepti natalis effecit, qui eciā pontificali Absalonis ministerio stato lauaci tempore regeneracionis sacramenta suscepit. Quod religiose execucionis officium Sueonum 10 ducis Guthorni, qui neptem Waldemari, eorundem regi Karolo despōsam, abducendi causa legacionem attulerat, presencia uenustabat.

Post modum Rugianis, recepta per Henricum fiducia, CLXII^{b,21}
 palam aduersum Danos inimicicias profitentibus, rex, non (810,^{a1})
 minorem in amico perfidiam quam in hostibus leuitatem p. 800,¹²

15 expertus, Arkon prouinciam uerna expeditione petitam incendio populatus est. Inde ad portum, Por ab incolis uocatum, cursum direxit. Siquidem, ne cum uniuersis Rugianis manum acie consereret, separatim eos adtentandos existimans, Absalonem nocturna nauigacione Ziudram 20 precedere iubet. Quem ut continuo subsequeretur, cu*ri*ose discessionis eius tempus a uigilibus obseruari precepit. Quibus somni delicias imperio preferentibus, Absalon, absque regio comitatu progressus, non solum Zyudram, sed eciam agros uicosque ei confines partim igni, partim ferro 25 uastauit. Cuius equites duo, contencione prius habita, uter audacia prestaret, cum ad militarem operam edendam fortitudinis emulacione pari impetu raperentur, hostesque cuidam forte stagno adactos cimbis fugam petere animaduerterent, plus eis persequendis, quam suis periculis 30 dispiciendis intenti, ne alter alterum uirtute forte precurreret, ambo cum contemptu spiritus stimulatos calcaribus equos in profundum egerunt, armorum haud memores, quorum obruti pondere perierunt. Ita temeritatis uindex elementum uiris glorie quam salutis studiosioribus, in exi- 35 cium suum ruentibus, fatum pariter ac tumulum ministrauit. Interea Absalon, prouinciam rapinis pariter incendiisque permensus, cum ingentem predam et opima spolia refe- 40 rendo naues repetere statuisset, magnam hostium manum subsequi conspicatus, ultra bina uada ad modum transitu difficultia de industria cedere uoluit, ut eos formidinis simu-

lacione protractos locorumque tandem difficultatibus implicatos oppimeret. Quorum primum Selaui libero itinere transgressi, circa reliquum redeundi diffidencia constiterunt. Eodem fere momenti spacio duo pedites Sialandenses, in gentem prede fascem gestantes, errore locorum in ipsum pene Sclauorum exercitum inciderunt. Qui cum a duobus eorum equitibus appeterentur, quanquam tuto uadum transgredi poterant, ne recessum per ignauiam querere uiderentur, hostibus resistere quam socios accedere maluerunt, deforme existimantes, ab iis, quos numero equarent, audacia superari. Itaque, quo magis expeditos se redderent,* presso uestigio projectoque fasce, enses destringunt. Quorum constancie et uirtuti fortuna debitam incolumitatem concessit. Siquidem equitum neutro procedere audente, resumpto fasce ceptum iter carpserunt. Cumque rursum Sclaui binos equites ad eos opprimendos misissent, eorum incursum ea|dem animi presencia reppulere. Quo facto tam hostium quam ciuium in se admiracionem uertere, magnumque illis ruborem, his inter metum et leticiam hesitantibus, peperere. A sex tandem equitibus attentati, inuariabi mentis habitu persititere, tanquam hostium ignauie plenis fortitudinis animis insultantes. Nec defuit Absaloni prompta mens ad opem eorum uirtuti fiducieque prestandom. Siquidem tot suorum equitum, quot hostilium animaduerteret, eis pro supplemento transmisit. Selani quoque suorum paucitatem certatim numerosis militum presidiis prosequabantur. Itaque supplementis utrinque tanquam ex pari crescentibus, equitibusque ueluti ad milicie spectaculum e diuerso conuenientibus, Sialandenses, ulteriorem hostium petulanciam inspectare non passi, uniuersa acie eis occurrunt. Quorum fugam, uadis impeditibus, longum insequi nequeentes, maiorem equorum quam hominum stragem egerunt. Cumque iter ad naues reflecterent, remigum suorum aciem armis pariter ac signis instructam obuiam habuerunt, quam ad auxilia sociis ferenda fortuito nuncio monita uirtus adduxerat. Hi profecto cum Absalone uictorie gloriam communicauerunt, cui se sponte uirtutis socios obtulerunt. Interea rex seris uigilum monitis excitatus, omisso nauigacionis moram prepropera festinacione discussit. Qui cum, uisis Sialandensibus, po-

(311)
CLXII
p. 802

pulandi gracia ad littus appellere uoluisset, ab Absalone, nihil hostilis prede, quod eius rapinis pateat, superesse perdoctus, magnopere gratulatus est, quod tam parua manus nihilo languidius, quam si ipse adesset, rem propriis 5 gessisset auspicis. Hinc cum alios insule fines armis ignique tentasset, domum concessit.

Rursum circa autumni principia classe regressus, primam uastandis agris operam dedit, ut, segete consumpta, incolas muniendarum urbium instrumento priuaret. Cum 10 ad urbem Arkon | sparso milicie genere peruenisset, oppidi, fiducia uirium, portam, quam urbs unicam habebat, egressi, ne uirtutem suam intra menia cohiberent, obuiam processerunt. Quos rex, Danis ex consulto cedentibus, longius menibus amouere conatus, postquam sperato cau- 15 ciores animaduertit, incursatos urbem repetere coegit. Porta tamen, ne equi iaculis confoderentur, abstinuit. Tunc Sialandensis eques Nicolaus, forma et uirtute preci- 20 puus, telo per portam injecto, quandam ex hostibus in aditu resistentibus exanimem prostrauit, innocuusque, reflexo protinus equo, discessit. Cuius facinus Thorbernus, inter 25 precipuos Sialandie equites numerandus, pari audacia, sed dispari fortuna emulatus, cum unum ex hostibus, directa in globum lancea, uulnerasset, redditumque reflexis habenis tentasset, ita lapide ictus est, ut multus e capite crux profunderetur. Quam ob rem longa corporis debilitate con- 30 tracta, seram incolumitatem egre recuperauit. Burisius quoque, dum nobilitatis sue splendorem conspicuis uirtutis operibus equare nititur, simili audacie genere porte pro- pugnatores adortus, tam asperum saxi illatum capite ex- 35 cepit, ut pene equo exanimis delaberetur. Cui corporis uiribus carenti sociorum interuentus, ne ab hostibus op- primeretur, auxilio fuit. Quo euenit, ut Rugiani haud quaquam sibi tuto extra menia dimicaturi uiderentur, intra que tam obstinatam hostium presenciam experiebantur. 40 Inde ad prouinciam Asmodam tota classe concessum. Ab salon, cum et fortitudine et prima rei bellice pericia uigeret, accedente exercitu, primi agminis ducem, reuertente, extre- mi comitem agere consueuerat, semperque Danice iuuentutis promptissimos, seu prede seu glorie studio, so- dales habebat, rege | duntaxat cum robustiore exercitus

p. 803

(312)

p. 804

parte, graui et composito milicie genere, paulatim procedere solito. Itaque pugnandi copia nusquam accepta, magnam* regionis partem permensus, tandem equestrem manum predandi gracia spargi permisit, paucosque secum 5 in comitatu residuos habuit. Illic forte nuncio de sociorum conclusione suscepto, quam sine succursu posse effugere negabantur, eorum saluti, quoad milites reuocarentur, adesse non distulit, neque sibi comitum paucitatem, quo minus conclusos peteret, obstarre permisit, sed protinus, 10 primipilo signa attollere iusso, pleno fiducie spiritu locum, in quo continebantur, accessit, eoque festinacionis signo, perosus predam, equites ad se contraxit. Quem tanta fiducia ceperat, ut plus remedii in celeritate quam in sociis duceret. Cuius aduentum Sialandenses, qui intra difficultum locorum angustias arctabantur, experti, imminentis auxilii fiducia eos, a quibus obsidebantur, incursum ceperunt, ne periculum aliena uirtute propulsare uiderentur. Itaque Selauis partim solido, partim aquoso itinere delabentibus, Eskyllus, animi et generis nobilissimus eques, 20 militaribus armis pregrauis, unum ex eis inermem per palustria loca citato cursu fugientem pedibus insecurus, illius uestigis limi mollicie subsidentibus, nec uoraginum illuuius nec armorum onere depresso, facilem currendi euentum habuit. Quin eciam occupatum barbarum capite 25 spoliauit; ac tunc demum, ne plantis quidem ceno infectis, solidam humum repeciit. Quod factum, religiosa ammirazione predignum, non pedum agilitate, sed diuino beneficio editum, pocius celesti miraculo, quam humane uirtuti imputare debemus. Post hec uicis per militum manum 30 undique deflagratis, eciam ad Gorum promontorium longinque excursacionis incendia proferuntur. Tunc se Rugiani contrahendi a Saxonibus auxilii spe fraudatos experti, quatuor obsidibus prebitis, apud Strelam insulam pacem a rege pecunia quesuerunt.

35 Itaque principibus, graues periculorum motus et difficilia rei Danice tempora attendantibus, filio Waldemari Kanuto regios honores decernere placuit, qui non solum paterne maiestatis futurus possessor, sed eciam presens dignitatis socius nosceretur, ut haberent proceres, ad cuius 40 nomen titulumque decurrerent, siquid de regis capite

fortuna uariaret. Quorum prudencia rex ac beniuolencia
 delectatus, probata sentencia, regni maiestatem cum san-
 guine suo participare non damnum honoris, sed claritatis
 incrementum putauit, primatumque uoces ad regium nomen
 5 filio deferendum concionando perduxit. Qua de re uniuersi
 exercitus consensu habito, Burisius duntaxat, siue tacita
 regni affectacione, siue rei nouitate permotus, nullam pene
 uocem suffragiis attulit. Qui cum ob hoc se regi suspectum
 10 esse sentiret, taciturnitatem suam non odii, sed
 amoris indicem affirmabat, quod, Danie regnum a pluribus
 amice participatum esse, memorie *(traditum non sit)*, et
 crebra antiquitatis experimenta sint, inter patrem et filium
 de rerum dominio bellum creuisse. Veruntamen se, si
 15 regie uoluntatis prescius fuisse, silencium non acturum.
 Tacuisse uero, quod rem neque ab ipso neque ab amicis
 precognitam habuisset. Ea silencii excusacione iram regis
 in dissimulacionem conuertit. Idem, peracta expedicione,
 cum ceteris || Danie primatibus apud Roskyldiam Kanuti
 20 miles solenni more fieri iussus, aliis imperio obtemperan-
 tibus, id facere recusauit, eaque re magnam sibi concupite
 dominacionis suspicionem con*s*cuit. Verum hunc imperii
 conceptum quesitis callide racionibus protegere perstitit,
 prefatus, se, exstante eo, cui primam milicie fidem dederit,
 25 alias militem non futurum, nec adduci posse, ut pristinum
 obsequium recenti permutet, remque tam patrie consuetu-
 dini, quam honestati inimicam committat, quippe cum nemo
 Danorum diuiduo famulatus officio teneri soleat, solisque
 Saxonibus hunc seruiciorum morem stipendiorum cupiditas
 faciat. Nam si inter duos unius obsequium communicantes
 30 bellum incideret, amborum miles alterutrum iuuando fidem
 utrius seruare non posset. Nec regi ad iram mitibus
 responsis placidoque uultu tegendam equa simulacio defuit.
 Quem cum Hallandiam petendo comitem* haberet, tan-
 35 quam insidias sibi nectentem tacitus notauit. Quam ut
 effugeret *(suspicionem)*, imperata se facturum spondebat,
 si potentiam eius rex beneficiorum incrementis extendere
 uoluisset, et, sicut ipse regnum, quod eatenus eleccio
 uariabat, hereditarium efficere gestiret, ita quoque neces-
 siorum suorum liberis suppare dignitates et minores
 40 potencias perpetua hereditatis lege fruendas tribueret.

(313)

p. 806

CLXIIIIA

Itaque precipuam Iutie partem Absalonis auxilio pactus, Kanuto supplex fore sustinuit; haud quaquam tamen solidam regis amiciciam recuperavit. Ea enim regie ire pertinacia erat, ut semel accensa funditus extingui non posset.

Postea rex, orientalium Scäuorum sibi uirium fiducia rebellancium defeccionem expertus, cum Henrico Saxonie satrapa belli societate condicta, quo firmius amicicie necerentur, filiam eius, ex coniuge post modum repudiata susceptam, adhuc incunabulis utenti filio Kanuto, primum etatis annum agenti, | sponsam adciuit. Itaque. Henrico terrestri apparatu exercitum instruente, ipse in classem collatus, cum apud Rugiam peruenisset, auxilia ab incolis, amiciciam suam dubia fide secutis, per Absalonem contrahenda curauit. Deinde, ne Henrico tardius occurreret eumque promisso fraudaret, ad Penum fluuim ocyssime nauigacionis cursum direxit. Absalon, quanquam adhuc Rugianorum paccio paucorum obsidum pignore niteretur, eorum concionem ingressus, atque inter ipsos honoratissimo sedendi loco susceptus, cum legacionis mandata proferret, eamque Danice uocis ignaris per interpretem explicaret, accidit, ut quidam e Rugianis adolescens, Scäuico ingenio, Dani militis equum, pro quo se precium numeraturum fingebat, ueluti incessus eius experiendi causa descendens, fugam tentaret. Quod cum Absalon ad se perlatum in concione proponeret, uniuersa populi multitudo, magnum fidei sue crimen unius hominis perfidia allatum iudicans, similem furori impetum confessa dissiluit, auctoremque fraudis raptim insequi properauit. Igitur, Absalonis comitibus ad metum et stuporem usque subitum uulgi concursus mirantibus, pauci, qui adolescentem affinitate tangebant, plus priuata caritate quam publico rubore permoti, supplices Absalonis genibus aduoluuntur, equi restitucionem polliciti, si mo*do per eum ab incepto concio reuocetur. Quorum Absalon permixtas precibus lachrymas miseratus, missis, qui plebem pacarent, tumultum compescuit, consternacionem sedauit, equoque protinus redditio, militem suum stulticie damnauit, quod per inerciam et stoliditatem raptor se circunueniendum dedisset. Deinde, gentis rege Tetiszlauo classis supplementum pollicito, regem subsequi

p. 797

maturauit. Interea Henricus Holsatiorum principem Adol-
fum cum Henrico Razaburgensi prefectumque Swerini op-
pidi, Guncellinum, quod nuper a Saxonibus in potestatem
redactum ius et formam ciuitatis acceperat, nec non
5 Regnaldum quendam, parum origine liberum, opibusque
quam genere clariorem, cum insigni copiarum parte pre-
mittit, expeditum sibi transitum paratueros. Quorum in-
gressum Sclavi cum partim fama, partim experimento
cognouissent, cum parte hostium configere quam uniuersos
10 aggredi maluerunt, multum ex eorum robore, si preuios
oppressissent, defluxurum credentes. Cumque summa cura
ac flagrantissimo studio ad eos opprimendos contenderent,
demonem horrende forme superne uerticibus imminentem
uidere. Quo monstro tanquam diuinitus dati ducis aduentu
15 firmati, sumptis uictorie auspiciis, ex improuiso hostium se
castris immergunt, eosque imparatos confodiunt. Adolfus
et Regnaldus in ipso castrorum aditu interfecti, neglecte
militaris prudencie penas sanguine persoluerunt. Quibus
prima cede prostratis, Guncellinus et Henricus, mediis
20 irruencium globis elapsi, correptis aquilis, ad se fugiencium
sociorum reliquias contraxere, ac demum hostes prede in-
cubantes audacter adorti, fugam uictoria mutauere. Ita
Saxones, quanquam improuidi bellum tentassent, maiorem
cladem gesserint an acceperint, uirtute dubium reliquere.
25 Quo accepto, Henricus, suorum cedibus, ut par erat, per-
motus, exigende uindicta studio ad obsidionem Demine
urbis, quantacunque potuit celeritate, contendit. Quam
postquam ulro ab incolis obustam comperit, ut uniuersa
ipsius monumenta subrueret, reliquias menium solo exe-
30 quari precepit. Et quoniam in homines grassari non licuit,
tanquam a rebus mutis supplicium exacturus, urbem
Cozcouam, simili incolarum trepidacione desertam, cre-
mandam curauit. Waløgostini quoque, finitimarum urbium,
quarum excidio terreban|tur, exemplum secuti, clandestino
35 traiectu fluminis cum uxoribus ac liberis municipium dese-
runt, penates dntaxat rebus uacuos hostili seuicie relicturi.
Quorum urbem rex nullo negocio interceptam militibus ac
stipendiis instruit, eamque Wethemanno pyrate curandam
committit. Oznenses quoque, plus ex aliarum urbium
40 fortuna timoris, quam ex suis menibus fiducie capientes,

p. 798

ut sibi uicinarum ciuitatum, quarum formidinem sequerantur, exemplo consulerent, urbem, ne ab hostibus colli posset, desertam incendunt, penates suos igni quam hosti relinquere preoptantes. Tunc rex, ponte, qui medium amnem secare uidebatur, abrupto, sublatisque ceteris nauigacionis obstaculis, ad Stolpam uicum processit, ubi et ducem post modum obuium habuit. Igitur ne Waløgostum, eodem exemplo desertum, quo captum, post discessum suum hostibus redderetur, presertim Danos, si eo fruerentur, sempiternum Sclauie imperium habituros, existimans, Absalonem, Burisium Suenonemque, tunc Arusii pontificatu insignem, eius municipes efficere statuit, quibus et filium Christophorum sociauit, quo plus a ceteris in auxilio suo fiducie reponeretur. Qui cum amicos et necessarios in muneric consorcionem ad(s)ciscere iubere(n)tur, Sialandensibus dntaxat Absaloni presidii societatem spondentibus, reliquis ob imminentis periculi magnitudinem nec animus ad resistendum nec comites suppetebant, quamquam tota classis et || alimenta sua cum eis communicare et uicinas segetes publico officio in eorum horrea comportare decreuerat; quippe fruges, messore exercitu, residuorum usibus adigi iubebatur. Ita rex consilii cassus, cum neque pugnandi copia neque paccio ulla ab hostibus fieret, uafro ingenio excogitauit, qualiter eos ad alterutrum horum prestandum impelleret. Siquidem Absalon(i) taci*tis mandatis precepit, ut palos in amne defixos ceteraque nauigacionis impedimenta magna remigum cura sublegeret, ueluti toti classi transitum paraturus. Ita demum fluuiu obstaculis uacuefacto, cum progressam classem angustior alueus exceperisset, complures a Sclauis utrique ripe inequitantibus comminus sauciabantur. Quam hostilis audacie petulanciam Petrus Eliui filius animi uirtute non sustinens, protinus cum remigibus naue desiliuit, hostesque strenue propulsatos ripa cedere coegit. Tandem, comitum ignauia desertus, sociorum nauigacionem fato suo incolumem prestitit. Itaque rex non solum expertem metus progressum habuit, sed eciam Henricum cum toto exercitu, consertis arcuiss nauigiis, tanquam ponte traiecit. Quo agnito, Sclaui, reliquarum urbium excidium formidantes, precur- rendi periculi studio pacis, quam ante contempserant,

Waldemaro obsides offerebant, quos se Henrico nullo pacto datus dicebant. At rex, sine milicie socio cum hostibus pacisci fraudulentum existimans, per Thorbernum Henrico, que ab hostibus offerrentur, enunciat. Quo, se condicionebus ab eo factis libenter usurum, asseuerante, pactum cum hostibus habuit, ut, Walogosti dominio trifariam diuisio, pars una Tetiszlauo, reliqua Kazimaro, tercia Nucleti filio Priszlauo uendicaretur, pyratisque predam Daniacam appetere solitis Peni fluminis ostia clauderentur, Henrico quoque munitionum, quas apud Sclauiam obtinuisset, incolumis possessio permaneret. Post cuius discessum comites Kazimari, exterorum societatem acrius perosi, sed viribus agere non ausi, Rugianos assiduis furtis uexatos ac per latrocinia ad paupertatem et inediā usque redactos communi urbe excedere compulerunt. Pyratice quoque licenciam tribuere, modisque compluribus ictum fedus rupere.

p. 800

Per idem forte tempus Noruagiensium legati regem petiuerant, obsecrantes, ut Noruagie regimen, tot ciuibibus bellis corruptum ac teterrima tyrannorum dominacione distractum iamque exsangue et ruine propinquum, eius occupatores incessendo tentaret. Et quoniam externa nostris hoc loco connexa sunt, quedam de re Noruagica summatim cognosse fastidio non sit. Siuardus quidam summe audacie, post multa et preclara facinora bellis edita, ab Haraldo Hyberniensi, cuius hostis extiterat, interceptus, cum naui in alto mergendus ueheretur, quasi funus suum inferiis precessurus, empta de industria pociōne remiges onerauit. Quibus exhilaratis, gubernandi potestatem supremi beneficii loco poposcit. Ea re impetrata, nautas impensius edere remigium hortatus, cum uehementissimum nauigii cursum animaduerteret, projecto gubernaculo, preceps undas insiluit, priusque se littori, quam concitata ratis impetum correxisset, restituit. Ita et suo acumine et hostium cordia seruatus periculoque, cui destinabatur, eruptus, Haraldum, amandi gracia noctu castra latenter egressum, in amplexu pellicis per insidias interfecit, dantem penas et sibi, quem cepерat, et Magno, quem regno luminibusque priuauerat. Igitur ut belli titulum apprehenderet, ipsum protinus Magnum, monachalibus septis abstractum, tametsi

CLX^{a,11}
(305,12)

p. 786,18

p. 787

uirilibus careret, uirum induere perpulit, deiectamque regis
 fortunam ad pristinum regni fastigium erigere statuit, ne
 deesset, cuius auctoritate et titulo bellum aduersum Haraldi
 sobolem susciperetur. Huius itaque nomine et auspiciis
 5 fretus cum tribus Haraldi filiis, Ingone et Siuardo et
 Osteno, paternum regnum affectantibus, nauali certamine
 dimicauit. In quo partim cesis, partim fugientibus sociis,
 incredibili et prestanciori humanis uiribus fortitudine solus
 aliquandiu nauigium ab hostibus vindicauit. Ad ultimum,
 10 compluribus eorum prostratis omnique superstitione multi-
 tudine ad se unum opprimendum undique concurrente,
 singulari nandi pericia fretus, quanquam hibernum tempus
 instabat, armis militaribus tectus profundo se credidit.
 Atque sub undis, quas hostium crux consperserat, enatans
 15 dubium effecit, maioris audacie specimen in puppi prebu-
 erit, an inter undas agilitatis ediderit. Siquidem loricam,
 qua corpus munierat, quo liberius enaret, cum reliqua
 armatura sub undis sibi detraxit, ac | demum, cum capes-
 sendi spiraculi gracia fluctibus emersisset, a quodam fa-
 20 miliari suo per habitum hostibus indicatus, tunicam, qua
 se prodi suspicabatur, rursum corpus aquis occultando
 depositus. Sed, cum ne sic quidem proditoris noticiam
 febellisset, ad extremum suprema se ueste nudauit. Nec
 adhuc tamen indice ludificato, cum solus ex sociis super-
 25 esset, seque hec omnia, que et callide et animose tenta-
 uerat, frustra expertum animaduerteret, tandem fati simu-
 lacione profundo diuicius immorans, insidia*toribus, an
 uiueret, dubium reliquit. Ad ultimum, cum humane re-
 spiracionis consuetudine superne aerem capessere debuisset,
 30 cuiusdam forte nauigii gubernaculum pertinacissimis bra-
 chiorum amplexibus apprehendit, eique aliquandiu tacitus
 inhesit. Plura tamen elapsionis genera animi firmitate
 tentasset, si non eum hiberni frigoris seuicia obstupefactum
 corporis robur deseruisset. Tandem cuiusdam altum curi-
 osius contemplantis indicio deprehensus intercipitur, inter-
 ceptus uincitur et in concionem hostili sentencia damnandus
 abstractur. Vbi nemine sacerdotum adhibito, qui delicto-
 rum eius confessionem exciperet, eam astantibus modo,
 quo licuit, explicauit, prefatus, se emendacionem ab eis
 40 decretam penitencie nomine prebiturum, memor sane, sacer-

dotali copia non suppetente, et ad priuatorum cognitionem commissa referra licere. Magno quoque, quem Haraldus Hyberniensis patrem adscierat, se genitum memorabat. A cuius generosissimo spiritu eciam inter adhibita sibi 5 supplicia non de(s)cuit. Primo siquidem uerberibus affectus ac deinde malleorum ictibus artuatim contusus, scilicet ut a cunctis corporis partibus pene exacte uiderentur, non gemitum, non suspirium edidit, non supplicem aut tristem uocem emisit, denique nullum doloris indicium| 10 prebuit, sed, quasi in ocio, psalterium relegens inter sacras preces et solennium uerborum nuncupacionem spiritum posuit. Felices profecto religionis alumni forent, si cuncti eo animo mortem amplectenterentur, quo eam uir bellicus amplexatus est. Fuerit ille insidiosus, pacem patrie cor-| 15 ruperit, bellumque ciuibus intulerit; fortitudini tamen eius impunitas ab hostibus donanda fuerat. Sed homines uindictae cupidi plus suas ulcisci molestias, quam aliena uirtutis insignia uenerari meminerant. Nec in uiuum seu iisse contenti, tanquam parum eius exicio saciati, mox extinctum 20 patibulo suffixerunt, eadem crudelitate fatum prementes, qua spiritum torserant, nihilque a se actum existimantes, si seuiciam suam saltem ab umbris et cineribus continuissent. At Magnus eodem prelio, quod a Siuardo sub eius auspiciis gestum fuerat, periclitatus est. Quem prius 25 oculis, deinde uita priuatum, bis luce defunctum crediderim. Post hec summa penes Haraldi filios fuit. E quibus Ingo duntaxat iusto matrimonio ortus fratribus, quorum alter Noruagica, alter Hiberniensi pellice editus fuerat, ut ingenuitatis, ita et morum ornamenti prestabat. Erat enim 30 omnibus honestatis numeris instructissimus, cum eorum alter auaricie maculis respersus, alter luxurie sordibus obsitus haberetur. Sed infancie sue tempore per incuriam nutricis forte sinu delapsus, ita humo inflectus est, ut, confracto dorso, reliquum uite tempus gibbo oneratus exigeret. 35 In quo quidem homine excellentis animi uenustatem corporis deformitate affecti ludibrio fedatam putares, neque discernere queas, maius fortune beneficium receperit, an opprobrium senserit. Contigit autem, ut eius satellites apud Berginum oppidum, iurgio cum Siuardi militibus 40 habito, dum socii ab eis occisi penas instancius expetunt,

p. 789

p. 790

non interfectores modo, sed ipsum Siuardum, seuissime
 consternacionis furiis concitati, per uim et sedicionem ap-
 peterent, eumque, in edem fugere coactum, conuulsis ta-
 bernaculi claustris, raptum trucidarent, homicidium specie,
 5 re uera coniugum suarum prius ab ipso constupratarum
 contumeliam ulciscentes. Cuius rei nuncio Ostenus, cum
 classe Berginum peteret, per obuios accepto, petendi fratris
 quam cauendi cupidior, nihilominus ad eum processit. A
 quo cum debitam sui regni partem negari animaduerteret,
 10 paucis eum affatus discessit, uultuque fidem promittens,
 sed perempti fratris exemplo perire metuens, fuge se quam
 noui sceleris auctoribus offerre maluit. Quem Siuardi in-
 terfectores, priori facinore parum contenti, Ingonis emulum
 iudicantes, naualem fugam terrestri mutare compulsum,
 15 sed eam ob nimiam corporis saginam* lencius exequentem, CL[VI]
 propter littus peditem occiderunt, duobus regni partic*(ipi)*bus
 sublatis, a superstite dignitatis et stipendiorum incrementa
 sperantes. Quorum scelesta fames, in tantorum ducum
 cladem esuriens uixque gemino exaciata || parricidio, ab (307)
 20 Haquino quodam, paterne cedis ulcionem petente, post
 modum uindicata est. Siquidem, trium fortuna ad unum
 Ingonem per uim et facinus redacta, non sustinuerunt
 Amundus, Simonis filius, et Philippus aliique complures |
 insignis industrie uiri, regnum ei, quod partim proprio,
 25 partim alieno scelere quesuiisset, tutum intentatumque
 persistere. Indignum quoque compluribus uisum, ut ho-
 mini ridiculas corporis notas habenti liberum regnandi
 locum militum suorum conciliaret impietas. Quapropter
 Haquinum, quem dixi, faccionis sue ducem creantes, eius-
 30 que tyrocinium regio nomine uenustantes, bellum aduersum
 Ingonem decernunt, et quasi Siuardi uel Osteni manes
 ulturi, crebro pugnam cum hostibus ineunt. Verum plu-
 ribus continuis preliis subacti, in Suetiam tandem cum
 pupillo diffugiunt. Quos Ingo prope Sialandiam fugandi
 35 studio subsecutus, magna hostium parte propinquas pelago
 siluas petente, Absalonem per legatos sollicitat, eos, qui
 in littoralia nemora profugerant, prendendos curaret. Quod
 Absalon honestate sua ac dignitate indignum iudicans,
 parum precibus obtemperauit. Appetente hyeme, qui
 40 cum Haquino profugerant, patriam repetere adorsi, tan-

quam fortunam loco mutaturi, prelio in hyberna glacie
 conserto, Gregorium, summe post regem dignitatis uirum,
 manu et consilio promptum, in quo spes et fiducia Ingonis
 quasi quodam cardine nitebatur, non minus acumine quam
 5 uiribus usi, cum omnibus copiis deleuerunt. Siquidem in
 eam glaciei partem, cuius firmitatem nocturnis excisionibus
 debilitauerant, prelii tempore protractos hostes profundum
 petere coegerunt. In quorum morte Ingo maximam spei
 partem deposuit, nec secus animo quam uiribus fractus,
 10 exciosum sibi fidissimi fautoris Gregorii interitum ominatus
 est. Tandem instaurato bello, sed adhuc eodem aquarum
 habitu persistente, nihil felicius Gregorio glacialis elementi
 fortunam tentauit. Siquidem, gelato mari in pugne locum
 electo, dum eius duricia quasi camporum firmitate gauderet,
 15 quanquam militum numero prestaret, cum omnibus pene
 copiis interemptus est; luensque penas seu admissi seu
 tolerati parricidii fraternalis umbris piacula exsoluit. Hoc
 bello, quo nullum maius aut cruencius Noruagia habuit,
 uniuersum regni illius columen prope modum a stirpe in-
 20 teriit. Huius cladis super^{p. 792}stes Erlingus cum filio suo
 Magno ad modum paruulo, sed ad Waldemarum artam
 materni generis propinquitatem habente, ad Iutiam appulit,
 ibique in summa regis dignacione uersatus, uberes exilii
 impensas et amplissima commeatum instrumenta percepit.
 25 Interea Siuardus quidam, per summam commilitonum in-
 uidiam, fortitudinis premium recepturus, dux ab Haquino
 constituitur, idque, egre ferentibus ceteris, summe sedicioni
 locum dedisset, ni Erlingus repente e Dania superueniens,
 interne faccionis certamen rumpendo, nouum hostibus nego-
 30 cium peperisset. Quippe predictum filium, quod mater-
 num genus cum priscis Noruagie regibus communicaret,
 regem continuo nominauit, ne aut Haquino emulus aut
 Ingoni ulti deesset. Ita nouis rebus increbrescentibus,
 Haquinus a Siardo, quod ei impensas belli negasset, de-
 35 seritur, acieque cum Magno congressus occiditur. Siuardus
 ad Suetiam dilapsus, dum interiectis diebus in patriam
 reuertitur, ab Erlingi militibus interficitur. Quo euenit,
 ut obscura et ignobili cede spiritum deponeret, quem
 honeste in acie profundere noluisset. At qui ex Haquini
 40 milicia superfuerant, partim nouarum rerum cupiditate,

partim hostium fortune | inuidia accensi, Marci cuiusdam p. 7
 alumnum, optime spei puerum, in regem ad(s)ciscunt, nec
 felicius, quam proxime, fortunam tentarunt. Siquidem
 prelio ab Erlingo obtriti, uictoria pariter ac rege priuati,
 5 ad Karolum Suetie regem profugiunt, ipsumque belli
 ducem exposcunt, cui cum Noruagie regibus eciam aliqua
 necessitudinis communio uidebatur. A quo* diu promis-
 so^rrum alacritate protracti, postquam eum magis de proprio
 regno seruando quam alieno obtinendo sollicitum compe-
 10 rerunt, legatos ad Waldemarum auxilium implorantes
 misere. Tandem ipsi benignioribus responsis inuitati uenere.
 Quos cum rex supplices recepisset, seque per eos, Nor-
 uagie petacione promissa, sedulo sollicitari animaduerteret,
 tantum belli pondus sola legatorum adhortacione suscipere
 15 stolidum ratus, prius popularium animos tacitis legacionibus
 tentauit. Postquam eorum mentes legatorum uocibus con-
 sentaneas repperit, absque cunctacione expedicionem in-
 stituit. Quo auditio, Erlingus, quam longissimo secessu
 potuit, abstrusas Noruagie partes petiuit, extremosque
 20 patrie fines fuga | amplecti, quam primos armis tueri tucius
 existimauit. Pauca siquidem nauigia, sed habilia fugeque
 quam prelio commodiora parauerat. Quo euenit, ut regis
 aduentus formidolosus Erlungi fautoribus, hostibus accepta-
 bilis haberetur. Itaque Waldemaro consultacionem cum
 25 amicis habente, quidam, postpositis omnibus hostes ocy-
 sime persequendos, alii, prius plebis fauorem conciliandum
 auxiliaque popularium contrahenda, docebant. Sed acce-
 leracionis consilium tarditatis sentenciam superauit. Igitur
 Waldemarus ingentem regionis partem prospere permensus,
 30 magnaque plebis alacritate receptus, cum ad urbem Sarpan
 uenisset, nomen regium a Wicensibus sibi decretum sus-
 cepit, ibique cum popularibus concessionem per summam
 uerborum concordiam habuit. Quod si, omissis aliis, in-
 sequendis hostibus operam prebuisset, haud dubie regno
 35 Danico Noricum coniunxisset. Inde ad oppidum Tuns-
 bergum nauigacione progressus, paucis Erlungi studiosiori-
 bus in editam rupem salutis causa confugientibus, religionem
 seuicie preferens, uicum incendere passus non est, ne sacras
 edes priuatis penatibus intersitas communibus flammis ab-
 40 sumeret. Nemo tamen pontificum, quorum ea tempestate

p. 795

ingens apud Noruagiam auctoritas erat, eum adire sustinuit; quod qui|dem eos pocius patrie, quam Erlingo tribuisse crediderim. Ormo, ut quem regis germanum cognomina-
 5 bant, petito Waldemaro, salua fide, quam Magno dedisset,
obsequia pollicetur. Tandem ob inediā tractu temporis
obortam cum rex defectam impensis expedicionem remit-
teret, Noruagiensium, qui ad eum transierant, multitudo
pene metu cum ipso discessit, diuque partim regiis, partim
principum impensis exilium sustentauit.

Vere appetente, Absaloni, Christophoro et Magno CLXIIII^{a,8}
 10 particularis aduersum Selauos expedicionis ductus com-^(313,23)
mittitur. Nam orientales Dani dntaxat cum Fioniensibus
classem confecerant; Scaniensium uero penes Christophorum
 15 summa, penes A(b)salonem arbitrium consistebat. Quibus
Tribusanam adortis prouinciam, Christophoro, tanquam
iuniori, inter Absalonis Magnique copias medius militandi
locus decernitur, ut regii sanguinis latera fidis stipatoribus
 20 cingerentur. Tanta autem uicorum exustio fuit, ut idem
adhuc usque cultu uacui preteriti incendii magnitudinem
presentibus testentur indiciis. Absalon cum repetende
classis tempore extremos curaret, nunciato hostium super-
 25 uentu, quanquam tanta uis frigoris erat, ut primi reuocari
non possent, quadraginta solis equitibus stipatus, prius
hostem quam uadum, per quod erat redditurus, tentauit.
 30 Quibus fugatis, lento itinere ad amnem concessit. Quem
structo ponte transgressus, post tergum opus abrumpere
noluit, ne ulla timoris uestigia relinquere uide|retur. Cum
ad littus uenisset, classem in alium portum appulsam com-
 35 perit. Tanta autem hyberni frigoris seuicia extitit, ut naute
equos pene frigore extinctos defossis humi specubus con-
derent, nemoque ex toto exercitu reperiretur, qui pariter
utranque manum necessariis usibus aptare posset. Illic
 40 crebri angues ligonibus reperti magis ammiracioni quam
metui uisentibus fuere. Nam algoris immensitas uires
eorum ac spiritum hebetauerat. Scanienses, tunc prosp-
erantibus uentis, discessionis licenciam adepti, mox, iisdem con-
trariis, nauigacione prohibiti, tandem, toti classi fauente
celo, Sialandenses ac Fionios repetende patrie comites
habuerunt. Post hec rex Petrum et Selgretium Christo-
phoro pedagogos asciscit, qui adolescencie eius rudimenta

p. 807

ad honestatis mores exequendos plenis sapientie documentis
 instruerent. Estate deinde expedicionem instaurat. Quippe
 Walagostenses dupliciter ictum fedus corruperant. Nam
 et Rugianos, menium socios, per furta urbe eiecerant, et
⁵ pyratis Peni fluminis ostia patere permiserant. Igitur dum
 Leutitios peteret, ab Henrico misse litere superueniunt
 ammonentes, ut rex insidias propinquai, perinde ac regnum
 affectantis, caueret, indicantesque, Burisyum cum Norua-
 giensibus opprimendi || eius consilium habuisse, iisdemque,
¹⁰ dum expedicio reuerteretur, occursum pollicitis, aut ipsum
 regem aut regium nomen occupandum duxisse. Cuius rei
 certissimum experimentum fore, si reuertentem a Sclauis
 expedicionem Noruagica classis exciperet. Eodem pene
¹⁵ momento suscepta Noruagiensium epistola par prodicionis
 indicium edidit. Quod cum rex paucis arbitris, suppressis
 indicum nominibus, prodidisset, auxit rei suspicionem fidem-
 que literis addidit Tokonis, Wendilensium pontificis, con-
 sentanea affirmacio, dicentis, Burisi milites ab eo iurare
 coactos, quicquid ipse auspicaretur, esse prosecuturos. Re-
²⁰ tamen dissimulanter habita, ad locum, cui nomen Ostrøzno,
 citata nauigacione profectus, profligatis | prouincie rebus,
 urbem Orthungam, uniuersa classe comitante, repeciit.
 Illic Burisio cum ceteris regni primatibus accersito, quidnam
 de eius insidiis acceperit, aperit, eique prodicionis crimen
²⁵ affigit. Quem, se quiequam tale aduersum eum excogitasse,
 negantem, quoad nunciorum experimenta sumerentur, secum
 commorari precepit, tunc demum, si secus, ac nunciatum
 erat, accideret, incolumem discessurum. Ille contra nihil
 absurdius aiebat, quam ut capit is sui indi*cium incertis CL
³⁰ euentuum argumentis committeret. Qua uoce se non solum
 regi, sed eciam arbitris suspectum effecit. Igitur ne remiges
 quidem suos reuiscre permissus, ad urbem Latrensem cum
 rege meare compellitur, ubi leni, sed firme custodie tra-
 ditur. Interea Erlingus et Ormo, Burisii frater, cum
³⁵ nauali exercitu superuenientes, Iutorum classem, in amne
 Dyursa repertam, gubernatoribus vacuam facile debellant,
 ipsiusque Burisii intercepto nauigio, protinus ad uicum,
 qui Mercatorum portus nominatur, deproperant. Quos
⁴⁰ Absalon, cum Sialandensibus occurrens, eciam littorum
 ascensu prohibuit. Qui cum compertum haberet, Norua-

gienses plurimum presidii in arcubus ducere, prouocandi gracia cum quindecim peditibus in littus progressus, ulti se eorum sagittis appetendum prebebat, profecto ostendere cupiens, in quam paruo precipuam eorum fiduciam poneret.

5 Igitur Noruagienses, quo propius littus accederent, cimbas concidunt, ob quarum trepidacionem destinata certis ictibus ferire non poterant. Itaque tela partim in humum, partim in undas innocua cadebant. Ita artis sue effectu fraudati nostrisque ludibrio habiti, ingenti cum rubore 10 maiora nauigia repetunt. Postea cum Absalone, data acceptaque fide, sociale colloquium habuere. A quo diuicius illic acquiescere iussi, non prius obtemperauerunt, quam Absalon fidem suam interposuisset, se nihil insidiarum eis terra aut mari interim paraturum. His finitis, collocutores 15 a se inuicem discessere, die postero cum paribus armis equali comitum numero conuenturi. Cumque Erlingus uno comitacior affuisset, Absalon, circumspectis omnibus, Miror te, inquit, *Erlinge*, hominem etate confectum ac tocies grauia expertum, non adeo sapientem quam senem existere.

20 Nam cum tu scapha adueneris, nos equis insideamus, teque nullo negocio, si libeat, opprimere possimus, cur condicto comitacior aduersum caput tuum rumpende pacis occasio- 25 nem forcioribus prebuisti? Nisi autem fides nostra pre- staret, solute condicionis penas exicio persoluisses. Tunc Erlingus, inter metum et ruborem circumspectis comitibus, cum ueram Absalonis assercionem animaduerteret, unum ex his obiurgare cepit, quod non rogatus comitandi rapuisset officium. Postquam diu excusacionis uerba quesierat, ut siticulosum recrearet exercitum, palustris aque pe^tende 30 licenciam obsecrat. Cuius rei permissionem haud modici beneficii loco ducebat; ac protinus patriam repetere properabat, letus, quod sibi incolumi Danie partibus excedere contigisset. Postquam regi insidiarum fidem rerum ex- 35 periencia fecerat, Burisium, perinde ac maiestatis reum, inter uincula asseruari precepit. Interea Erlingus extremum Sialan~~die~~ composita classis applicacione complexus, dum a sacris misse, que consueto religionis cultu petiuerat, reme- araret, Absalonis equitibus clandestino itinere prorumpentibus, improuisam palancium sociorum stragem accepit. Nec 40 minori Hallandensium uirtute exceptus, apud Nyzem

p. 810

(315)

ammem una rate eiusque remigibus uniuersis spoliatus, abscessit.

Eodem anno deturbande pyratice gracia Absalon insulam maritimam nouo castelli fundamento complexus, exigui munimenti beneficio ingens patrie presidium attulit. Nam et suspectum predonibus situm reddidit, et tutam uicini maris nauigacionem incolis tribuit. Verum, ne confessim Noruagiensis iniurie vindictam Danica uirtus arriperet, Teutonice fidei lubricitas effecit. Quippe Henricus, 10 Bugiszlaui, Danorum metu ad se decurrentis, obsequium pactus, initam cum rege societatem tanquam ineptum et ignobile uinculum disiicere parui habuit. Quin eciam, apud Krempinum fluuium in colloquium cum eo descendens, questus est, quod militem suum Bugiszlauum coram se non 15 accusatum bello lacessat, quem, si iniuriosum existimet, prius accusacionibus quam armis aggredi debeat. Contra rex negare, se ullius potencie respectu cessaturum, quo minus acceptas iniurias mutuis damnis rependere liberum habeat. Ita perstante controuersia, fedus cum colloquio 20 soluitur. Hoc loci* memorabile Saxonici equitis dictum strictim percurram. Qui cum forte ducis ac regis colloquiis interesset, eosque expedicionis negotia languidioribus uerbis prosequi animaduerteret, Quedam, inquit, de hero meo Henrico presentibus referre habeo, que, si adesse eum 25 scirem, tacere quam eloqui mallem. Qui cum pupillus propinquorum iniuria patrimonio priuaretur, nemine sibi patrocinium accommodare uolente, quatuor soli ex amicis, paternorum ipsius meritorum respectu permoti, quorum ego numero intereram, auersantibus ceteris, infanciam eius 30 tutorio munere fouendam sumpserunt. Pro cuius salute et incrementis tum uotis, tum eciam officiis impensius excubabant. Hunc tandem, humani auxillii diffidencia, altariis offerentes, religiosa uoti nuncupacione sanxerunt, si paternos honores diuina clemencia adipisceretur, susceptum 35 beneficium, quoad uiueret, pagani nominis odio pensaturum. Mox uoti probator deus ingenui principis Conradi patrocinium ei conciliauit. Cuius opera paternorum bonorum heres effectus, quanquam uoti auctores exhortacionis officia non omitterent, a bello aduersum Sclauos continuando, tum 40 auaricia, tum eciam desidia adductus, abstinuit, perceptam

munificenciam ingratu estimans animo. Tanta autem cura monitoris partes exsequi uoti nuncupat[i]oribus fuit, ut, cum unus ex eis, ultime etatis, ad inspicienda ducis arcana inter arbitros admissus, sedulum stertendi usum haberet,
5 excitatusque, quid de re presenti sentiret, a considentibus interrogari soleret, maiorem preteriti uoti quam instantis negocii memoriam retinens, ductandum in Sclauos exercitum responderet. O immensam constanciam, que ne in ipso quidem etatis occasu promissi inmemor esse potuit!

p. 812

10 Quis autem mentis compos hanc religiosi consilii uocem senilis animi deliramentum fuisse crediderit? Vereor autem, carissimum michi uirum, amicorum religione contempta, ex summo fortune fastigio in humilem priuatorum sortem extrema ruine deformitate casurum. Ego uero, promissi
15 dudum belli militem agendo, ternas aduerso corpore plagas accepi. Quibus si binas sub eodem milicie titulo sociassem, supremi iudicij tempore diuina uulnera meis equata audacibus oculis inspectanda presumerem. Quo dicto et temporaneam Henrici ruinam et sempiternum uirtutis sue
20 premium auguratus est.

Eo tempore res Danica, circunquaque difficillimis obfusa CLXV^{b,11}
periculis, crebris finitimorum insidiis tentabatur, hinc Nor-^(316,37)
uagienibus, inde Sclauis Saxonibusque sibi perniciem p. 814,2
machinantibus. Quo euenit, ut nulli hostium audacter ob-
25 uiandi fiduciam haberet, metuens, ne, dum unum repelleret, ab altero premeretur. Ea patrie necessitudine permotus Guthscalcus, qui et ipse Sclauis, tum ob lingue eorum periciam, tum ob paterne amicicie fauorem ac proprii coniuctus assuetudinem, perfamiliaris habebatur, Absaloni
30 tacite artem a se repartam insinuat, qua eos repente ex amicis Saxonum hostes efficeret. Quippe se Sclauiam non legacionis, sed beniuolencie simulacione petere uelle significat, tanquam proprie caritatis ductu utilia amicis consilia largiturum. Fore enim, ut hostium credulitas, callidis
35 commentorum laqueis circunuenta, Danorum amiciciam, abiecta Saxonum do(m)i(n)e(n)sione, repeteret. Quod studium maxime sibi gentis illius moribus persuaderi dicebat, que plerunque temeritate niti cunctaque pronius quam prudencius exequi soleat. Absalon, interdum priuatum acumen
40 publicis uiribus prestare ratus, laudata Guthscalci industria,

caendum monet, nequid eis ex parte Danorum falso pollicetur, incorruptam patrie fidem haberi cupiens memorque, eam, fortibus uiris refertam, arnis, non mendaciis bella meditari debere. Ille primum Pomeranos aggressus,
 5 se, prisce familiaritatis memoria ac tocius populi Sclauici caritate permotum, retundende eorum inercie causa aduenisse, dicebat, quod, perniciosa ab eis utilium loco duci, perspectum habeat. Siquidem animaduertere eos oportere, quam noxie dominacionis iugum receperint, quodque iis
 10 obsequio pareant, qui ipsos patria tandem exuere cupiant. Quippe Saxones, quantum ex ipsorum finibus occupauerint, protinus cultu atque habitacione complecti, nec preda aut gloria contentos, proferendi imperii cupiditate uictorie lucra continua possessione firmare. Quam ob rem eos Nucleum
 15 uita, Pri(bi)sclauum patria spoliasse, Razaburgam, Illogam ac Suerynam in tocius Sclauie ruinam uallo fossaque cinxisse. Danos uero diuerso studio bella gerere, nec hostium fines, sed mutue pacis commercium affectare, proprium tueri quam alienum appetere cupidiores. Itaque summopere
 20 eos elaborare debere, uti Saxonice presidiis patriam uacuefaciant, omnique Teutonum plebe regno egesta, amicicias cum Danis componant, quos Saxonum hostes esse non ambigant; ita demum eos sempiterne libertatis beneficio patriam ornatus. His monitis concitati Pomerani loca a
 25 Saxonibus intra Sclauiam optenta peruadunt; Illogam capiunt, reliquis eorum municionibus defensorum uirtute seruatiss; et, ne ducis inopes uiderentur, Danorum regis titulum profitentur. Ita Guthscalcus duarum gencium uires Danie imminentes odiis sequestrauit, patriamque nostram, undique
 30 finitimorum armis obiectam, ab impendente periculo pio mendacii commento seruauit. Cuius facinoris fama Guthscalci redditum precurrente, rex ammiracione perfusus, postquam ex Absalone, per quem res esset acta, cognouit, impensius auctorem laudauit. Igitur Henricus, ut repudiatam
 35 regis amiciciam recuperaret, sine qua Sclauos arcere non* posset, Henricum Razaburgensem et antistitem Lubeccensem legacione one|rat, filiam suam minorem filio eius in matrimonium offerens. Nam maior natu, que prius ei desponsa fuerat, morbo occiderat. | Per eosdem confirmande oblacionis
 40 gracia apud Bram(m)ensem prouinciam tempestiuus ducis

occursus promittitur. Quo rex legatorum adhortacione profectus, Guncellinum obuium habuit, qui sub impedimento aduerse ualitudinis ducis absenciam excusaret, eumque apud Eydoram celeriter aduenturum promitteret. Eo cum
 5 uentum esset, et ducis promissa complentur, et milicia aduersum Sclauos paribus uotis condicitur. Sed eo Di-
 minum petente, rex Walogostum profectus, omissa urbis oppugnacione, finitima rura armis percurrit. Osni quoque oppidi, post recentem uastitatem parum reedificati, incendium
 10 iterat. Eodem uastacionis genere diuersa regionis loca petuntur. At Sclani, quia uiribus niti nequibant, utrumque hostem ere atque obsidibus placant.

Post hec rex belli Noruagici meditacionem, ad id usque tempus rebus Sclauicis interpellatam, magna curarum
 15 parte liber ingreditur. Quam ueris principio copiosis patrie uiribus exsecutus, per summam Wicarorum dignacionem non modo liberos adiutus, certe eciam letos occursus habuit.
 Nec hostis, sed ducis more sermone cum incolis habito,
 20 concionibus arma mutauit. Quorum benignolencia adeo delectatus, ut hostium obliuisceretur, ociosaque procedendi tarditate eximium Erlyngo contrahendarum uirium tempus reliquit. Magnitudo exercitus eius letos Wicensium oculos in se conuertit. Nauigacio quoque eius gratis eorum luminibus aspecta liberos impetravit excursus. Enimuero complures
 25 in angustias, per quas classi seriatim meandum erat, multitudinis eius ammiracione protracti, quo cercius nauigiorum numerum deprehenderent, non nocendi, sed spectandi auditate edita loca complebant. Tunsbergenses, quo ceteris regem impensius colerent, finibus suis exceptum || honora-
 30 tissime processionis officio uenerati sunt, religione seruicium cumulantes. Erlyngi milites, qui superiorem regis aduentum munimenti illie siti fiducia spreuerant, presentem fuge declinacione cauebant. Rex, superato eliuo, collustrate rupis cacumen miratus, inexpugnabile loci presidium comprobabat,
 35 artis opus transcendentia natura. Fertur, interim Erlingum cuiusdam sinus angustias, Danorum nauigacioni opportunas, prohibendi transitus gracia crebris machinarum tormentis uallasse, plus locorum difficultati quam propriis uiribus in excipiendo hoste confidentem. Quapropter rex, tarditatis
 40 sue dispendium exercatus, uocatos amicos celeritatis ex-

p. 818

(318)

hortacione sollicitat; erubescendum more crimen operoso
 festinacionis impendio redimendum affirmat, quod, iam
 com(m)eatis quasi per ocium et inerciam absumptis,
 inaniter tempus triuisse uideantur. Ea res diuerso maiorum
 5 iudicio excepta est, uariaque sentencia duces consilium
 agitabant, aliis, tormentorum magistros, expositis in terram
 equitibus, deturbando obiectasque rates transitu submouen-
 das, hortantibus, aliis, in tantas angustias ingenti classe
 temere procurrendum, uetantibus. Quidam, hostibus laxiore
 10 freto preteritis, regionem armis occupandam censebant.
 Protinus enim Erlingum, aut pugnaudi aut fugiendi necessi-
 tate perstrictum, quesita locorum presidia relicturum.
 Alii uero, absentis perieuli presentem metum ridentes, non
 ante deliberacione agendum docebant, quam res se proprius
 15 inspectandam dedisset. Hi, celeri processu utendum hortan-
 tes, ociose nauigacionis moras amputari iubebant. Ita
 cuncorum sentencia uariante, Nicolaus quidam cognomento
 Bos, natu quam uirtute nobilior, mirari se, inquit, cur uiris
 racione utentibus inclytoque solo natis, amenissime patrie
 20 gremio relicto, tot inulta locorum spacia pererrare liberet,
 presertim quibus nihil preter aspera saxa atque inuias rupes
 occurreret. Eo siquidem demencie uentum esse, ut ultime
 erumne summarum uoluptatum loco ducantur. Nam si
 regem Noruagia potiri contingat, fore, ut plus laboris ex
 25 utroque regno quam uoluptatis ex altero sit percepturus.
 Pre*terea cum iam labencium alimentorum necessitas urgeat,
 si longius nauigacio proferatur, haud quaquam commeatus
 redditui suffecturos. Hec ab eo timidius quam prudencius
 dicta silenceo probari uidebantur. Quod dictum Absalon
 30 diuersa a ceteris estimacione commensus, dimisis amicis,
 solitarium regem acrius obiurgare cepit, quod Nicolai sen-
 tenciam, summa reprehensione dignam, taciturnitate pro-
 bauerit, eamque plenis contumelie responsis predamnare
 passus non sit. Que enim ab eo per ludibrium dicta uide-
 35 bantur, acerrima faccionis incitamenta fuisse. Cuius si comi-
 tatum nullo in momento posuisset, cunetaque eo desertore,
 quam comite, melius exequenda dixisset, ceteros, unius
 rubore permotos, similis opprobrii metu silencium acturos.
 Nunc uero, cum aut consenserit aut consentire uisus fuerit,
 40 neque palam eum timiditatis exprobracione confuderit, breui

complures, licenciori impunitatis exemplo protractos, simili-
bus monitis suclamaturos. Nec secus, ac predixerat, accidit.
Nam cum principes omni studio redeundi cupiditatem pro-
cessui preferrent, eamque manifestis uotis prosequi non
auderent, plebem clandestini incitamentis instinctam sedi-
ciosis armauere consiliis. Ex qua quidam petulancioris
audacie, explorata Absalonis *absencia*, cuius in protrahenda
expedicione pertinaciam causabantur, nauem eius silicibus
petiuere. Sed a remigibus mox excepti, quanquam numero
prestant, terga uertere. Quorum demenciam rex debita
animaduersione persecutus non est, abunde eos hoc fuge
dedecore punitos existimans. Inde ad sinum Porturiām,
egregia Siuardi uictoria inclytum, ubi scilicet *innumeram*
classem tribus ab eo nauigiis subactam ferunt, uelificatum
est. Illic e Iutensibus aliqui, iniquissima gubernatorum
exhortacione prouecti, || concione facta, remissionem exped-
cionis uiolenta suclamacione poscebant. Ad quos com-
prehendendos milites sub ignoto cultu missi aliquandiu in
eorum concilio, obscurata sui noticia, considererunt. Tandem
a circunstantibus agniti, ueste, quam latendi gracia sumpsere,
discussa, correptos sedicionis auctores obtorta gula secum
traxere. Qui cum ad naues abducti fuissent, graues regi
penas uapulando dedere. Qui quo puniciores forent, uicissim
in undas demittebantur, iisdemque extracti renouatis uerberi-
bus multabantur. Post hec eo loci processum, ubi solsticij
estivalis tempore inusitate claritatis noctes sensere, dieique
tam similes, ut minimum temporum discrimen uideretur;
ad quarum lumen, solis beneficio procuratum, leui contem-
placione exiles litere legi poterant. Illic Iutensium ma-
gnates, quos aut metus aut impaciencia stimulabat, regem
apertis repetende patrie monitis aggressi, inopem alimentorum
expeditionem dimitti iubebant, anno postero, si animus in
sentencia mansisset, non per prolixos Wicensium parcum
anfractus, sed e Wendile finibus directe nauigacionis com-
pendio reuersuram. Quorum uoces eciam querulum inedie
uulgus adiuuit, adeo ut nemo ex plebe esset, qui non
rerum inopie citato reditu subueniendum clamaret. Ita
rex, obstrepente multitudinis imperio, proposito cedere
compulsus, soluende expeditionis sentenciam protulit. Et,
ne hostem omnis incommodi expertem relinqueret, prestan-

p. 820

(319)

p. 821

tissimis tocius Noruagie nauigiis secum abductis, peregrina patriam classe ditauit. Ita quorundam Iutorum impaciencia maxima uictorie spes subruta est, quia, si debita cepto perseverancia non decesset, res Noruagica sub Danis man-
5 sisset. Noruagiensis nobilitas, que uenienti regi comes extiterat, linquende patrie pudore reuertentem prosequi supersedit.

Interea dum hec geruntur, Rugianorum ex regis longius agentis occupacione fidencium defeccio incidit. Qui
10 cum, finita hyeme, expedicionem aduersum se destinari cognoscerent, quendam conspeccioris ingenii ac facundie poliorum subornant, qui regis propositum exquisita adulacionis arte subuerteret. Quod cum minime efficere quiuisset, reditu suo hostium aduentum precurrere noluit, ne aut
15 eiibus bellum dissuadendo suspectus aut concitando perniciosus existeret. Igitur Absalonem, uti se comitem* pateretur, orauit, quoad eius consilium a ciibus posceretur, CLX quod stolide mentis hominibus plus requisita quam oblata consilia placere soleant. Rex uarias Rugie partes adortus,
20 cum ubique prede, nusquam uero pugne materiam repperisset, fundendi sanguinis auditate perductus, urbem Arkon ob-sidione tentauit. | Hec in excenso promontorii cuiusdam uertice collocata, ab ortu, meridie et aquilone non manu factis, sed naturalibus presidiis munitur, precipiciis menium
25 speciem preferentibus, quorum cacumen excusse tormento sagitte iactus equare non possit. Ab iisdem quoque plagis circumfluo mari sepitur; ab occasu uero uallo quinquaginta cubitis alto concluditur, cuius inferior medietas terrea erat, superior ligna glebis intersita continebat. Septentrionale
30 eius latus fonte irriguo seatet, ad quem muniti callis beneficio oppidanis iter patebat. Huius quondam Ericus usu uiolencius intercluso, non leuius siti quam armis obsessos premebat. Medium urbis planicies habebat, in qua delubrum materia ligneum, opere elegantissimum uisebatur, non solum
35 magnificencia cultus, sed etiam simulacri in eo collocati numine reuerendum. Exterior edis ambitus accurato celi-mine renitebat, rudi atque inpolito picture artificio uarias rerum formas complectens. Vnicum in eo ostium intraturis patebat. Ipsum uero fanum duplex septorum ordo clau-
40 debat, e quibus exterior, parietibus contextus, puniceo

culmine tegebatur; interior uero, quatuor subnixus postibus,
 parietum loco pensilibus auleis nitebat, nec quiequam cum
 exteriore preter tectum et pauca lauearia communicabat.
 Ingens in ede simulacrum, omuem humani corporis habitum
⁵ granditatem transcendens, quatuor capitibus totidemque cer-
 uicibus mirandum perstebat, e quibus duo pectus totidemque
 tergum respicere uidebantur. Ceterum tam ante quam
 retro collocatorum unum dextrorum, alterum leuorum
 contemplacionem dirigere uidebatur. Corrase barbe, crines
¹⁰ attonsi figurabantur, ut artificis industriam Rugianorum ritum
 in cultu capitum emulatam putares. In dextra cornu uario
 metalli genere exultum gestabat, quod sacerdos sacerorum
 eius peritus annuatim mero perfundere consueuerat, ex
 ipso liquoris habitu sequentis anni copias prospecturus.
¹⁵ Leua arcum refexo in latus brachio figurabat. Tunica ad
 tibias prominens fingebatur, que ex diuersa ligni materia
 create, tam arcano nexus genibus iungebantur, ut compaginis
 locus non nisi curiosiori contemplacione deprehendi potuerit.
 Pedes humo contigui cernebantur, eorum basi intra solum
²⁰ latente. Haud procul frenum ac sella simulacri compluraque
 diuinitatis insignia uisebantur. Quorum ammiracionem
 conspicue granditatis ensis augebat, cuius uaginam ac capu-
 lum, preter excellentem celature decorem, exterior argenti
 species commendabat. Solennis eidem cultus hoc ordine
²⁵ pendebatur. Semel quotannis, post leetas fruges, promiscua
 tocius insule frequencia ante edem simulacri, litatis pecudum
 hostiis, solenne epulum religionis nomine celebrabat. Huius
 sacerdos, preter communem patrie ritum barbe comeque
 prolixitate spectandus, pridie quam rem diuinam facere
³⁰ debuisset, sacellum, quod ei soli intrandi fas erat, adhibito
 scoparum usu, diligentissime purgare solebat, obseruato,
 ne intra edem halitum funderet; quo quocies capessendo
 uel emitendo opus habebat, tocies ad ianuam procurrebat,
 ne uidelicet dei presencia mortalis spiritus contagio pollu-
³⁵ eretur. Postero die, populo pre foribus excubante, detractum
 simulacro poculum curiosius speculatus, siquid ex inditi
 liquoris mensura subtractum fuisset, ad sequentis anni
 inopiam pertinere putabat. Quo annotato, presentes fruges
⁴⁰ in posterum tempus asseruari iubebat. Si nihil ex consuete
 fecunditatis habitu diminutum uidisset, uentura agrorum

(320)

p. 824

ubertatis tempora predicabat. Iuxta quod auspicium instantis
 anni copiis nunc parcus, nunc profusius utendum monebat.
 Veteri deinde mero ad pedes simulacri libamenti nomine
 defuso, uacefactum poculum recenti imbuit; simulatoque
 5 propinandi officio statuam ueneratus, tum* sibi, tum patrie CLXV
 bona ciuibusque opum ac uictoriarum incrementa solennium
 uerborum nuncupacione poscebat. Qua finita, admotum
 ori poculum nimia bibendi celeritate continuo haustu siecauit,
 repletumque mero simulacri dextere restituit. Placenta
 10 quoque mulso confecta, rotunde forme, granditatis uero
 tante, ut pene hominis staturam equaret, sacrificio ad-
 mouebatur. Quam sacerdos sibi ac populo medium inter-
 ponens, an a Rugianis cerneretur, percontari solebat.
 Quibus, illum a se uideri, respondentibus, ne post annum
 15 ab hisdem cerni posset, optabat. Quo | precacionis more
 non suum aut populi fatum, sed futura messis incrementa
 poscebat. Consequenter sub simulacri nomine presentem
 turbam consalutabat, eamque diucius ad huius numinis
 uenerationem sedulo sacrificii ritu peragendam hortatus,
 20 certissimum cultus premium terra marique uictoriam pro-
 mittebat. His ita peractis, reliquum diei plenis luxurie
 epulis exigentes, ipsas sacrificii dapes in usum conuiuii et
 gule nutrimenta uertere, consecratas numini uictimas in-
 temperancie sue seruire cogentes. In quo epulo sobrietatem
 25 uiolare pium estimatum est, seruare nefas habitum. Num-
 mus ab uno quoque mare uel femina annuatim in huius
 simulacri cultum doni nomine pendebatur. Eidem quoque
 spoliorum ac predarum pars tercia deputabatur, perinde
 atque eius presidio parta obtentaque fuissent. Hoc quoque
 30 numen trecentos equos || descriptos, totidemque satellites
 in eis militantes habebat, quorum omne lucrum, seu armis
 seu furto quesitum, sacerdotis custodie subdebat; qui ex
 earum rerum manubiis diuersi generis insignia ac uaria
 templorum ornamenta conflabat, eaque obseratis arcarum
 35 claustris mandabat, in quibus preter abundantem pecuniam
 multa purpura uestimentate exesa congesta fuerat. Illuc quoque
 publicorum munerum ac priuatorum ingens copia uisebatur,
 studiosis beneficia poscencium uotis collata. Hanc itaque
 statuam, tocius Sclauie pensionibus cultam, finitimi quoque
 40 reges non absque sacrilegii respectu donis prosequabantur.

Quam inter ceteros eciam rex Danorum Sueno propiciandi
 gracia exquisiti cultus poculo ueneratus est, alienigene
 religionis studium domestice preferendo, cuius post modum
 saerilegii infelici nece penas persoluit. Alia quoque fana
 5 compluribus in locis hoc numen habebat, que per suppatis
 dignitatis ac minoris potencie flamines regebantur. Preterea
 peculiarem albi coloris equum titulo possidebat, eius iube
 aut caude pilos conuellere nefarium ducebatur. Hunc soli
 sacerdoti pascendi insidendique ius erat, ne diuini animalis
 10 usus, quo frequencior, hoc uilior haberetur. In hoc equo
 opinione Rugie Suantouitus (id simulacrum uocabulum erat)
 aduersum sacrorum suorum hostes bella gerere credebatur.
 Cuius rei precipuum argumentum exstabat, quod is, nocturno
 15 tempore stabulo insistens, adeo plerunque mane sudore ac
 luto respersus uidebatur, tanquam ab exercitacione ueniendo
 magnorum itinerum spacia perecurisset. Auspicio quoque
 per eundem equum huius modi sumebantur. Cum | bellum
 20 aduersum aliquam prouinciam suscipi placuisse, ante fanum
 triplex hastarum ordo ministrorum opera disponi solebat,
 in quorum quolibet bine transuerso iunete, conuersis in
 terram cuspidibus, figebantur, equali spaciiorum magnitudine
 ordines disparante. Ad quos equus ductande expedieionis
 25 tempore, solenni precacione premissa, a sacerdote e uestibulo
 eum loramentis productus, si propositos ordines ante
 dextra quam leuo pede transcenderet, faustum gerendi
 belli omen accipiebatur; sin leuum uel semel dextro
 pretulisset, petende prouincie propositum mutabatur. Nec
 prius certa nauigacio prefigebatur, quam tria continue
 30 pocioris incessus uestigia cernerentur. Ad uaria quoque
 negocia profecturi ex primo animalis occursu uotorum
 auspicia capiebant. Que si leta fuissent, ceptum alaeres
 iter carpebant; sin tristia, reflexo cursu propria repetebant.
 Nec sorcium eis usus ignotus extitit; siquidem tribus ligni
 35 partieulis, parte altera albis, altera nigris, in gremium
 sorcium loco coniectis, candidis prospera,* furuis aduersa CLXVIII.
 signabant. Sed ne femine quidem ab hoc scientie
 genere immunes fuere. Quippe foco assidentes absque
 supputacione fortuitas in cinere lineas deseribebant.
 Quas si pares numerassent, prospere rei prescias | arbitra-
 40 bantur; si impares, sinistri prenuncias autumabant. Huius

p. 826

p. 827

p. 828

igitur urbis non magis rex munimenta quam ritus euertere cupiens, uniuerse Rugie profanos cultus eius excidio deleri posse arbitrabatur. Neque enim dubium habebat, quin, exstante simulacro, facilius gentis menia quam sacrilegia
 5 domarentur. Itaque quo ocios expugnacionem perageret, ingentem lignorum materiam, faciendis machinis opportunam, magna cum tocius exercitus fatigacione propinquis e siluis petendam curauit. Quibus dum artifices coaptandis intenderent, frustra his rebus operam dare asseuerabat,
 10 sperato cicius urbem capturos. Interrogatus, quonam id augurio deprehensum haberet, ex hoc potissimum augurari se dixit, quod Rugiani, quondam a Karolo Cesare expugnati, sanctumque Vitum Coruegiensem, religiosa nece insignem, tributis colere iussi, defuncto uictore, libertatem
 15 reposcere cupientes, seruitutem superstitione mutarunt, instituto domi simulacro, quod sancti Viti uocabulo censuerunt; ad cuius cultum, || contemptis Coruegiensibus, pensionis summam transferre ceperunt, affirmantes, domestico Vito contentos externo obsequi non oportere. Quam ob
 20 rein Vitum, ueniente sui solennis tempore, eorum menia turpaturum, a quibus tam similem monstro figuram accepit. Merito namque eum ab his iniuriarum penas exigere debere, qui uenerabilem eius memoriam sacrilego cultu complexi fuerunt. Hoc se non ex somniorum aut
 25 rerum accidencium coniecturis, sed sola presagientis animi sagacitate colligere testabatur. Ammirabilior cunctis quam credibilior prediccio extitit. Et quoniam insula Archonensis, que Withoua dicitur, a Rugie complexu paruula freti interiuacione, que uix fluminis magnitudinem equare
 30 uideatur, abrumpitur, ne eo loci ulla Archonensis auxilia porrigerentur, missis, qui transitum obseruarent, hostemque traiectu prohiberent, cetera manu urbis obsidionem arripuit, ac primum operam tormentis uallo applicandis exhibuit. Absalon, inter manipulos castrorum loca distribuere iussus,
 35 designandi officium mensurato inter maria spacio exsequebatur. Interea oppidani portam urbis, quo minor eam attentandi facultas pateret, ingenti glebarum aceruo prestruxerant, aditumque coacta cespitem compage claudentes, tantum ex eo opere fiducie contrahebant, ut turrim, que
 40 supra portam sita fuerat, signis tantum aquilisque prote-

(322)
p. 829

p. 830

gerent. Inter quas erat stantia (am Rande Stuatira), magnitudine ac colore insignis, cui tantum ueneracionis a populo Rugiano tributum est, quantum omnium pene deorum | maiestas obtinuit. Eam enim pre se ferentes in humana diuinaque grassandi potestatem habebant, nec quicquam eis, quod libitum foret, illicitum habebatur. Populari urbes, aras demoliri, fas ac nefas in equo ponere, cunctosque Rugie penates aut ruinis aut incendiis euertere potuisset; tantumque superstitioni indultum est, ut exigui panni auctoritas regie potestatis uires transcederet. Plectentes signo, perinde ac diuino gestamini, honorem habebant, officiis damna, iniurias obsequiis rependentes. Interea uariis inchoande obsidionis operibus insidente exercitu, aliisque stabula, aliis tentoria ad necessarios usus militari procuracione uersantibus, rege uero diurni caloris intemperanciam ocio atque umbraculis leniente, Danorum forte pueri, plenis petulancie excursibus ad uallum perducti, contortos funda lapillos in propugnacula iacere coperunt. Quorum ingenio delectati magis Archonenses, quam territi, similes lusui nisus armis excipere erubescabant, ob idque eos spectare quam repellere maluerunt. Adolescentibus subinde puerorum ceptum in consimili prouocationis genere emulantibus, spectandi uoluptate deposita, egre pugnam capessunt. Iuuenes quoque nostri, relictis uarie occupacionis officiis, ad auxilia sociis ferenda concurrunt, equitibus ista puerilium exercitorum* loco ducentibus. Ita res CLXVIII^b paruulis ac pene despicabilibus iniciis cepta grandem haud leui in momento ponendi certaminis progressum accepit, paulatimque puerilis ludi incitamentum ad serum uirilis pugne modum prorepsit. Forte autem egesta porte humus in antri siue crepidinis formam, subsidente glebarum mole, concesserat, uastusque inter turrem et cespites hiatus patebat. Quem cum egregii animi ignotus iuuensis gerendarum rerum proposito opportunum animaduenteret, attingendi eius opem a sociis implorauit, quo si ipsorum auxilio precessisset, expugnacionem illico subsecuturam seque uictorie gradum facturum spondebat. Quibus, quonam modo iuuari posset, percontantibus, telorum cuspides, quis tanquam scalis euaderet, mediis cespitum locis immergi precepit, eoque negocio subiectus, postquam animaduertit,

ita se undique eius antri presidio nullatum, ut ab hostibus
 ledi non posset, extruendi ignis gracia stramentum popo-
 scit. Interrogatus, an accendendi eius materiam haberet,
 ferrum sibi ac silices suppetere respondit, premonito, ut,
 5 estuante incendio, ab hisdem descensurus exciperetur.
 Igitur foci nutrimenta circunspicientibus fors materiam
 obtulit. Forte enim quidam ad necessarios usus onustum
 stipula currum agebat; qua direpta, aliis alii fasciculos
 iacentes, eosque cuspidibus affixos iuueni porrigentes,
 10 breui patulum repleuere cauum, turris desercione tutos
 aditus dante. Nam oppidanos partim rei ignorancia, partim
 turris inanitas fecellit, cuius eciam prominens latitudo op-
 pugnatoribus ab utroque latere presidio fuit. Que cum
 repentina igne correpta conflagrare cepisset, incendii auctor,
 15 facto uictorie gradu, excipientibus sociis, solo illabitur.
 Conspecto fumo, oppidani, improuiso periculo attoniti, igni
 prius an hosti resisterent, ambigebant. Tandem collectis
 animis, summa ui incendio occurunt, omissaque hoste,
 bellum cum flammis gerere ceperunt, nostris extincionem
 20 prohibere conantibus, ut ex pari his reprimendi incendii,
 illis protegendi cupidio incessisse uideretur. Tandem aqua
 defecti flamas lacte sparsere, que tanto uehemencius in-
 cendium concepere. quanto hoc liquoris genere sepius per-
 fundebantur. Ea res plurimum incrementi incendio adiecit.
 25 Orto deinde clamore, rex, spectandi gracia extra castra
 progressus, simulque euentus ammiracione concussus, cum
 dubium haberet, an ignis ullum expugnacioni momentum
 adiiceret, quid factu potissimum foret, ex Absalone per-
 quirere institit. Ille regem, ne se puerilibus ceptis inse-
 30 rereret aut quicquam, inexplorato negocio, repente aggre-
 retur, hortatus, magnopere rogare cepit, ut sibi primum,
 an ignis pociende urbis efficax esset, speculari permetteret.
 Nec rem perserutari cunctatus, clypeo duntaxat ac galea
 tectus portam accessit, iuuenesque eam oppugnare conantes
 35 hortari ad confouendum incendium cepit. Quod, accensis
 undique nutrimentis euectum postiumque ac columnarum
 roboribus altum, ligneum turris pavimentum absumpsit,
 ac deinde, summa corripiens, singulare simulacri signum
 aliaque domestice religionis insignia cineri equauit. Quod
 40 postquam rex, nunciante Absalone, accepit, eiusdem monitu

urbem corona cingi precepit, ac protinus, sella extra castra
 posita, pugne spectator consedit. Tunc quidam Danice
 milicie fortissimus adolescens, dum ad propugnacula ante
 alios eximia capessende laudis auditate euadere niteretur,
 5 letalemque ictum corpore excepisset, ita collabendo se
 gessit, ut non fato oppressus ruere, sed de industria sal-
 tum edere nideretur. Qua uirtute, pulcrius dimicauerit
 an occiderit, incertum reliquit. Pomerani quoque sub
 Kazimaro et Bugiszlauo ducibus, spectante rege dimicare
 10 egregium rati, audacissima urbis oppugnacione singulare
 uirtutis specimen ediderunt. Quorum excellens opera grata
 ammiracione regis oculos permulsit. Ex oppidanis com-
 plures, ancipiti periculo circunuenti, partim incendio, partim
 hostilium telorum impulsu prostrati cadebant, incertumque
 15 erat, plus ignem an hostem metui oporteret. Quidam
 uero, salute postposita, adeo obstinatam ac perseverantem
 urbis defensionem egerunt, ut simul deflagrati aggeris*
 excidio obruerentur, seque super menium suorum rogum
 20 projectos communibus flammis cremandos preberent. Tanta
 siquidem patrii munimenti caritate tenebantur, ut eius
 ruinarum socii quam superstites existere preoptarent. Ita
 desperatis oppidanorum rebus, excidioque et morti pro-
 pinquantibus, quidam, e propugnaculis excelsa noce clam-
 25 tans, Absalonis alloquium postulabat. Quem Absalon in
 tranquillissimam urbis partem, que scilicet a cede plurimi-
 num strepitique distaret, secedere iussum, quidnam afferret,
 interrogat. Ille, uocis affectum manu ac gestibus prose-
 cutus, bellica nostrorum opera relaxari poscebat, quoad
 30 oppidanis dicionem arripere liceat. Negat Absalon, ul-
 lam oppugnacionis remissionem fore, ni et ipsi pariter a
 prohibendo incendio operam retraxissent. Quam condi-
 cionem barbaro, comprobante, acceptas preces illico regi
 porrexit, eoque protinus hac || de re euocatos pugna prin-
 35 cipes consulente, barbari uotis annuendum subiunxit, di-
 cendo, oppidanos grassantis incendii impetum hoc difficilius,
 quo tardius, sopituros; quod si reprimere destitissent, eciam
 remoto hoste, uictoriam igni datus. Nostros uero, tametsi
 ocio indulgerent, id propugnancium flamarum uiribus
 obtenturos, quod ne propriis quidem assequi ualuerint.
 40 Quod quanquam ad horam armis abstineant, ociosos exi-

CLXIX^a

p. 834

(324)

stimandos non esse, presertim alieno ministerio sine ullo
sui discriminē prelantes. Probato consilio, rex oppidanos
in fidem hae lege recepit, ut, simulaero eum omni sacra
pecunia tradito, captiuos Christianos ergastulo liberatos
5 absque redempcioне dimitterent, omniaque uere religionis
momenta Danico ritu celebranda susciperent; quin eciam
ut agros ac latifundia deorum in sacerdotiorum usus con-
uerterent, seque, quocties res posceret, Danice expedicionis
eonites exhiberent, nec unquam accersiti regis miliciam
10 prosequi supersederent; preterea annuatim ex singulis
boum iugis quadragenos argenteos tributi nomine pende-
rent, totidemque obsides in earum condicionum firmamen-
tum prestarent. Quo audito, populus, repentinis sedicionis
faeibus inflammatus hostilisque prede ac sanguinis cu-
15 dus, magnopere queri cepit, quod, propinque uictorie
premiis spoliatus, nihil ex tanta fatigacione preter ictus et
uulnera retulisset, quodque sibi de pene uicto hoste tot
iniuriarum uileionem proprio arbitrio exigere non lieuerit,
prefatus, illorum saluti iam consuli, de quibus tot spolio-
20 rum, tot domesticarum eladium minimo negocio speciosissi-
ma uindicta accipi potuisset. Preterea deserturum se
regem, quod urbem capi passus non sit, exiguamque pe-
cuniam ingenti uictorie pretulerit, minitatus est. Talibus
rex obtrectacionis sibilis, uexatus, quo longius strepitu
25 abesset, principes extra castra perductos, dedicionem urbis
an direpcionem probent, perquirit. A quibus Absalon,
quidnam ea de re sentiret, disserere iussus, munitionem
quidem capi, sed non sine diurno obsidionis impendio
posse, asseuerabat. Quanquam enim studia sua sinistra
30 uulgi interpretacione exciperentur, malle se tamen apud
malignos eorum estimatores ob salutares monitus displicere,
quam sociorum salutem tanta rerum utilitate subuertere.
Nam etsi ignis, poeius celesti miraculo quam ulla mortali-
um opera accensus, superiores aggeris partes, que lignis
35 humoque constabant, prope modum in cineres redigisset,
inferiorum tamen solidiorem compagem incendio non es-
suram, que altitudine sua haud facile hostium incursum
pateat. Ad hec oppidanos cuncta pene incendiī loca luteis
refecisse figmentis, eosque partim flammarum uiribus arceri,
40 partim presidio muniri, quarum asperitas nostris non minus

oppugnacionis quam illis defensionis impedimentum ingerere
uideatur. Preterea si incolumitas Arkonensibus negaretur,
fore, ut cetere Rugianorum urbes, necessitate in uirtutem
conuersa, hoc acerius, quo desperacius, rebellarent. Quos
5 si in fidem recipi comperissent, facile eodem exemplo sa-
lutis consilia circunspicerent. Cum ergo multarum urbium
expugnacionem sola expeditione concludere quam unius
obsidioni pertinacius inherere prestancius ducatur, dedicionis
oblata | respui non oportere. Sin ceteris secus uideatur,
10 inuiolatos obsides mitti debere, ne parum syncera fide
cum eis actum existimari posset, aut gentis nostre pro-
missioni preter solitum ulla lubricitatis labes accederet.
Hanc sentenciam maximus pontifex Eskillus consentaneis
suffragiis fraudare passus non est, dicendo, plebem patribus,
15 non plebi patres obtemperare debere, neque par esse
maiores minorum* arbitrio cedere. Qui autem optabiliorem
uictoriam acquiri posse, quam aliena religionis populum
non solum tributis, uerum eciam Christianis sacris sub-
iectum efficere? Sed eciam pocius Arkonensium opera
20 aduersum reliquos hostes utendum, quam cedibus inhian-
dum monebat; quippe subiugare hostem, quam necare,
 tanto prestancius esse, quantum pietas a seueritate distare
cognoscitur. Insuper aliquanto sacius fore complurium
munitionum presidia pariter occupare, quam unius obsi-
25 dionem omnium expugnacioni preponere. Ea monitorum
ratione permotos principes tam sue quam Absalonis sen-
tencie assensores effecit. Rex quoque, eodem consilii
uigore firmatus, infestas populi uoces clausis pacienza
auribus respuit. Quibus ad curanda corpora dimissis, Ab-
30 salon, suscipiendorum obsidum mandatum amplexus, partim
liberorum pignora recipiebat, partim parentes in crastinum
usque pro liberis admittebat. Eodem proxime noctis hora
concupia quietem capiente, ingens barbari clamor insonuit,
Guthskalki, quo Absalon apud Selauos interprete utebatur,
35 copiam flagitantis. Qui hac uoce excitus, quidnam bar-
barus afferret, mutuo clamore perquirit. Ille, postulato
Absalonis aditu, proprius accedere permissus, cumque extra
tentorium ad se progressum per interpretem alloquutus,
impensis orare cepit, permitteret sibi Karentinis Arko-
40 nensium fortune nuncium afferre, hortarique, ut, similibus

p. 836

CLXIX^b

(325)

pactis exicium precurrentes, suam atque urbis incolumitatem pacisci non differant, prefatus, se voluntatis eorum indicium postridie relaturum. Preterea, | se patre Littogo Karentie natum Gra(n)zamque dici, asseuerabat; presentis 5 urbis non ciuem, sed aduenam esse, nec in eam sponte profectum, sed cum aliis inter supplementa transmissum. Quod ne fraudulenter asserere putaretur, debilitatum unltere lacertum ostendit, sine cuius usu cinibus opem ferre non posset. Absalon, in homine tam grauiter affecto 10 parum momenti hostium viribus accedere iudicans, parique dicens, pugne an dedicationis hortator existeret, petitionem eius ad regis arbitrium relegauit, ac protinus Waldemarum e somno excitatum consuluit. A quo rem arbitrio suo tractare iussus, exspectanti barbaro, omnia a 15 rege preter tridui inducias concessa, respondit, sollicite prouidens, ne hostibus longum muniende urbis tempus daretur. Ceterum insequentis diei spaciū, ne omnino induciarum expertem dimitteret, pollicetur, prefatus, ni in littore, quod urbi sue proximum foret, se cum omni Rugie 20 primatu tempore predicto obuium prebuisset, ulteriore paccionis aditu cariturum. Postero die Esbernus ac Suno, iubente rege, simulaerum euersuri, quod sine ferri ministerio conuelli nequibat, auleis, quibus sacellum tegebatur, abstractis, famulos succidendi officium arripere iussos at 25 tencius monere ceperunt, ut aduersum tante molis ruinam caueius se gererent, ne, eius pondere oppressi, infesto numini penas luere putarentur. Interea fanum ingens oppidanorum frequencia circumstabat, Suantouithum talium iniuriarum auctores infestis numinis sui viribus insecurum, 30 sperancium. Iamque statua, extrema tibiarum parte precisa, propinquuo parieti supina incidit. Cuius extrahende gracia Suno ministros ad eiusdem parietis deiectionem hortatus, cauere iussit, ne succidendi auditate pericula sua parum dispicerent, neu se labenti statue per incuriam 35 proterendos obiicerent. Ruinam simulacri non sine fragore humus excelpit. Preterea frequens edem purpura circunpendebat, nitore quidem predita, sed situ tam putris, ut tactum ferre non posset. Nec siluestrium bestiarum inusitata cornua defuere, non minus suapte natura quam 40 cultu miranda. Demon in furui animalis figura penetra-

libus excedere uisus, subito se circumstancium luminibus abstulit. Igitur oppidanis simulacro urbe egerendo funes iniicere iussi, eum id pristine religionis metu per se ipsos exsequi non auderent, captiuis exterisque questum in urbe 5 potentibus, ut illud eiicerent, imperabant, ignobilium hominum capita diuine ire potissimum obiectanda duecentes. Quippe domestici numinis maiestatem, quam tanto cultu prosequi consueuerant, graues e uestigio penas a suis uiolatoribus exacturam putabant. Tum uero uarie ineo-
 10 larum || uoces exaudiebantur, aliis dei sui iniurias lamento, (326) aliis risu praesequentibus. Nec dubium, quin ingens prudenciori oppidanorum parti rubor incesserit, simplicitatem suam tot annis tam stolido cultu delusam cernenti. Per-
 15 traetum in castra simula*crum ammirantis exercitus con- CLXX^a
 cursus exceptit. Nec prius sibi principes spectandi licen-
 ciam indulserunt, quam plebem uisendi sacietas a[d]mo-[n]uisset. Reliquum diei in obsidibus, qui pridie remanserant,
 accipiendis deductum est. Sed et scribe principum in
 20 urbem mittuntur, qui saecerdotali ministerio rudem reli-
 gionis populum Christianis sacris assuefacerent, eiusque p. 839
 sacrilegis sensibus sanctitatis disciplinam ingenerarent. Vespera appetente omnes, qui eulinis preerant, simulacrum
 25 attentatum sceuribus | in exigua frusta aptosque foculo
 stipites redegerunt. Crediderim, tunc Rugianos pristine
 piguisse culture, cum patrium auitumque numen, quod
 maxima religione celebrare solebant, igni deformiter ap-
 plieatum concoquendis hostium alimentis famulari conspi-
 30 cerent. Post hec nostri pariter et fanum cremandum et
 basilicam lignis machinamentorum exedificandam curabant,
 belli instrumenta pacis domicilio permutantes. Itaque
 35 quod obterendis hostium corporibus exegitauerant, saluan-
 dis eorum spiritibus impendebant. Dies quoque, quo the-
 saurus Suantuitio uotorum nomine consecratus a Rugianis
 traderetur, prefigitur. His expletis, Absalon, Granze Ka-
 rentinensis promissione ducibus exposita, eunctisque eius
 experimentum sumi debere iudicantibus, cum triginta
 nauigiis noetu dissecessit, rege sub primam lucem insequi
 monito. Tantus autem Karentinensis Arkonensis expugna-
 40 eionis nuncio terror incesserat, ut locum, qui ab Absalone
 prenotatus erat, ante prefixum tempus accederent. Illic

Granza, equo insidens, uoce eminus missa, quisnam classi
 precesset, rogabat. Quam postquam ab Absalone duetari
 cognouit, Granzam se esse confessus, regem Tetiszlauum
 cum Iarimaro fratre et uniuersis Rugiane nobilitatis pro-
 5 cernibus aduenisse perdocuit. Quos Absalon, interposita
 fide, naue exceptos, ac per omnia Arkonensium exemplo
 dpcionem pactos, ad regis aduentum usque detinuit.
 Quo per omnia paccionibus assenciente, solo Iarimaro ex
 Rugianorum optimatibus assumpto, una cum Suenone
 10 Arusiensi Karentiam pergit; reliquos, quo tucius urbem
 peteret, per Esbernum fratrem epulis allectos non ante
 redditum suum dimittendos curauit. Triginta solos domesticos
 milites secum habebat, quorum maiorem partem, orantibus
 Karentinis, nequid rixe per eius comites in urbe concita-
 15 retur, remisit, fiduciaque quam familia abundancior ad
 urbem contendit. Hec, undique secus noraginibus ac la-
 cunis uallata, unicum palustri ac diffcili uado aditum
 habet, quo si quis incautis uie excessibus aberrauerit, in
 profundum paludis incidat, necesse est. Hoc uadum
 20 emensis pietentus urbi callis occurrit; hic ad portam dicit,
 mediusque uallum ac paludem interiacet. Itaque Karen-
 tini, quo dpcionem suam conceinniorem efficierent, sex
 milium numerum explentes, armati sese portis effundunt,
 uiamque nostrorum progressui opportunam, suffixis humo
 25 cuspidibus, diuersa acie circunstare ceperunt. Quo aspectu
 stupentem Suenonem rogantemque, quidnam sibi hostium
 uellet excursus, Absalon metu carere precepit, eorum
 egressionem ab obsequendi studio profectam docendo; qui
 si nocendi animum gererent, facilius intra urbem facinus
 30 exequi potuissent. Quanta porro illum fiducia preditum
 estimemus, qui capitis sui potestatem armati hostis ancipiti
 arbitrio tam facile credere non dubitauit? Sed et milites,
 eius exemplo firmati, nec uultu nec ordine mutato, parem
 procedendi constanciam seruauerunt. plus spei in unius
 35 Absalonis presidio quam metus in hostium multitudine
 reponentes. Transgressos uadum uiamque uallo citeriorem
 aggressos Karentini, qui se hinc inde centuriauerant, humili
 prostratis corporibus, perinde ac superos adorandi officio
 uenerati sunt, exsurgentesque eorum nestigia benipilo
 40 studio consecrari ceperunt. Iocundus Absalonis ingressus

auido egressionis populo extitit. Neque enim ut priuate
 rei legatus, sed tanquam publice pacis minister excipitur.
 Insignis hic uicus trium prepollencium fanorum edificiis
 erat, ingenue artis nitore uisendis. Iis tantum pene uene-
 5 racionis priuatorum deorum dignitas conciliauerat, quantum
 apud Arkonenses publici numinis auctoritas possidebat.
 Sed et hic locus, ut pacis* tempore desertus, ita tunc CLXX^b
 frequentibus habitaculis consertus patebat. Quorum alti-
 tudinis tres ordines fuere, infimo medii supremique pon-
 10 deribus sustentamentum prebente. Quin eciam tante con-
 sercionis angustie fuere, ut, si tormentis in urbem lapides
 iacerentur, nudam humum, in quam conciderent, non
 offenderent. Super hec natus immundiciis fetor cunctos
 15 urbis penates asperserat, nec minus corpora quam metus
 animos cruciabat. Vnde nostris, Karentinos obsidioni
 resistere nequiuuisse, conspicuum fuit. Neque enim eorum
 tam promptam dpcionem ulterius mirari uoluerunt, quo-
 rum tam arctam necessitatem liquido peruiderunt. Maius
 20 fanum uestibuli sui medio continebatur, sed ambo parietum
 loco purpura cladebantur, tecti fastigio solis dntaxat
 columnis | imposito. Itaque ministri, direpto uestibuli
 cultu, tandem manus ad interiora fani uelamina porrexe-
 runt. Quibus amotis, factum queru simulacrum, quod
 25 Rugieuithum uocabant, ab omni parte magno cum defor-
 mitatis ludibrio spectandum patebat. Nam hirundines,
 que sub oris eius lineamentis nidos molite fuerant, in
 eiusdem pectus crebras stereorum sordes congesserant.
 Dignum numen, cuius effigies tam deformiter a uolucribus
 30 fedaretur. Preterea in eius capite septem humane simili-
 tudinis facies consedere, que omnes unius uerticis super-
 facie cladebantur. Totidem quoque ueros gladios cum
 uaginis uni cingulo appenos eius lateri artifex conciliauerat.
 Octauum in dextra destrictum tenebat. Hunc pugno in-
 35 insertum firmissimo nexu ferreus clavis astrinxerat, nec
 manui nisi precise euelli poterat; que res truncande eius
 occasio extitit. Spissitudo illi supra humani corporis ha-
 bitum erat; longitudu uero tanta, ut Absalon supra pri-
 mam pedum partem consistens egre mentum securicula,
 40 quam manu gestare consueuerat, equaret. Hoc numen,
 perinde ac Martis uiribus preditum, bellis preesse credide-

p. 842

rant. Nihil in hoc simulacro iocundum uisentibus fuit; lineamentis impoliti celaminis deformitate sordentibus. Iamque famuli, maxima cum tocius urbis exanimacione, tibiis eius secures applicare ceperunt. Quibus abscissis,
 5 comitante sono lapsus terre truncus impingitur. Hoc uiso, oppidani, dei sui uiribus insultantes, religionem mutauere contemptu. Nec eius excidio contente satellitum manus, ad Po|reuithum simulaecrum, quod in proxima ede colebatur, audius porruguntur. Id quinque capitibus consitum,
 10 sed armis uacuum fingebaratur. Quo succiso, Porenutii templum appetitur. Hec statua, quatuor facies representans, quintam pectori insertam habebat, cuius frontem leua, mentum dextera tangebat. Hec famulorum ministerio securibus icta concidit. Has statuas oppidani Absalonis
 15 edicto intra menia cremare iussi, preces imperio opponere ceperunt, orantes, misereatur conferte urbis, nec incendio obiciat, quorum iugulo parcat. Nam si ignis ad uicina prolapsus unum e tabernaculis corripuisse, ob eximiam consercionem uniuersa indubitanter conuelleret. Quapropter
 20 eas urbe | egerere rogati, diu repugnauerunt, quod se membrorum, quorum ministerium imperio exhibuissent, numine penas exigente, usum amissuros metuerent, contemptumque religione excusare pergebant. Ad ultimum Absalonis monitu dei, qui sibimet opitulari non posset,
 25 potentiam floccipendere docti, spe impunitatis accepta, imperio ocius paruerunt. Nec mirum, si illorum numerum || potentiam formidabant, a quibus stupra sua sepe numero punita meminerant. Siquidem mares in ea urbe cum feminis in concubitum adcitis canum exemplo coher-
 30 rere solebant, nec ab ipsis morando diuelli poterant; interdum utrique perticis e diuerso appensi inusitato nexu ridiculum populo spectaculum prebuere. Ea miraculi feditate solennis ignobilibus statuis cultus accessit, creditumque est earum uiribus effectum, quod demonum erat prestigiis
 35 adumbratum. Sueno uero, quo magis simulacula aspernanda doceret, super ea, cum a Karentinis eiicerentur, sublimis consistere uoluit. Quo facto pondus contumelia auxit, nec minus trahentes rubore quam onere ue*xauit, domestica numina alienigene pontificis pedibus subiecta
 40 cernentes. Dum hec a Suenone geruntur, Absalon, tribus

cemiteriis in agro Karentino dedicatis, uespere Karentinam rediit; deletisque simulacris, una cum Iarimaro profunda nocte ad naues peruenit, eumque secum cenitare coegit. Iamque Absalon ternas continue noctes absque somno exegerat, adeoque oculorum eius aciem uigilie debilitauerant, ut pene uidendi usum extinguerent. Sequenti luce scribe, et qui priuata principum sacra tractabant, sacerdiorum ornamenti donati, regenerande per aquam provincie ministerium prebuerunt. Item balsilicas compluribus p. 845
 10 in locis moliti, priuate superstitionis tuguria publice religionis domiciliis mutauerunt. Eodem die pariter accipiendis obsidum reliquiis uacatum est. Quo tempore Pomeranorum duces, qui Tetislauum regno exuendum seque Rugiane rei dominium in premium milicie recepturos putabant, postulata abeundi licencia, amicicias hostilitate mutarunt. Que res ipsis post modum ac Danis longam belli discordiam interiecit. Vespere portu soluentes se ad proximam continentem insulam appulerunt. Illic regi septem equalis magnitudinis arce, consecrata deorum numini pecunia
 20 referte, a Rugianis allate sunt. His peractis, remittende expedicionis decretum uulgatur. Qua reuersa, Absalon nouos sacerdotes non solum ordinis sui insignibus, uerum eciam commeatibus instructos, reuocatis prioribus, in Ruggedam delegauit, ne alienis impensis utendo, populum, quem
 25 sacris documentis erudituri erant, in exigendis uite necessariis onerarent. Nec predicacionis eorum ministerio miracula defuere. Siquidem compluribus debilitate corporis resolutis per eorum salutares preces bone ualitudinis habitus recuperatus est; quod pocius lucrande gentis respectu
 30 quam sacerdotum sanctitati diuinitus concessum uideri potest. A quibus eciam detracte religionis suppicia uaria membrorum strage grauiter exigebantur, ut manifeste deum et cultus sui premium et contemptus uindictam afferre putares. Ibidem quoque nuper clarum inauditi generis
 35 miraculum incidit. Matrona quedam, a uiro immerens adulterii insimulata, cum purgande infamie gracia candenti lamine dexteram obtulisset, subito ferrum, quod exceptura erat, perinde atque innoxie manus contactum fugiens, neglecto pondere, sublime se extulit, penduloque motu
 40 gradientis femine incessum comitans, cum ante aram

iactandum erat, inter religiosam astancium ammiracionem proprio impulsu humi decidit. Ea res et mulieris infamiam leuauit et uisencium animos religioni proniores effecit. Nec temere quidem pudiciciam suam tam ancipitis argumenti 5 iudicio credidit, cui corporis animique fiduciam certe sinceritatis conscientia ministrauit. Capta Rugia, cum adhuc pyratice labes cunctos maris nostri secessus fedaret, sollerti Danorum instituto | prouisum est, ut, eorum classe recensita, quarta queque nauis aduersum maritimos predones, 10 quoad temporum habitus sineret, excubandi officio fungetur, sive quorundam assiduitas uniuersorum laborem absolueret. Tantum enim commodi gens nostra in paucitatis continua, quantum in multitudinis intercisa milicia reponebat. In || quod munus potissimum iuuenes coniugiorum expertes legi placuit, ne milicie studium thori caritate torpesceret. Iisdem Absalon et Christophorus duces adduntur. Qui domestici freti liminibus non contenti, eciam Rugiana littora ac Leuticios scrutabantur anfractus.

Per idem tempus legati regis, quos, ut sibi paterne 20 anime sanctitatem sacris honoribus uenerari liceret, Romam transmiserat, consentaneas uoto literas rettulerunt. Quibus cognitis, rex, omni | Danica nobilitate sub edicto Ryngstadium euocata, circa solenne Ioannis, quod in estiuo solsticio colitur, et parenti celestes honores et filio regios 25 celebrare constituit,* maxima claritatis incrementa acceptum se ratus, si una eademque luce ex iis alterum ara, alterum corona donasset, ut et huius infanciam regnum reciperet, et illius spiritum publica religio consecraret. Sed neque se ulla alia ex re tantum uoluptatis hausturum 30 credebat, quam si in filio maiestatis sue insignia uiuus conspicere potuisset. Quin eciam | naues, a propinqua stacione reuocatas, longinquam agere iussit, quo cicius profunde barbarie pyratas offenderent, ante feriam, que Ioannis censemur, participande solennitatis gracia reuersuras. 35 Discedentes quoque premonuit, ne huius generis pyratas, callidius quam forcius configere solitos, repente lacesserent, ut quibus id consuetudinis sit, ut, hostili classe superueniente, nauigiis suis in littus subductis, de industria citato cursu latebram petant hostibusque liberum instandi locum 40 tribuant, sed mox, ut eorum nauigia ardenti remigum

studio passim littoribus applicata conspexerint, improviso
 recursu latebris erumpentes, eadem brachiis per foros in-
 jectis apprehensa subducant, subductaque, nautis partim
 lapidum, partim telorum nymbo obrutis, ferro perfodiant
 ac crebris foraminibus absumant. Hos itaque, tametsi
 fugere uideantur, audius insequendos non esse, quorum
 non minus fuga quam impetus metui debeat; neque terga
 prebentibus prepropere innitendum, sed pocius et littus
 composito nauigacionis genere petendum et in aciem iun-
 ctis pacienter ordinibus descendendum. Hec agentibus
 in expedito uictoriā fore, quod inermes illi nudisque
 pene corporibus dimicantes plus astu quam apparatu niti
 soleant. His monitis incalescentes se in Olandiam appu-
 lerunt. Verum quanquam Sueones ac Dani inimicicias
 gererent, ne destinatam paganis cladem Christianis infli-
 gerent, insule parcendum duxerunt, religionis concordiam
 regnorum odiis preferentes. Hic ab indigenis, permixtos
 Estonibus Curos propinquō in portu pyraticam exercere,
 perdocti, indicatum sibi locum, ut cuique nauigacionis
 celeritas supp̄petebat, cum contemptu hostium, regii monitus
 immemores, certatim subintran. Quo uiso, speculatrix
 Estonum ratis remigio in altum excessit, obuiaque nauig-
 gacione diffugere quam socie classi uisorum nuncium | af-
 ferre maluit. Quod reliqui pyratarum experti, subductis in
 continentem nauigiis, de industria se propinque silue fru-
 ticibus occultare ceperunt. Quorum commentum Sueno.
 Sc̄olingus et Nicolaus Wendilensis haud callide estimantes,
 uehementi remorum impulsu concitatis nauigiis, cum uni-
 uersis remigibus littus insiliunt, ubi protinus fallaci bar-
 barorum recursu excepti, diuque cum iisdem strenue
 preliati, neglecti regalis consilii penas exicio pependerunt.
 Quibus dum Touo Longus et Esgerus, insignes Absalonis
 equites, auxilio fore gestiunt, quorum spiritum protegere
 student, sociantur funeribus. Talibus sociorum periculis
 Magnus Scaniensis irritatus magis quam territus, diuerso
 littoris aditu similem pugne euentum habuit. Horum
 omnium nauigia barbari prius remigibus uiduata, mox
 securibus perfossa profundo merserunt. Has militum stra-
 ges Christoforus contemplatus, temperato remigii cursu,
 40 terris nauem abstinuit. Que cum, fluctuante prora, littori

latus aduerteret, tanta saxorum ui ab || hoste petita est,
 ut remiges, sua tantum corpora munire contenti, aliena
 attentare nequirent, nec iam inferendis ictibus sed uitandis
 uacarent. Hec postquam Esbernus animaduertit, ne sanguis
 5 regius frustra sibi creditus uideretur, strenua nauigacione
 continentem petendo, mediis se iaculancium saxis immersit,
 oneratumque periculis iuuenem ab imminentि exicio nauigii
 sui interiectu seruauit. Quod protinus barbari magnis
 uiribus apprehensum, uulneratis, qui prore preerant, in
 10 littus haud segniter pertrahendum curarunt. Esbernus
 cum se, tribus spiculis ballista emissis, tocies ictu fraudu-
 clx tum uide*ret, confracto tormento, cuius usum frustra ten-
 tauerat, a puppi in proram armatus concessit, solusque tot
 15 hostes aliquanto diei spacio mira animi corporisque uirtute
 sustinuit. Tandem silicibus adeo contusus telisque per-
 strictus, ut pedibus quoque deficeretur, egre puppi repetita
 consedit. Iamque a comitibus desertus (nam cuncti, preter
 unum, pellente meitu, profundo se dederant) postquam
 20 barbaros nauigium, cuius iam latera dolabris perfregerant,
 insilire consperxit, uirtutis pristine non oblitus, uiribus re-
 collectis, semel iterumque ac tercio exceptos fugauit, tela-
 que in se congesta acerrime in hostem retorsit, auxilio
 sibi uertens, quod in eius perniciem uis aliena contulerat.
 Ad ultimum hebetatis neruis, lassitudinis nimietate con-
 25 fectus, cum pocius debilitati quam hosti cedens, resumen-
 darum uirium gracia, paululum gradum referre cepisset,
 tam grauem lapidis ictum capite exceptit, ut ante puppim
 pene exanimis collaberetur. Quem cum barbari, consenso
 nauigio, iacentem obtruncaturi concurrerent, unicus eius
 30 comes, cum uoce semianimem suscitare non posset, dextera
 comprehensum erexit, solaque consistentis imagine propin-
 quas hostium cateruas reppulit. Tanta quippe fortitudinis
 eius experimenta fuerant, ut aspectu non minus quam
 uiribus hostem terrere[n]t. Postremo sensibus redditis,
 35 comitem percunctatus, curnam ab eo fatigaretur, postquam
 nauigium barbaris completum audiuit, pristino animi uigore,
 pulsis omnibus, in proram concessit, pugnaque strenue
 edita, cum, uiribus prope modum absumptis, ad malum
 regredi uellet, rursum semianimis concidit, perissetque, ni
 40 eum Christofori remiges ocios naue exceptum seruassent.

Que res ceteros in littoris accessione cauciores effecit. Eo namque prospiccius abstinentes, eminus rem fundis iaculisque gessere. Et quoniam rebus ulterius attentandis noctis propinquitas officere uidebatur, sumpto differende pugne consilio, nequa barbarorum ratis nocturno portus egressu clandestina fuga dilaberetur, excubii obseruandum duxerunt. Igitur barbari cum se tante classis obiectu conclusos uiderent, fortitudinem ex desperacione capientes, iam non de fuga, sed uictoria cogitare ceperunt. Itaque partim propriis hostiumque nauigiis, quibus potiti fuerant, partim siluestribus truncis arboreisque molibus munitionem ad urbis instar edificant, binos habentem introitus, arctos ad modum angustiisque difficiles, quibus quis ueluti posticis submissus irreperet; latera quoque, que ex nauigiis compegerant, uelis in multiplices ordines conuolutis, expterius imminebant, propugnaculorum usum a telarum consercionibus mutuantes. Preterea aliis sectos stipites figendis ictibus exacuere, aliis littoralia saxa iactibus idonea legere cure fuerat; et, ne ulla ex parte remissis animis uiderentur, bacchancium more cantu choreisque leticiam simulabant, Danis tristem silencio noctem ducentibus. Tunc Lucas, Christofori scriba, nacionis Britannice, literis quidem tenuiter instructus, sed historiarum sciencia apprime eruditus, cum infractos exercitus nostri animos uideret, mestum ac lugubre silencium clara uoce prorumpens, sollicitudinem alacritate mutauit. Siquidem memoratis ueterum uirtutibus, nostros ad exigendam a sociorum interfectoribus ulcionem tanta disserendi pericia concitauit, ut non solum mesticiam discuteret, uerum eciam cunctorum pectoribus fortitudinem ingeneraret, dictuque incredibile fuerit, quantum uirium in nostrorum animos ab alienigena hominis sermone manauerit. Diluculo redito, paucis ad prohibendam hostium elapsionem relictis, remoto ab eorum castris spacio littus descendunt, ne in ipso apparatu repentinis superuenientium patenterunt incursus. Itaque culcios armatis in acie preire iussis, ignobilibus quibusque subsequendi locum attribuunt. At barbari non per acies, sed passim munitione delapsi, ingenti clamore edito, in pugnam prosilire ceperunt, existimantes Danos, strepitus uiribus perterrefactos, primo congressionis impetu superandos. Tantus autem clamoris

p. 851

(331)

eorum horror increbruit,* ut in postrema acie collocatis non CLX
solum metum, sed fugam incuteret. Verum a precedentibus
secus, ac rebantur, excepti, non minore impetu castra,
quam reliquerant, repetebant. Complures ex eis cesi; solus
5 e nostris Olauus, guttus telo traiectus multoque sanguinis
profluuo debilitatus, semianimis in littus refertur. Primus
Nicolaus Sticonis filius, uir genere et uiribus iuxta splen-
didus, defensam a barbaris i munitionem irruptus, sed in
ipso mox aditu uehementi fustis ictu exceptus procubuit.
10 Quem Ako frater proprii corporis obiectu protegere cupiens,
dirum in gutture uulnus exceptit. Quorum fortitudinis
uestigia ceteri in secuti, facto irruptionis gradu, cum con-
temptu periculorum atrocius in hostem grassantur. Quibus
eciam, qui excubitis preerant, superuenientes opem tulere;
15 alii malis appositis munimenti fastigium transcendentes,
ferendi sociis auxiliu studio hostilibus sese globis immer-
gunt. Tanta autem in barbaros strages exercita est, ut
ex ipsa eorum multitudine ne cladis quidem nuncius super-
stes reperiatur. At nostri, prede participacione acta
20 refectisque nauigiis, nobilium sociorum cadauera sal[li]entes,
ignobilibus ibidem tumulatis, in patriam referenda curabant.
Qua inita, Waldemarum apud Ryngstadium, magna cum
optimatum frequencia, regio apparatu feriantem reperiunt;
ubi Lundensis pontificis ministerio, cuius id exequendi
25 officium erat, et patris eius ossa are traduntur, et filius
septem annos natus, Kanutus, rex consecratur, regia in
sellâ purpura uenustatur. Quibus debita religione cele-
bratis, Helgo, pontifex Asloensis, et Stephanus Vpsalensis,
ab Erlingo missi, edicioire loco occupato, pacem Norua-
30 giensibus benigno precabantur alloquio. Quam a rege
eo potissimum die concedendam esse monstrabant, quo et
filium diademat et parentem altario honoratum uidisset.
Tantumque excellenti eorum facundie tributum est, ut
Erlingo familiaris colloquii aditus promitteretur. Ad quem
35 Esbernus, poscente Helgone, nondum resanatis uulneribus,
legatus dirigitur, Erlingo et Iuaro Noruagiensibus interim
obsidum loco apud regem retentis. Multa illi in concione
Erlingus insolenter, hic multa Erlingo audacter respondit.
Quo Erlingus domi sue detento, Waldemarum allocuturus,
40 Sialandiam quatuor nauigiis, Stephano Vpsalensi comitatus,

accedit. Quem cum Absalon, nuper a regis in Iutiam proficiscentis comitatū magna classe regressus, Isørensi in portu aduentantem uideret, sociis quicquam hostiliter conari uetus, ne superuenientibus metus iniiceretur, tranquille eius nauigacionem exceptit, quem eciam, maiore classis sue parte dimissa, ad regem perduxit. Is cum prima colloquii die obiurganter exceptus de concordia desperaret, Absalonem per Stephanum orat, tuto sibi discedere liceat. A quo timidius, quam si in patria foret, sentire prohibitus, 10 colloquium repetiuit, pacemque probatis condicionibus impetravit. Enimuero, cunctis Noruagiensium magnatibus in eandem sacramenti formam obstrictis, iureirando pollicitus est, se filium regis Waldemarum, ad modum paruulum, educationis officiis prosecuturum, eundemque prius Nor- 15 uagie ducem, deinde regni heredem futurum, si filius suus Magnus absque liberis iusto matrimonio susceptis decederet. Quin eciam miles regis effectus, quociescumque res posceret, sexaginta Noruagiensium naues in eius comitatum expe- diendas promisit. Cuius paccionis tenorem, Danorum fide 20 laudata, domi post modum in concione uulgauit. Quem Touo disce[n]dentem, reducendi Esberni gracia, proprio sequebatur nauigio. In quo profecturus Esbernus, munificencia gentis arcuum telorumque donis honustus abscedit.

Cum ad Oddam prouinciam peruenisset, ex eius 25 speculatoribus, regem expedicione Pomeraniā petiuisse, cognoscit. Iidem ab eo interrogati, an ullos recenter pyratas* uidissent, quadraginta ferme nauigia ad insulam CLXXIII. Syram appulisse, denunciant, prefati, parum se nosse, negotiatrix an pyratica classis extiterit. His auditis Esber- 30 nus, ut noctu inscios preteriret, neglecto syderis habitu, quam remotissime terras nauigando uitare constituit, pyratico se conspectui subducere cupiens. Sed dum obscuritatis auxilium, expetit, subito collucentis lune fulgore proditur. Nam Sclavi, serena nocte conspecto uelo, 35 obiecta classe nauigantem excipiunt. Quibus conspectis Esbernus, nautas arma capere loricatesque suis in locis consistere hortatus, reliquos secum in proram perductos ex utroque nauigii latere spiculis hostem incessere iubet, ut salutem suam protegere necesse habentes, segnius alienam 40 impeterent. Precepit quoque, cum primum classis obiectum

(332)

p. 554

p. 855

ueli beneficio penetrassent, eodem defensionis genere, quo
 proram instruxerant, se duce puppim communiant, ob-
 servato, ne quis preter eum intra preliandum fandi licenciam
 usurparet, quo melius imperantis iussio exaudiretur. Quem
 5 si[e] occidere contigisset, Touonis uer[t]erentur imperium;
 hic si perisset, Esgero proloquium deferretur; quibus
 prostratis, minimum pugne restaturum dicebat. Quo demum
 loricam sumere uolente, is, qui gubernaculo preerat, quo
 10 se sit protecturus, inquirit, cum, utraque manu circa gu-
 bernandi officium occupata, neutra(m) necessarie defensionis
 usibus aptare possit. Cui continuo Esbernus munimentum,
 quod erat sumpturus, tradidit, seque quam gubernatorem
 hostibus inermem offerre maluit. Quo facto unius hominis
 15 corpus ferro, omnium uero mentes audacia instruxit, tan-
 topere hostes a se contemni demonstrans. Quibus iuxta
 Esberni consilium obedienter ac strenue gestis, postquam
 classis globum aciemque perruperant, primus sequencium
 Sclauorum incursus ui telorum abigitur. Secundus, aliquanto
 20 maiore conatu editus, pari modo repellitur. Tercio barbari,
 tantam unius nauigii uirtutem mirati, cum quibus prelientur,
 interrogant. Respondet Esbernus, frustra nomina rimari,
 qui predam occupare non possint. Hunc uocis iactum
 expertus Ericus, Iurisii filius, uir generis clari, sed cordis
 25 obtusi, quem forte Selaui illie captiuum habebant, quam
 poterat clara uoce predicauit, Esbernum ab eis capi non
 posse. Quo auditu, se ipsos, nisi eo potirentur, inuicem
 execrati, hostilis nauigii latera citra malum communibus
 rostris impellunt. In quo conflictu complures ex eis exani-
 30 mati sunt, Sialandensium nemine periclitato. Cumque
 uentus, cuius non modicum auxilium erat, aliquantulum ex
 pristino habitu remittere uideretur, interrogatus a suis
 Esbernus, an uelo remigium adiicere oporteret, id fieri
 prohibuit, ne nauigacionem metu conficere putarentur.
 Cunque barbaros identidem firmatis animis pertinacius
 35 instare cognoscere[n]t, perseverancie eorum metu, an silex
 intra nauigium suppeteret, percontatus, postquam haberi
 eum animaduertit, malum concendi inque eius cacumine
 ignem extundi precepit. Cuius facti acumine barbaros,
 sequentem classem imitari putantes, ab ulteriore sui in-
 40 sectacione cohibuit. Cum uelum extra prospectum hostium

esse crederet, demisso eo, domesticum in portum remigio peruenit. Ita non minus ingenio suo quam sociorum viribus adiutus, partim a fortitudine, partim ab astucia presidium mutuatus est.

5 Interea rex, Rugianorum classe auctus, perque ostia amnis Z[y]wine Pomeraniam ingressus, Iulini oppidi, ipso intaeto, confinia populatur. Deinde ad fluuum Iulino Caminoque iunctum, uniformem principiis, ostis bipertitum, regia classe progreditur. Cuius nauigacionem crebra sepium (333)
p. 857
10 obstacula a piscatoribus defixa difficilem faciebant. Pons quoque prelongus, Iulini menibus contiguus, media amnis intercione transizione(m) coarctabat, citra quem, impedimentis urgentibus, pernoctatum est. Mane rex continentem aggressus, ex aduerso urbis in ripa australi pontem disiici
15 iussit. Nec minori Sialandensibus piscatorias | sepes conuellere p. 858
studio fuit. Quos cum* Iulinenses, per occultum pontis CLXXXIII^b
transitum cimbis prolapsi, propellere niterentur, Absalon, qui simul cum rege ripam ascenderat, alienis nauigiis correptis,
20 opportunum eis presidium attulit. In cuius clypeum
25 coniecta tela inania cadebant, sociorum scutis immissas euspides retentantibus. Cunque eius nauigium, huic spectaculo procul intentum, hortante rege, proprius accessisset,
repulsis hostibus ingentique pontis parte conuulta, cetere classi nauigandi iter tribuitur. Quam cum oppidani pre-
30 tereuntem scaphis incesserent, Absalon et Suno cymbas suas sagittariis completas eis obiiciunt. Ancepsque exercitacio erat nauiculis uario tormentorum genere decertantibus.
Verum ut Iulinensibus oppidum, ita nostris classis refugio fuit. Ad ultimum cedentes oppidanorum scaphe liberum
35 classi progressum dedere. Quam cum Suno posterius se-queretur, quendam e Iulinensibus, insolencius ripe incur-
santem, ejecto ballista spiculo interemit; eique mox alium subuenire conantem simili ictu prostravit. Quorum cor-
pora totidem, ocios accurrentes, humeris suis excepta
40 celerrime deportarunt. Cunque nostros ob id factum unus ex oppidanis, perinde ac sociorum necem maledictis ulturus, acerbiore conuicio insequeretur, proterue eum Guthskaleus agere predicabat, quod dona, que in alios ultiro collata conspexerit, contumeliosa uerborum uiolencia assequi cupiat.

conspexerit, reliquos, si proprius accessissent, similibus
 equis esse donandos. Quo dicto non solum insectatoris
 petulanciam contudit, uerum eciam oppidanorum omnium
 insolenciam proeuleauit. Inde ad insulam Crisztoam per-
 5 uentum. Cuius incendio abstineri rex, ut annone equorum
 alimentis necessarie parceret, edixit. Proxime ad urbem
 Caminum, permeato amne, proceditur. Cuius septentrionali
 prouincia armis incendioque uastata, prelum eius in ponte
 conseritur. Sub quem Sclaui per occulta uada repentes,
 10 laneis inter rimas porrectis, furtim nostros vulneribus ap-
 petebant. Cuius incommodi fraudem Danicarum illico
 scapharum frequencia disputit. Pontis quoque fragilitas,
 excidium | minitans, amplius quam hostis seuicia in metu
 reponebatur. Igitur omissa urbis oppugnacione, Cryszoam
 15 redditur. Vbi reducende expedicionis, summa cum tocius
 exercitus hesitacione, consilium agitantes, qua parte pon-
 tum repeterent, ambigebant. Nam cum Pomeranorum
 lacus tribus ostiis in fretum decurrat, duobus, Penensi
 uidelicet et Swy[z]nensi, longinquitatis tedio fastiditis, pro-
 20 pinquam Caminensis exitus breuitatem adire placuit. Quem
 Gero quidam, regionis eius locorum peritus, adeo uadosum
 incerteque profunditatis asseruit, ut eum estus duntaxat
 regressu suo meabilem faciat. Cuius cognoscendi gracia
 Absalon cum tribus nauigiis missus, contigi maris seuicia
 25 interpellante, profunditatis habitum excusse rimari non
 potuit. Hic fluuius, ubi lacu emanat, contracciore alueo
 stagnat; progressu uero suo supra amnis modum latitu-
 dinis incrementa suscipiens, eximiam paludem aut facit aut
 inuenit. Rursum ubi pelago influit, pristine contraccionis
 30 mensuram resumit. Quanquam uero classis regia Absa-
 lonis redditum opperiri deberet, nauigacionis ardore precepti
 oblita, imperio festinacioni posthabito, ad idem amnis
 diuerticulum procurrit, ac se ipsam || proprio ductu difficil-
 limis aluei locis inseruit. Cuius cum Christophorus terga
 35 custodis more postremus tutaretur, insultantibus Sclauorum
 nauigiis, haud facilem fluuii ingressum habuit. Quod atten-
 tacionis genus partim uiribus suis, partim sociorum
 auxiliis propulsauit. Cunque rex eodem die Iulinensis
 prouincie denuo inuadende consilium agitasset, Absalon
 40 concubia nocte opportuna ascensui loca scrutatus, ubi

solidiorem fundi situm aduertit, illuc aut palos fixit, aut
 harundines ripe iunctas nodis signauit, posteraque luce
 easdem indiciorum notas secutus, exponendis equitibus
 facilem continentis aditum premonstrauit. Qui cum Magnum,
 5 Erici filium, diurne ex*cursacionis agendeque prede socium
 haberet, eumque incaucus euagantem ab hostibus prope
 interceptum *(audiret)*, quanquam a rege, uicorum incendiis
 insistente, reuertendi imperium accepisset, caritatem obe-
 diencie pretulit, Magnumque, partim nauali, partim equestri
 10 hostium milicia arctissimo in loco conclusum, e uestigio
 concitato agmine superueniens, imminentis exciei periculo
 liberauit. Nec ingratus auxili Magnus salutem suam se
 ei debere confessus est. Ad hec ingentes seruatori grates
 exsoluit, seque eciam spiritum suum, si necesse foret, eius
 15 saluti impensurum promisit. Verum Absalon, memor hanc
 opem a se latam aduersum regis imperium esse, ne tristio-
 rem eius uultum experiretur, graciam, quam contemptu
 leserat, prede obiectu recuperare constituit. Igitur peco-
 rum ordines pre se agi captiuosque in castra precedere
 20 iussit, eoque aspectu permulsos regis oculos in aduentum
 suum sereniores effecit. Is namque, cognitis Absalonis
 operibus spoliisque conspectis, iram, quam contemptui in-
 fixit, uirtuti remisit, eumque leui reprehensionis genere
 uenientem excipere contentus fuit. Repetita classe, aneeps
 25 educende eius consilium fuit. Alii siquidem medias faucium
 angustias ad commodum nauigationis ligonibus patefacere,
 strictasque fluii partes fossorum opera amplandas censem-
 bant. Sed quia manifestum erat, futurum, ut harenis
 maritimo estu appulsis fossa obstrueretur, opus attentatum
 30 non est. Alii naues, subiectis trabibus, communi ui in
 pontum pertrahendas duxere, equitatu utrinque ripas
 tuente. Rugianis solis sex paruulas rates hac arte educere
 contigit, ceteras uero, oneribus ad modum impeditas,
 disiungi quam abstrahi facilius fuit. Igitur cum nostri
 35 infinito procedendi ardore aliquandiu fauces frustra ten-
 tassent, reuocante rege, egre cepto cesserunt. Tanta
 omnes (Absalonem excipio) hoc exitu utendi auiditas
 stimulabat. Is namque, explorato amne, faucium profun-
 ditatem nauigiis inaccessam fore compererat. Interea
 40 Kazymarus, imperita nostrorum secessione gauisus, clau-

dendi amnis gracia quinquaginta nauium classem eius principio | obiiciebat, ratus, nihil hostium fortune preter mortem aut capcionem residui fore. Insignes ei sagittarii Konon et Cirinus fuere, ab Henrico in Scelauorum auxilium
 5 Danorum odio missi. Bugiszlauus quoque cum equestribus copiis superueniens, nauigiis in supplementum fratri transmissis, Iulinenses, quod cum nostris acie non confixerint, ignauiam eis obiectando contempsit. Que res adeo Intensum animos metu confecit, ut Absalonem ueluti concione
 10 circundatum palam conuiciis aggredi deforme non ducerent, eius ductui imputantes, quod proprie festinacionis impulsu commiserant. Quin eciam muliebriter et quasi per lamentum queri ceperunt, olim regum consilia ad illustrium uirorum arbitrium pependisse, nunc in stolidissimi cuiusque monitis sentenciaque consistere. Enimuero Danis eo loci peruentum esse, unde reditus spes presumenda non sit. Quam ob rem pauca nauigia, quibus rex ac principes dilabi possent, publico conamine extrahi oportere, ne Danorum uires ac nomen uno temporis momento funditus collaborerentur. Quam insectacionem Absalon adeo pacienter ac moderate tulit, ut nihil ex consueto mentis aut uultus habitu deponere uideretur; idque solum monere contentus fuit, ut eas tantum ad presens || uoces profunderent, quarum in futuro meminisse non pudeat. Huic
 25 forte obtrectacioni Scorro Wagnonis filius interueniens, primum ob confusas populi uoces, cuiusnam rei mencio haberetur, liquido exaudire non potuit. At ubi, cessante iurgio remissoque strepitu, Absalonem maledico astancium sermone lacerari cognouit, Desipitis, inquit, commilitones,
 30 piissimi ac ualentissimi uiri industriam, tanquam scelus aliquod aut flagicium, obscene uerborum petulancia proculando, ignauasque et indignas fortibus uoces in eius conuicium muliebriter iaciendo. Neque enim strennuam ac fortem operam iniqua estimacione pensare fas est. Ipso
 35 siquidem ductore eas terrarum partes armis lustrauimus, quas ne aspicere quidem maioribus nostris contigit. | Et p. 80
 sane prin*cipibus ductandi, militibus sequendi ius com- CLXII petit. Ergo nos propriis <uiribus> niti, alienis uero imperiis regi conuenit. Neque enim ab eodem et defendi et
 40 ductari debemus. Quapropter nos illi grates habere par

est, qui fortunas suas tocies pro nostra preda uictoriaque deuouit, cuiusque nunc fortissimo ductu eo necessitatibus peruenimus, ut salutem armis protegere debeamus. Iam enim patriam ac penates affectantibus ante hostium oculos 5 conspicuum uirtutis opus edere necesse est, redditumque probitatis actibus impetrare. Has autem populi nostri querelas a summa animorum trepidacione profectas quis dubitet? Sed, pro dolor, quid cause est, quod tot illustrium uirorum precordia tam repente fiducia defecit, 10 ignauia occupauit? Quid nobismet ipsis, nullo concucente, metum parimus, abiectaque spe, sine periculo trepidamus? Corporibus integri sumus, neque nexus neque plagas experti. Dextris enses gestamus, nihilque robori nostro inopia aut clades detraxit. Age, tantam fortune incolumentem uirili mencium robore prosequamur. Meminerimus, 15 nos <uiros> exercitatos, non imbelles feminas esse, et inter pene inermes hostes summa cum armatura uersari. Certe, si classis nostra aut naufragio aut incendio perisset, nihil impedimenti esset, quominus per medios hostes patriam 20 equis repeteremus. Mittite ergo trepidas ignauasque uoces muliebriter auribus tante concionis inserere, exsurgentessque animis, hebetatos fortitudinis neruos pristina uirtutis fiducia recreate. Talibus aliquandiu monitis insistens, pocius obtrectancium ora cohibuit quam animos correxit, depres- 25 sitque iurgium exhortantis auctoritas, quod ei summa pietas ac precipua fortitudo maximam sociorum graciā conciliauerat. Interea Kazymarus, classis nostre pociende spe ad modum incitatus, simulande fiducie graciā tentorio in ripa defixo, aureis argenteisque poculis sibi ac militibus 30 merum propinari constituit. Cuius insolencie fastum fugatus post modum rubore mutauit. Interea Waldemarus principes, a classis pertractacione reuocatos, curatis corporibus ad se coire iubet. Quos cum intra nauigium suum frequentes adesse cognosceret, quid factu potissimum ducant, 35 inquirit. Quibus responsum non dantibus, taciturnitatem miratus, causam eius exponi precepit. Tunc quidam, hesitantibus ceteris, pueros ei in consilium adhibendos dicebat, quorum precipue monitus sectari soleat, ut, quos duces elegerat, eciam reduces habeat. Qua uoce Walde- 40 marus Absalonis sibi familiaritatem exprobrari cognoscens,

non moris esse, inquit, fortis viros inuicem se muliebriter
reprehendere; quin pocius, ubi publice necessitati consu-
litur, priuatas lites facessere oportere. Sed neque homi-
nem, qui ab ipsis impericie damnetur, si consultus fuerit,
5 responsionis ignorancia silencium acturum. Intuensque
Absalonem, quid suadeat, rogat. Ille consilium in expedito
esse, cum eo regi libitum foret uti, pronunciat. Que enim
aliis impedimenta atque obstacula uideantur, dispulso fa-
cilia fore, neque aut nauium obiectum aut equitum in-
10 cursum morari posse, quo minus ea parte egressus pateat,
qua aditus fuerat. Regem quippe, expositis in continentem
equitibus, protegende classis gracia ad ipsas fauces sece-
dere debere, eoque nauigia nonnulla loricatis remigibus
instructa ceteris singulatim preire et classem hostilem,
15 cum primum frequencium comitatus affuisset, irrumpere.
Ridentibus cunctis et, an ipse preius fore uellet, percon-
tantibus, Volo, inquit, ne forcios dixisse nidear quam fe-
cisse. Etenim audacium consiliorum auctores, quod ore
suadent, manu prosequi conuenit. Delectatus consilio rex,
20 Absaloni naues remigesque, quos posceret, expediri pre-
cepit, ac protinus ripam stipatis equitibus petens ad amnis
principium properauit. Quo Kazymarus eminus aduentare
conspecto, relieto ocio tabernaculo, ad classem trepido
cursu se retulit. Septena, delectu habito, nauigia procu-
25 rantur, eademque loricato remige exornantur. E qui*bus CLXX
bina Absalonis fuere, totidemque Esbernus ac Suno du-
ctabant. Reliquis tribus Thorbernum et Olauus et Petrus
Thorstani filius preerant. Cunque Absalon, cetera classe
seriatim subsequi iussa, nauigio primus incederet, ignotum
30 amnis diuerticulum in<of>fenso nauigacionis compendio
penetravit. Cuius reliqua nauis gubernantis errore subito
uadis insedit. Sed hunc deuie nauigacionis excessum, de-
trusa harenis puppe, remigum uelocitas correxit, statimque
barbara classis ceu uentis correpta passim dilabitur. Cuius
35 fugam Dani magnis ac letis uocibus insecuri, discessum
saxi uinculum effuso clamoris gaudio predicabant, deque
accusatoribus Absalonis ueneratores effecti, ingenti gracia
ipsi relata, contumeliam laudibus redemerunt. Sed et eius
animus, moderacionis et constancie uiribus preditus, mobilis
40 uulgi adulacione extolli parui habuit, tantumque se in

despiciendis laudibus gessit, quantum in contemnendis uituperiis egerat. Tantulo negocio tam ingens periculum dispulsum est. Bina Scäuica nauigia remigum metu deserta apud Criztoam a nostris excepta sunt. Tercium substantibus aque palis affixum, sociorum succursu seruatum est. Cumque rex citatis equis Iulinum petisset, Bugiszlaus, circa pontis refectionem ineunde urbis studio occupatus, conspectis Danis, operam fuga mutauit. Adeo illum subita animi trepidacio pristine dictorum suorum insolencie obliuisci coegerat. At rex, confestimi refecto ponte, tanquam hostium opera consummaturus, in australem ripam equites traiecit, quo facilior exonerate classi inter amnis concepta progressus pateret. Quo postquam Absalon subsequenter nauigia ductando peruenit, ne eadem Iulinenses, ut soliti erant, incesserent, instructam sagittarii scapham concendit, eamque medio inter urbem et classem amne direxit. Verum oppidani, nimio timoris haustu perculsi, anxia cum desperacione, tocius militaris fiducie uacui, menibus suis inclusi latebant. Pertransitis impedimentis, nauigiis equi redduntur, defessaque remigio classis in portum colligitur. Cumque Absalon ac Suno consueto excubandi officio postremum fixis anchoris locum cepissent, ueriti, ne eorum nauigia, uento circumferente, sol[id]o propius adacta nocturne equitum irrupcioni paterent, consensis nauiculis, quantum ripa a profundo distaret, curiosa amnis collustracione explorare ceperunt. Interea quidam e Iulinensibus mero solutus, sed uenusta ad modum clientela stipatus, ripam insolencius obequitando petiuit, benignaque eis, Guthscalco interprete, locutus atque obsides pacis postero die dandos pollicitus, reliquiis rerum parci predaque abstineri poposcit. Quo discedere uolente, equus, insolencius ab eo per iactanciam concitatus, subito lapsu corruit, eumque uehementi ictu humo inflictum pene exanimem prostrauit. Hunc satellites ueloci accursu iacentem attollere frustra conati sunt, quippe cuius sensus, halitu intercluso, magnitudine casus sopiti uiderentur; nostrorum uero sagittis petiti capiendum hosti herum liquerunt. Qui protinus a uernulis Absalonis in scapham coniectus, ad liburnam defertur, ubi uisu demum motuque corporis recuperato, inter suos se constitutum existimans,

p. 865

assidentes osculo amplexuque petebat. Quo errore risum spectantibus suscitauit. Interea rumor falso dispersus exercitum subit, hostes impediendi exitus || studio Swynensis ostia crebris occupasse nauigiis. Cuius opinionis fidem 5 idem barbarus rumorem falsitatis arguendo leuauit, prefatus, excussum sibi exploratumque fore, Sclauicum robur Danico adequari non posse. Quod si Pomeranorum uires Polonensibus sociate ferro cum Danis decernere debuissent, malle se tunciusque posse Danicas partes quam aduersas 10 fouere. Ceterum si Polanis ac Sclauis contra Danos dimicaturis eciā Saxonica accessissent auxilia, nescire se, quam partem uictorie propiorem esset auguraturus. Qua asseueracione nostros ad capessendam cum hostium contemptu nauigacionem alacrio*res effecit. Tanta autem CLX
15 timoris uis Sclauorum animos hebetauerat, ut ne extremos quidem, sicut olim consueuerant, incessere tutum ducerent. Petrus quoque, cognomento Toddō, cum nauigium suum palis illisum rupisset, eiusque reficiendi causa abeuntem p. sociorum classem relinqueret, tempus reparacioni impen-
20 sum, ut solitarius, ita omnis periculi immunis exegit, refectaque puppe, subsecutus socios, nemine lacescente, per tutam et liberam nauigacionem ad classem peruenit. Adeo Sclauorum petulanciam pristini metus reliquie castigabant. Ergo inconcussus peracte expedicionis reditus 25 fuit. Residuum anni ocio tributum est.

Rex, Scaniam ingressus, paruo post, Saxonum ir- CLX
rupeione falso nunciata, Scanienses equestri milicie ascriptos (31)
proprio ductu prosequitur, im||perataque Sialandensibus p. 8
nauigacione, Slaglosam adiectus, Absalonem, e portu Hul-
30 yuminensi accitum, multa gerendorum consultacione sollicitat. Preterea se parum ueri rumoris credulitate fatigatum significat, expedicionemque falso nuncio contractam remittit. Habebat autem in clientela Absalon Arnoldum Tylensem, qui siue ingenii acumine siue conjecturarum
35 sagacitate sepe numero futura, ad sua uel amicorum negocia pertinencia, raro presagio deprehendebat. Nec minus antiquitatis quam diuinacionis peritus, sollerti historiarum narracione callebat. Qui cum Absaloni delectandi gracia supradicte expedicionis comes existeret, breui eum manum
40 cum piratis conserturum predixerat, uehementer se mirari

t~~e~~tatus, quo pacto certamini interfuturus non sit, presertim cum inseparabiliter eum comitari decreuerit. Cumque, rege res gestas ex eo cognoscere + cupiente, discessuro Absalone, quiescere rogaretur, pertinacissime precibus obluctatus, non prius rogatui cessit, quam rex operam se daturum pollicetur, ut eum post Absalonem prima luce dimitteret. Erant autem sex nauigia Absalonem comitancia, e quibus tria, quo commodius ignis alimenta contraherent, in superiores maris anfractus concesserant, que post modum estus, subito regressu destituta, ceno paludis affixerat, Absalone totidem residuis exteriora sinus ostia complectente. Qui cum matutino tempore una cum scriba suo religiosum psallendi ritum perageret, tumultuacione eminus audita, quidnam hoc esset, concentorem dispicere iubet. Quo nouem longas naues a se prospici referente, piratas esse non dubitans, stertentes adhuc remiges alta uoce compellat. Quibus summo cum stupore exilientibus, nec ueste, sed armis corpora protegentibus, ocyssime hostes petendum horretatur; quorum iam tanta uicinitas senciebatur, ut ab eis crebris silicibus contunderentur. Quin eciam anchorae uinculis rumpende more gracia dissisis, remigium exerit. At Sclaui, facile nostris metum iniicere rati, ac ueluti ipsorum animos horridis uocibus hebetaturi, ingenti clamore edito, obstrepere ceperunt. Quod postquam frustra se conuictos animaduertere, diffugint, eorumque ratis una cum uniuersis remigibus intercepta. Sed nec Vrcine silue latebra ad se decurrentibus subsidio fuit, agrestibus eam curiosius perlustrandam curantibus.

Ea tempestate Esbernus, urbem Kalundam molitus, noui munimenti presidio portum hostili piratica liberum prestitit. Ipse + quoque et Inguarus et Olauus ultro Absaloni se infatigabili piratici muneris execuzione iunxerunt.

Vere reddito, Christophoro solis prefecture sue uiribus succineto prospera aduersum Brammesios expedicio fuit. Qua peracta, alia protinus regalibus iussis instruitur. Hanc Absalon et Christophorus ducum nomine prosecuti, primi Ma[n]snetam uenere. Qui cum, rege tardius agente, rursum Brammesios aggredi statuissent, aduehitur Eskillus insigni Scaniensium classe stipatus. Hic nuper Hierosolyma regressus, barbam ad modum immissam longinque

p. 813

CLXV^b

p. 814

CLXXVII^{b,23}
(341,47)
p. 878

peregrinacionis testem gerebat. Igitur Absalon, siquid ||
clam tanto uiro experiretur, uicio sibi uertendum existi-
mans, per Esbernum ei, quid cupiat, indicat. Ille, studio
Absalonis impensius laudato, orat, socium se propositi
5 habeat, caniciemque suam iuuenilia quandoque experiri
permittat. Nec segniter promptissimis Scaniensium delectis,
Absalonem secutus, communi nauigacione appulit Laland-
diam. Illic nostris obuie septem Rugianorum rates fuere.
Vnde cum noctu soluisserint, erroris metu peritum nauiga-
10 cionis ex Absalone depositi. Quo recepto, prospero cursu
destinati portus compendium assecutus est. Absalonem
uero noctis opacitas aliquantis nauigacionis excessibus er-
rabundum effecit. Sed nec Sialandenses erroris prorsus
expertes reliquit. Par ignorancia Rugiana quoque nauigia
15 feffellit, et forte in eum locum inciderant, prope quem
Brammesiorum classis pyraticam actura coierat. Cuius rei
inscii Rugiani, cum primum lux affuit, nostrorum se copiis
inserunt, paremque cum ipsis miliciam auspicantur, paucis
ad nauium presidia relictis. Quas Brammesii conspectui
20 subiectas, dilapsis metu custodibus, populantur. Nec preda
spoliisque contenti, bina ex iis nauigia, prestancioris fabrice
uisa, secum abducunt. Que cum, prohibentibus Sialandice
classis custodibus, ulterius amouere non possent, ferro
pertusa merserunt. Vnicam hec prouincia urbem habebat,
25 que a Danis rebus uacua reperta est, incolis eidem defen-
sionem suam credere non audentibus. Cuius desercioni
partim de*fensorum, partim ualli inopia causam prebuit. CL
Antiquam incole uocitabant. Qui menium suorum diffi-
dencia cum coniugibus ac liberis ad ecclesiam extra uallum
30 sitam certatim se contulerant, religionis quam belli pre-
sidio tuiiores futuri, pacisque domicilio periculum uitaturi.
Sed nec quisquam e nostris ad eorum bona manus por-
rigere ausus est, ne predandi libido sacrilegio implicaretur,
quanquam in sacra ede iniquas opes attentare nefas non
35 esset. Neque enim religionis auctoritas eius detractoribus
auxilio obtentuique fore debuerat. Iamque militante Ab-
salone, Eskillus, nequid consuete religionis omitteret, pri-
mam sacris operam exhibebat. Cuius animo tantus hostium
contemptus incesserat, ut in exercitu toga, non armis ute-
40 retur. Interea Hurna quidam et Marcera[r]dus, quem Adulfus,

Holsatiae prefectus, filio moriens tutorem reliquerat, Danorum copiis superbo sermone contemptis, ingentem Sclauorum Saxonumque manum contraxerant. Forte autem nostris, intermisso obequitandi labore, respirandi gracia aliquantis per
 5 humi cubantibus, Eskillus adeo se etatis magnitudine contusum confractumque asseuerabat, ut ne equum quidem sine adiutore descendere posset. At ubi hostes in conspectum uenere, quo quis iuuene ocior equum insiluit, ita ut corporis eius rubor nulla ex parte quassatum putares.
 10 Adeo uirtus etati imperat. Itaque qui dictis senectutem causatus fuerat, hanc post modum factis iuuentam redolentibus decorabat; quem in hanc uirtutis dissimulacionem nihil preter uirtutem adduxit. Eodem forte tempore ex nostris manus paruula, prede dulcedine a ceteris digressa,
 15 cum hostes militum numero superiores et fuga uitare deforme duceret et pugna | aggredi non auderet, inter metum pudoremque defixa, sociorum prestolabatur aduentum. Inter quam et reliquas nostri exercitus copias palustribus aquis medius fluebat, uno tantum uado meabilis, riuus. Quem
 20 Absalon, cunctante primipilo, primus equo transgressus, sequentibus superande difficultatis compendium premonstravit. Cuius rei ignari hostes securius quam caucius operiebantur, Danicorum equitum aduentum editi montis interiectu celante. Igitur qui prius a nostris diuulsi fuerant,
 25 non expectato sociorum auxilio, quod sibi tam propinquum cernebant, auide in hostem procurrunt, ne bellum proprio metu dilatum aliena uirtute expetere uiderentur. Quorum Sclavi paucitate contempta, postquam maiorem hac aciem, humilioribus locis relictis, montis iuga superare conspiquant,
 30 terga uertentes, ab iis, quorum vires summa animi dictique petulancia lacessierant, nullo negocio funduntur. Tantum semper ludibrii insolencie exitus afferre consuevit. Tunc quidam ex nostris, quos ex fugientibus occupabant, nuda hastarum parte equis detrudere contenti, ob communem
 35 religionem ferro prosternere passi non sunt, ne peremptorum cedes plus percussoris anime noceret, quam glorie prodesset. Quam iniuriam beneficij loco a passis acceptam crediderim. Ingenti deinde preda acta, tam diu in littore perstatum est, quoad Rugianorum nauigia, que Brammesii
 40 uiolauerant, reficerentur.

p. 881

(343)

Interea Henrico duce apud Bauaros agente, uniuersi
 Saxonum satrape gerendi cum Danis belli cupiditate, quod
 minimo conficiendum negocio arbitrabantur, insignem uiri-
 bus exercitum amplificabant. Qui in itinere, profugis oc-
 5 currentibus, accipiunt, Danos non rustica aut ignobili
 armatura, sed operoso ac militari instrumento bella gerere
 solere, tanteque in Christianos clemencie esse, ut fugientes
 colaphis quam armis insectari maluerint. Nam aciem
 suam, eum ab eis capi intercipique posset, equis, non
 10 spiritu spoliatam; auctorem uero victorie solum Siallan-
 densium antistitem extitisse. Id mirum satrapis uisum.
 Quorum unus Guncellinus, cui[us] bellice uirtutis expe-
 riencia apud Henricum ducem familiaritatis palmam crea-
 uerat, de re presenti a ceteris consultus, Absaloni in ma-
 15 ritimis occurrendum monebat, quod cum unius insule manu
 dimicare magni non sit. Interrogatus ab iisdem rursum,
 an cum ipso rege manum tuto conserere* possent, ne id clxx
 quidem Henrico duci sine periculo audendum respondit.
 Quo dicto cunctantibus cunetis Daniceque uirtutis impetum
 20 formidantibus, uiam se tucioris consilii repperisse subiunxit.
 Nam cum uniuerso Danorum uires maritima expedicione
 confluxerint, si interim Slesuicensium partes hostiliter pe-
 terentur, plus dispendii Danos, quam foris inferant, domi
 esse passuros. Quo auditio, Bernardus Razaburgensis in
 25 eam prouinciam arma se translaturum negabat, quam per
 regem beneficij iure possideat. Sed neque Slesuicensium
 portas, tametsi rex extrinsecus agat, adeo usque defen-
 soribus carere, ut plane hosti patere uideantur. Nam
 earum custodiam sexaginta Danorum milibus esse man-
 30 datam. Quod audiens Henricus, qui Saxonie primatum
 uicario nomine amministrabat, bellum a se Danis temere
 parari protestatus est, qui pacis patriaeque caritate flagrantes,
 propulsande magis quam irrogande iniurie gracia, aduersum
 insolentissimos seruos teterimosque latrones Marteni in-
 35 ducant. Quos cum innocentes incessere nefas habeatur,
 Tartares sedes mereri, qui tam iuste gentis cruore manus
 suas contaminare presuinerent. His monitis decretum
 remittende expedicionis obtinuit, cunctis tam indignum
 milicie genus detrectandum censemibus. Igitur Guncelli-
 40 nus, qui bellice uirtutis operibus apud Henricum excel-

lente[m] familiaritatis locum meruerat, cum sentenciam suam
 sociorum arbitrio damnatam animaduerteret, pacificandum
 cum nostris ratus, Sunonem poposcit, eoque compositionis
 partes plenius exhibente, usque ad Henrici dueis e Bauaria
⁵ redditum belli dilacionem obtinuit. Rex deinde Rugiam
 aduceetus, Circipanensem statuit attentare projuineiam. Quam
 dum peteret, eximiam uaste cenulenteque palidis difficultatem
 offendit. Cuius superficies, tenero uestita cespite,
^{p. 884}
 graminis quidem ferax, sed uestigii ita impaciens erat, ut
¹⁰ plerunque calcantes obrueret. Nam limo funditus subsidente,
 in luteas uoragine sordidamque colluuiem prolabantur.
 Haud aliud progressuris iter patebat. Tunc equites,
 extenuande difficultatis uitandeque lassitudinis gracia, arma
 sibi detracta equis imponunt, eosque preuii ductare cepe-
¹⁵ runt. Quos ut aleius ceno obrutus sustentabant, ita, cum
 et ipsi duetando subsiderent, equorum comam amplexi ful-
 ciebantur. Riuulos quoque, qui in ea palude cerebri ad
 modum diseurrebant, nexit uirgarum compagibus superant.
 Tunc uero || insignis quorundam probitas fuit. Nam quidam
²⁰ ex equitibus armis onusti, ductis post se equis, passibus
 incedebant, agilitatis fiducia onera abiicere reeusantes.
 Quorum factum hoc illustrius, quo inusitacius extitit.
 Sed et equi, dum corpus lacunis immersum audius erigunt,
 interdum ductores ungulis obruunt. Rex ipse, duorum
²⁵ militum humeris innixus, omnibus preter proximam eor-
 pori uestem reiectis, egre limi molliciem superat. Raro
 umquam plus sudoris Danica uirtus expendit. Ingentem
 hostibus peragrate palidis ammiracio stuporem inuexit,
 neque illis resistere tutum ducebant, a quibus et ipsam
³⁰ rerum naturam superatam cernebant. Victor tante difficultatis exercitus haud secus, quam si hostem fudisset,
 alacer incedebat. Ingentes deinde siluas emensus, animaduertit uicum apta nauigiis palude circundatum. Is aquarum natura quam arte munior erat, eaque duntaxat parte
³⁵ uallum habebat, quam pons inter ipsum et continentem porrectus tangebat. Hunc princeps urbis, Otimarus, prohibendi aditus gracia, aduentante exercitu, undis illico exequare curauit, solis stipitum reliquiis inter aquam manentibus. Quas nostri ceu quedam alterius pontis iaciendi
⁽³⁴⁴⁾
⁴⁰ fundamenta sortiti, propinque uille sepibus applicatis, pau-

latim intermeande paludis compendium moliuntur. Huius ^{clxxx}
 itaque loci oppugnacionem rex, hortante menium inopia,
 aggressus, Absalone cum maiore equitatus parte predatum
 missio, quecunque exedificandi pontis instrumento oppor-
 tuna animaduerit, summo negocio contrahit. Huis operis
 contextum uerentes oppidani, contractis undique sudibus,
 ligneam & turrim instituunt, cuius presidio hostem tanquam
 aree uetarent; eiusque propugnaculis freti nostros, pro-
 mouendo operi quam protegendo corpori intenciores, im-
 missis subito funditoribus, incessere ceperunt. Contra
 Dani, sagittis decernere adorsi, quia proprius accedere ne-
 quibant, rem eminus tentant. Nec minus Otimarus noui
 pontis progressu territus, stagnum rate transgressus, regem
 petebat, ac prout nostrorum operam aut segnem aut
 uegetam animaduerit, ita nunc parcius, nunc impensis
 pacis supplicaciones agebat, semperque pro oppugnacionis
 habitu dpcionis uerba concipiebat. Tunc uero remissior
 operis execucio fuit. Sciebant enim milites, si bellum
 reuocari deberet, pontem a se conseri non oportere. In
 quem tanta iam armatorum moles concesserat, ut ne locus
 quidem suppe(di)tandis, que structure necessaria forent,
 suppeteret. Adeo uincendi auida multitudo operandi angu-
 stias sibi ipsa conciuit. Sed nec aliter allate sepium moles,
 quam super militum uertices eorundem manibus ductate,
 proferri poterant. Nec inutilis ea necessitas fuit, cum sepes
 in altum librate non minus corporibus muniendis profice-
 rent, quam aquis sterpendis prodessent. Eodem exemplo
 uulneribus saucii referebantur. Tum uero rarior tenuiorque
 pontis contextus fiebat, militibus plus eius incrementis
 quam firmitati studentibus. Et iam pene eundem insule
 commiserant, eum hostes, partim arte, partim uiribus freti,
 nouo pugnandi genere bellum exaggerant. Siquidem ha-
 statas falces & turri directas ad militum nostrorum scuta
 tendebant, eaque pertinacius apprehensa prelantibus de-
 trahebant. Obnitentes interdum uiolenciore tractu ponte
 excusso profundum petere cogebant. Cui malo ni matu-
 rius occursum fuisse, Danorum iuuentus prope modum
 scutis uacua occubuisse. Nam ex nostris quidam, lignei
 unci amminiculo iniecta sibi falce potitus, eadem ceteras
 occupando hostem subsidio spoliabat. Iainque dies occiduus

erat, cum rex, contigue noctis metu, quid potissimum ageret, incertus, seram oppidi capeionem futurumque pontis incendium uerebatur. Quis rebus cum se urgeri animaduerteret, ne uicto similis magno cum ignauie | rubore ab
 5 oppugnacione discederet, ad intuendas Otimari preces paulatim animum deflexit. Quem desperacionis errorem Absalon, cum ingenti preda superueniens, consilii || sagacitate mire discussit. Siquidem regem, si se ignaro Otimari uotis annueret, exaceratus, interpretemque secrecius abductum,
 10 quecunque a barbaro pacifice tractarentur, contrario modo exponere hortatus, armatus in pontem descendit, militesque, eum prohibende pugne gracia adesse ratos, acrius instare compellit, predam, si uincerent, eorum iuris futuram pollicitus. Grata militibus promissio fuit. Iamque explicito
 15 opere, alacres non solum telluris aditum, sed et turris fastigium occupant; quam scalis gradibusque adorti, fundunt obuios, resistentes obtruncant. Tunc Herberthus, eques Danicus, ne, pontis angustiis officientibus ac turba sociorum obstante, tardior superueniret, facilem ad hostes
 20 transitum nouo irrupcionis genere quesiuist. Etenim, armorum onere retento, profundo se credidit, quosque gradu non poterat, incredibili nandi uirtute precessit. Quod factum emulantibus ceteris, tenerani pontis compaginem militum concursus repente subsidere coegit. Cuius ruina
 25 Absalonem quoque* inter alios excussum pessundedit. Qui ^{CLXXIX^b} cum nandi astu calleret, tametsi armis obsitus esset, non solum inter undas securus emersit, uerum eciam alios, eius artis ignaros, ab imminenti periculo tutos prestitit. Interea Selaui, non suppetentibus ad fugam nauigiis, dolis
 30 se committere ausi, iisdem pro rotunditatis habitu circumvoluentibus, ab insequentibus occupantur. Qui nimirum ob inusitatum nauigandi genus ut suis miserabiles, ita nostris ridiculi fuere. Itaque ludibrio permixta eorum infelicitas erat. Capto uico, trucidantur mares, femine captiuantur.
 35 Fuere eciam, qui regi capiendi Otimari consilium instillarent; quem, ne recentis uictorie gloriam unius hominis perfida capeione corrumperet, iniuiolatum dimisit, hostique parcere quam fame nocere maluit. Cum omni deinde exercitu pristinum iter remensus, prius classem, mox pa-
 40 triam repetiuit.

p. 886

(345)

Postera estate Henricus, Bauaria reuersus, apud
 Eydoram solenne cum Danis colloquium habuit. In quo
 ob prosperos rerum successus adeo se insolenter ac tumide
 egit, ut medium pontis, sieut ante consueuerat, uisendi
⁵ regis causa transgredi recusaret, ne sibi dignitate prestare,
 quem peteret, fateretur, immemor prorsus, illum paternum
 auitumque regimen gerere, sibi alieni imperii prefecturam
 cessisse. Quam insolenciam rex adeo pacienter ac moderate
 tulit, ut in eius occursum, exequatis pontis spaciis, tan-
¹⁰ quam par, non maior, descenderet, honoraciorem se ratus,
 si cum indignantis uiri fastu humilitate certasset. Siquidem
 preditus mansuetudine animus celsitudinem suam citra
 debitam maiestati ueneracionem submittere, quam aliena
 superbie exemplo insolescere maluit. Itaque pace cum
¹⁵ Henrico eomposita, Absalon, cum secus Stethiumense
 promontorium nauigacionem haberet, leuibus saxis et ad
 iaciendum habilibus in eius littore lectitatis nauigium onerat,
 usurus eis ad castelli tuicionem, quod in publico negocia-
 torum portu condiderat. Quibus nauigio impositis, ad idem
²⁰ castellum postera die peruenit. Vbi cum mundiciarum
 gracia balneis uteretur, animaduertit, cuiusdam nauis e
 septentrione uenientis mencionem foris stancium collocu-
 tione crebrescere. Quam ut piraticam intellexit, semiloto
 corpore uestem poposcit, nauemque, quam in portu uelatam
²⁵ dimiserat, remigibus lituo contractis, consensam in altum
 dirigere curauit. Nicolaus quoque, qui clientele eius et
 stabuli curam habebat, aliud nauigium, iampridem rimarum
 uicio pessundatum, exhausta sentina, ad pacientem nauiga-
 cionis habitum celeriter perduxit. Sed Absalon uelo, Nico-
³⁰ laus remigio piratas petebat. Qui cum Absallonis nauiga-
 cionem suam superare consiperent, callidum fuge com-
 mentum amplexi, submisso uelo, contrariam uento nauiga-
 cionem remigio moluntur. Id attentantibus Nicolaus rate
 obuius fuit. Quam aduersa nauigacione petentes, mira
³⁵ gubernatoris solertia fefellere. Nam cum ad eius pene
 contactum peruenissent, obliquato remigio, in illud nauigii
 sui latus, quod ab hostibus auersum erat, pariter concurrere
 iussi, reliqui se erigentis oppositu perinde ac muro hostilia,
 quibus incessebantur, iacula uitauere. Sic hoste eluso
⁴⁰ diuerticulum nacti, callidis nauigacionis ambagibus recessus

petebant. Quos tanta fuge audiitas ceperat, ut, cum ingens
 telorum uis in eorum nauigium effunderetur, eciam manus
 sagittis traecti, manentibus spiculis, remigandi officia non
 omitterent. Adeo illos timoris magnitudo uulnerum mole-
 stiam negligere coegit. Fuerunt eciam, qui, undis impensis
 obluctantes, uitam remigio finirent. Alii, telis terga con-
 fixi, maiorem nauigandi quam spicula propriis corporibus
 auellendi curam prestabant. Adeo illis minorum uulnerum
 dolorem maiorum metus ademerat. Cumque anceps diu
 10 nauigacionis certamen fuisset, quod ex remigiorum uolu-
 eritate pen*debat, nostris tandem superantibus, occupantur. CLXXX*
 Tunc quidam ex eis, indubitati periculi metu, ferrum ex-
 pectare non ausi in undas desiliunt, mortemque sibi ipsi
 inferre quam ab hoste recipere maluerunt. Itaque plerun-
 que timidos unius periculi metus in aliud precipites iactare
 consuevit. Maxima horum pars, qui fluctibus abstinuerant,
 ferro perempta est, quanquam ignobile sociorum fatum
 comitari nolentibus iure parcendum uideretur. Quorum
 capita corporibus auulsa propter Absalonice urbis menia
 20 iisdem stipitibus affixa sunt, qui nuper aliorum piratarum
 a Sialandensibus captorum ceruicibus onusti fuerant. Ea
 res ingenti predones pauore confecit. Plurimum siquidem
 ad extirpanda piratarum latrocinia spectaculi huius atrocitas
 ualuit. Gubernator ipse cum paucis ad modum remigibus
 25 captus, cum falsam redempcionis spem animo presumpsisset,
 ac forte putria sociorum capita conspicatus, idem se Danis
 facturum dixisset, captiuitatis suppliciis consumptus est,
 penasque non solum ueteris piratice, sed eciam recencium
 minarum exicio pependit. p. 890
 30 Per idem tempus Esbernus et Wethemannus, opportu-
 nas patrie excubias multo nauigacionis impendio prosecuti,
 sedulunque piratice opus ingressi, in septem piraticos mio-
 parones quatuor incidere nauigiis. Tunc Mirocus, pugil
 35 spacia continere non passus, Wethemanni se appetentis
 nauigium uirtutis fiducia solitarius insilit, cedentibusque
 per ignauiam remigibus, neminem in eo preter Wetheman-
 num rebellem habuit. Quos Esbernus rate preteriens, risu
 40 iuuare sustinuit, ne pluribus aduersum unum opem tulisse

uideretur. Progressus itaque Strumicum, athletam iusignis fortitudinis, capit. Sed nec prius Mirocus, ut pedem referret, urgeri poterat, quam alius nauigii superuenientis uiribus arceretur. Cuius respectui tantum ueneracionis a uictoribus 5 tributum est, ut, cum captus supplicium mereretur, redempcionem acceperit, pociisque in eo probitas honorata sit quam facinora punita. Ita cum impietati pernicies deberetur, fortitudini salus donata est.

10

* * *

Interea Kazymarus et Bu[r]giszlaus Danicarum uirium metu Henrico se subdunt, regnumque suum hucusque liberum Saxonici muneris faciunt. Ergo dum ex hostibus alterum, 15 metuunt, alterius iugum sumpserunt, auxiliumque petendo antique libertatis beneficium amiserunt. Sed Waldemarus, Saxoniam opem frustra a Sclauis petitam iudicans, utroque hoste contempto, cum instructa classe Stitimum, ueterimum Pomeranie oppidum, petit. Huius nauigacionis predecessor 20 Absalon benigni erga Stitinenses animi ductorem habebat. Cuius fraude per Oddore amnis dispendia abductus, ceteris rectam et compendiariam nauigacionem sequentibus, mutato ordine postremus ad urbem peruenit. Est autem Stitimum eminentis ualli sublimitate conspicuum, insuper natura arce- 25 que equaliter munitum, ut inexpugnabile pene existimari possit. Hinc mos prouerbii sumptus, eos, qui se tutos inaniter iactant, Stitini presidio non defendi. Huius tamen urbis expugnacionem Dani spe uiribus maiore complexi, cum materiam eius partim incendii capacem animaduerterent, 30 constructas uirgis crates ad modum breues, ob iacula uitanda, uelut scuta pre se gestabant, iisdemque freti ligonibus aggerem petere ceperunt, tucius intra euniculorum latebras ignem sparsuri. Rex interim oppugnacionem orsus, muralibus machinis omissis, coronam admouit. 35 Solis sagittariis ac funditoribus excelsa menium propugnacula appetere possibile fuit, aditum fastigio negante. Fuere tamen ex iuuenibus, qui glorie studio summa menium clypeis tantum protecti concenterent. Alii contiguas solo portas, contemptis propugnatoribus, 40 comminus securibus tentant; minusque eis quam procul

CLXXX
(337.
p. 88)

p. 867

agentibus periculi fuit, quod tanta telorum uis in hostes undique congregebatur, ut ab iis non nisi remociores cerni impetique possent. Quo euenit, ut audacia salutem, ignauia discrimen afferret, tucioresque propinquitas quam remocio prestaret. E contrario Danorum armis non magis propugnatores ipsi quam ceteri intra urbem populares opprimebantur, ancipiti iactu ualli consepta transcendentibus telis. Nulla res oppido magis aduersum oppugnancium multitudinem quam defensorum paucitas nocuit, utpote quorum bellicus labor successionis auxilium non habebat. Prefectus urbis Wa(r)thyslauus erat, qui et ipse Bugiszlauo et Kazimaro sanguine contiguus habebatur. Huius animus, nihil pene cum ciuium ingeniis commune sortitus, tanto amplificande exornandeque religionis studio flagrabat, ut Sclauico sanguine editum barbarisque moribus imbutum negares; siquidem, ut patriam supersticioni deditam ab errore || cultus reuocaret, exemplumque ei corrigende credulitatis proponeret, monachalis uite uiris e Dania adeitis, in latifundio suo cellam exstruxit, eamque multis et magnis stipendiis locupletauit. Qui cum, lassatis pugna sociis, urbem capioni propinquam animaduerteret, hostium seuiciam ueritus, offerende dedicionis gracia pacem petiuit, acceptaque fide, protinus a pauoris consortibus funiculo submissus, regia castra petere non dubitauit. Quo uiso, Danorum populus languidius pugnam exercuit, periculis suis regi pecuniam emi, seque eius cupiditate uictoria pariter ac preda fraudari conquestus. Quo rex animaduerso, demende note cupidine, urbem equo circuiens milites ad insistendum hortari cepit. Postquam, multo labore edito, cassam ac difficilem oppugnacio*nem aspergit, CLXXVI* reuersus in castra, Wartyszlauum admittit. Cuius precibus motus dedendi potestatem oppidanis indulxit, pecuniamque, quantam egre uniuersa Sclauia exsoluere posset, cum ob-sidibus pactus, statuit, ut urbem Wartyszlaus a se in beneficium receptam, tanquam regium munus, consorcio Sclauice dominacionis eriperet. Igitur, reuocatis ab oppugnacione militibus, neque capi urbem neque diripi passus, signum suum propugnaculis affigi precepit, recepte dedicionis indicia prebiturum. Illuc cernere erat uallum ab imo in summum ita sagittis undique consitum, ut harundine

(338)

p. 868

concretum putaretur. Quas nostri ingenti studio lectas
 pharetris reddiderunt. Post hec nauigacionem remensi,
 capto Lyubino, Rulgiam reuehuntur; et quoniam Rugiane
 pascacionis tempus superuenerat, in commune consultum
 5 est, eo loci tercia tocius classis parte excubias ordinari,
 ne publicis alimentis petendis hostilis uicinie metus officeret.
 Huic manui Kanutus Priszlaui filius a rege preesse iussus,
 deformiter imperio repugnauit, prefatus, se nihil preter
 angustos Lalandie fines in Dania possidere, eosque tanti
 10 non esse, ut pro iis tuendis se ipsum indubitato periculo
 obiicere cupiat. Ceterum id negotii iustius ad pontifices,
 quos solos rex arbitros habeat, pertinere, quod tanto in-
 dignius ad se referri, quanto remociorem a regis familia-
 ritate gradum obtineat. Tam impudenti iuuenis responso
 15 percitus Waldemarus, exigua illum beneficia, quod exquis
 dignus sit, accepisse respondit, de cetero, se efficiente,
 spoliandum magis honoribus quam beandum. Sed nec
 eum pontificum familiaritatem inter probra ducere oportere,
 e quorum numero reperire facile sit, qui presens negotium
 20 suo ductu finire non abnuat. Ita Kanuto imperium de-
 trectante, Absalonem accersit, eique Kanuti responsionem
 exponit; deinde, an naues, quibus ipsum preesse oporteat,
 instruxisset, perquirit. Contra Absalon, interrogato, an ea
 res pontificum opera absolu posset, suam cupidius offert,
 25 predicando, consentaneum desercioni opus fore, regem
 periculis relictum, redditum affectando, dimittere. Quem
 Waldemarus ob responsi uirtutem impensis oribus uerbis
 laudatum, Kanuti moribus dissimilem predicabat, quod ille
 imperio parere non audeat, hic iussum ultronea suimet
 30 oblacione precurrat. Regressus a rege Absalon amicis e
 Sialandia denunciat, ne eo torpidius remansuras' naues in-
 struant, quod ab ipso ductari regique debeant. Primus
 Thorbernus incunctanter se comitem eius futurum respondit,
 cuius succursu quondam patriam exuli sibi redditam esse
 35 meminerit. Petrus quoque Thorstani filius non sine magno
 rubore | eum a se deseriri posse, quem et necessitudinis et
 matrimonii affinitate contingeret, predicabat. Cuius comit-
 audi Suno non minus sibi quam ipsis debitum incumbere
 professus est, quod ei intima iunctus propinquitate noscatur.
 40 Esbernum, quem solum fratrem habebat, comitatu suo or-

bandum negabat. In hunc modum tota pene Sialandensium classis condixit. Quo cognito, rex non solum ipsis, sed et Absaloni grates habuit, qui || sibi tam propensum eiuum fauorem uirtutis meritis peperisset. Igitur Absalon (339) 5 post regis discessum ad tuendos Rugie fines relictus, non tam tutam incolis euagacionem, quam securam ipsi Danie quietem prestitit, Pomeranorum classe patrie terminis excedere non audente. Huic Sueno Arusiensis cum aliquanta Iutensium manu voluntarius operum comes ac socius fuit.

10 Eo tempore princeps Rugie Tetyslauus cum Iarimaro fratre superueniens, graciis Absaloni actis, tum ei, tum cetere classi suffecturos excubiis commeatus benignissime prestitit, eisque inter nauigia diuidendis industrios ex nostris uiros prefici postulauit. Sed, Iutis allata passim et sine 15 distribucione rapientibus, Absalon hac munificencia ulterius uti noluit, excepto, quod halec e capture sibi deferri constituit, ne obsequium iniuria re[p]enderetur. Inde domum repetitur, apud insulam Thynniam sequacem Iutorum classem dimittit. Quorum incaucior pars dum australia 20 Fionie latera preteruehitur,* apud urbem a Kanuto Priszlaui CLXXVI^b filio conditam, pyratis obuiis, terrestri sibi fuga consuluit, nauesque suas metu deserere pudori non duxit. Qua fama accensus Absalon, contracta ociosus classe, magno scrutandi studio loca, que maxime pyratis familiaria nouerat, indagabat. Igitur opacos insularum anfractus et abstrusos maris angulos assidua nauigacione rimatus, miseras captarum nauium reliquias tristiaque prede uestigia repperit. Quarum inuentu uleionis aidior redditus, diuisa classe, separatim lustracionis officium peragi iussit; ipse ad insula 25 Ma[n]snetam cum pociore Sialandensium classe | concessit. Iamque preuie nauigacionis excursu socie classis conspectu excesserat, cum forte quidam in destinato consistens littore, crebra pilei uentilacione colloquium eius expetere uidebatur. Quem magne rei nuncium arbitratus, 30 incognita ex eo cognoscendi cupidine, uelo posito, terram cymba petuit. Agnitique eminus hominis fidem prima uoce damnauit, quod egressse nuper a Sclaus pyratice parum eo prescius fuerat. Is namque bissenas nummum libras annuatim mercedis loco pactus, quocies quatuor 35 pluresue pyratice mioparones Daniam petere statuissent,

p. 871

p. 872

indicia ad Absalonem se delatum promiserat. Cuius non alia saluandi promissi ratio extitit, quam quod ante paccionem secum initam pyratas profectos asseruit. Idem Absalonem, quorsum tenderet, percontatus, ut comperit, 5 domos repetere uelle, tunc denique expedicionem ab eo solui, cum inchoari debuerat, atruebat. Iam quippe a Selauis aduersum Daniam ingentem classem esse contractam. Quod ut cognitum sibi compertumque fore, ita ambiguum exstare, quasnam Danie partes hoc paratu petere 10 destinauerit. Estuante Absalone et, quo se hostes effusuri essent, prediscere cupiente, exploracionem promittit, prequisito, quo nuncium referre debeat. Absalon promontorium Mønense designat, rogatque tempus, quo obuim mittere debeat. Ille diem sextum definit. Nec 15 diutule moratus abscedit, priusque conspectum fefellerat, quam comes Absalonis classis appelleret. Nostrorum si quidem presenciam perosus, repente dilabi cure habuit, ne, re comperta, proditi ciuium consilii morte aut exilio supplicia lueret. Nec rem Absalon tacite habuit. Siquidem 20 acceptum nuncium uenienti sociorum classi, suppresso auctoris uocabulo, | publicauit, prefatus, tune a se domos repeti, cum classem exerci sacius foret. Ignaris eunetis, quoniam id auctore compertum haberet, tantamque eius prescienciam ammirantibus, bifariam opeione diuisa, deliberare eos iubet, 25 aucta classe an contracto equitatu uenturum hostem repellere mallent. Quod si neutrum probent, uel littorum incolas, quo minus pyratarum seuicie pateant, propriis relictis, tucioribus recipi locis iubeant. Igitur magnates concordi sentenciarum uoto, neque incertam hostium appulsionem || 30 equitatu excipere promptum, neque littorale uulgs ad interiora reiicere speciosum ducentes, naualiter configendum decernunt. Igitur portibus augende classis gracia repetitis, remiges, uelata nauigia dimittere iussi, passim ad petendos alterius expedicionis commeatus discurrere ceperunt. Ab- 35 salon ob nonnulla negocia Roskyldiam proficiscitur. Quem inde reuertentem hybernum subito frigus exceptit, cuius tanta uis fuit, ut eciā aquas repente crustaret. Cunque Sialandensium populares, contractis alimentis, onustos commeatisbus currus nauigia repetendo ductarent, tanta 40 glacialis luti moles rotatū orbes implicuit, ut prorsus

gyrate non possent. Quippe pertinax gelu ueluti glutino
 quodam lignis limum astrinxerat. Quo euenit, ut curruum
 rectores, iisdem relictis, iumenta oneribus subderent ipsique
 pedestriu[m] ductorum officia subirent; quorum ocreas gelate
 5 sordium tabes, supra quam tibie ferre poterant, onerabant.
 Hos cum Absalon, equo preteriens, miseratoriis uerbis
 prosequeretur, duraque pro patria perpeti predicaret,
 responderunt, maioris erumne esse, captiuum pyraticis* in
 transtris considere, plusque se ex presenti labore | uolu-
 10 ptatis quam amaritudinis capere. Igitur expedicionem
 orsus, cum prope Mønam uenisset, obuium accipit, quem
 nuper ad eiusdem insule promontorium nouarum rerum ex
 Sclauo cognoscendarum causa transmiserat. Illic accepit,
 classem Sclauicam, Swaldensi in portu morantem, petende
 15 Møne propositum gerere, in australi ipsius littore equites,
 pedites in septentrionali edituram, nauigia uero Kyalbyensis
 sinus anfractibus immissuram. Quam iccireo copias spar-
 gendas duxisse, ne incolis ullus fuge locus admitteretur.
 Quo comperto, optimum arbitratus est, tranquillo nauiga-
 20 cionis genere Coztam petere, nec prius ab ea diuertere,
 quam classis hostica se ipsam ex consulto predicti sinus
 angustiis infudisset. Cui si inopinate superuenire nequeat,
 reliquas hostium copias occupatu facillimas autumabat,
 quibus nullus absque nauigiis reditus pateat. Sclauis
 25 segnius agentibus, dilacionem miratus, Falstriam petit,
 ibique e tota classe bina nauigia legit, quibus hostium
 actus speculari precepit. Horum alterum Sialandensibus,
 alterum Falstrensibus instruere iussum, statuto, ut, si
 eadem ab hoste capi contigisset, reliqua classis impensis
 30 redempcio taxaretur. Quod audiens, qui a Sialandensibus
 in alterius nauigii regimen adeitus fuerat, operam se da-
 turum asseuerabat, ne redempcionis beneficium captiuitatis
 iniuria pacisci necesse habeat. Quod non ignauie causa
 officium detrectando, sed uigilantis industrie fiducia | secu-
 35 ritatem presumendo astruxit. Verum Absalone Coztam
 regresso, Guemmerus quidam, conuiuo Falstrensibus pre-
 bito, nauem, que speculandi gracia ab eis expediri debuerat,
 epularum dulcedine retentabat. Siquidem, humanitatis
 specie fraudem occultans, omnium sobrietatem eximio
 40 pacionis onere fatigatam ad salutare Absalonis imperium

CLXXVII^a

p. 874

p. 875

exequendum lentam nimis inhabilemque reddiderat. Is
 Guemmerus, nimia Sclauorum familiaritate corruptus, nostre
 gentis consilia latenter eis prodere consueuerat. Eodem
 quoque tempore Sialandensium classem corpore magis
 5 quam animo secutus fuerat. Ad cuius penates Sclauui, iam
 portu Swaldensi petende Falstrie proposito egressi, pre-
 mittunt, qui ipsum super Danorum negotiis secrecius per-
 contentur. Tunc uero Guemmerus, ab Absalone in classem
 uocatus, patrie excubias specie, re uera insidias exhibebat.
 10 Qua de re nuncii per eius domesticos cerciores effecti,
 mature suis, que acceperant, indicaut. Ea res Sclauice
 classis ceptum propositumque frustrata est. Itaque ceteris
 rebus omissis, ad sinum, quem uiridem uocant, appellere
 contenti fuere. In cuius littore crucem religiosa ab incolis
 15 cura constructam excidere adorsi sunt, insigni stipitis ||
 ruina maiorem pyratice gloriam habituri. Cuius sacrilege
 temeritatis supplicia post modum turpissima fuga tristissi-
 moque naufragio pependerunt. Falstrenibus quoque he-
 sterno mero sauciis superuenissent, ni Sialandicus specu-
 20 lator, inter remos egre delapsus, ebriis somnum clamore
 de(m)p[res]sisset. Per quem Absalon cognito hostium
 occursu, noctu Ingumarum et Olauum, probate solercie
 uiros, leuibus nauigiis ex insula Boka ad speculandum
 eorum consilium dirigit. Quibus profectis, eorundem redi-
 25 tum prestolare non passus, abscessum prosequi statuit,
 precurrendos pocius quam imitandos existimans, ne longa
 nuncii exspectacione cuncta tardius exequeretur. Meminerat
 siquidem, moris esse Sclauis exercitum ducturis antelucanos
 amare procursus, rebusque celeriter confectis, festinis stu-
 30 dere regressibus. Quos ne tardius aggredieretur, remigium
 maturius instruit, una speculatoris ac ducis partes acturus.
 Quem Sclaui diluculo conspicati, aduentanti cunctas nauium
 suarum puppes opponunt, proris in altum auersis, perinde
 ac fuge, non prelio consulturi. At ubi Sialandensium
 35 signum enituit, uehementi remorum conatu parem fugam
 intendunt, corpore uiros, animo feminas exhibentes. Nec
 egre* Absalon fugientibus institit; a quorum insecurione
 coorta subito tempestate prohibitus, Falstriam repetiuit.
 Tanta autem undarum colluvio fuit, ut nauium queuis in
 40 aliam iactaretur, nec collisioni leui opera succurri poterat,

periculo omnes eque pulsante; perissentque nostri, nisi tempestati cedere maturauissent. Igitur Sclaui, cum remigio aduersum undarum seuiciam eluctari nequirent, ueloque sibi consulere uellent, tempestatis magnitudine euersis
 5 nauigiis mergebantur. Quorum periclitacionis certissimum indicium crebra pyratarum nauium fragmenta regionis nostre littoribus appulsa dedere. Bina ex iis nauigia, remigum uirtute a fluctibus defensa, in Iarimaru[m] Rugie principem inciderunt, qui post modum alterum ex iis Ab-
 10 saloni premii nomine transmisit, utriusque capcionem ipsius negocio imputans. Solennis hic dies Nicolai nomine erat, cuius auspiciis effectum est, ut Sclauorum exercitus ad hoc usque tempus Daniam hostiliter petere ausus non fuerit. Iamque nostros redditum intendentes (ut hyeme fieri assolet)
 15 repentinum gelu conclusit; quod tante uiolencie erat, ut ipsam sinus, in quo pernoctabant, superficiem enata subito glacies occuparet. Huic tanta soliditas inerat, ut spissitudinem eius unico iectu transuerberare non posses. Cumque eximia glaciei moles portu egressuris ob sistet, industria
 20 prouisum est, ut unius nauis precessu ceterarum insecurio expediretur. Sed nec una queuis preeundi officio diutule fungi poterat, quod partes carinarum extrinsecis glacialium crustularum acumine perinde ac ferri impressione exedenterentur. Quam ob rem precessionis uices inter nauigia equo
 25 ordine diuidi curatum est. Ita demum, per maritos affractus nauigacione protracta, in apertum pelagus peruenit, indeque ad propria cuique remeatum. Iamque Absalon, temporum supputacione habita, uniuersas presentis anni partes, ternis mensibus exceptis, pyratico labore emen-
 30 sus fuerat.

Postera estate apud Eydoram inter Henricum et regem communium negotiorum agitacio, contractis utriusque prouincie principibus, habebatur.

Eodem tempore Eskillus, domesticis supra uires negociorum fatigatus, dum quieti intencius consultit, proficisciendi licencia a rege difficulter extorta, nobile Galliarum cenobium, quod Claraullis nuncupatur, petiuit, ibique priuati more tranquillam uitam degens, asperum patrie conuictum uoluntarie peregrinacionis lenitate mutauit, iocundiores rerum
 35 usum apud exterios quam inter ciues habiturus. Per idem
 40

CLXXX^{a,26}
 (346,44)
 p. 890,21

quoque tempus Walagostenses, | menium suorum angustias perosi, contracciora urbis spacia propagare ceperunt. Nec incrementa adiecissem contenti, noua defensionis presidia excogitabant. Siquidem frequentibus palis circa menia
 5 defixis, quo minus hostis aditu potiretur, propinqua muris uada cludebant, profundiora fluenti loca, aduolutis ingentibus saxis, nauigiis || inaccessa reddentes. Ceteros quoque meatus nauigacionibus opportunos aut lapidum coagmentis aut alio impedimentorum genere prestruebant. His obsta-
 10 culis rex optato locorum accessu prohibitus, classem postera aduersum Sclauos expedicione promotam Zuinenibus ostiis inserit, Iulinique uacuas defensoribus edes incendio adortus, rehabilitate urbis nouitatem iterata penacium strage consumpsit. Nec solum Iulini uiciniam, sed et confinia Camini,
 15 ipso preterito, populatus est, ut | factu celerius, ita quoque hostibus perniciosius ratus, patentem ruris ubertatem diripere quam dubia munimentorum claustra pulsare. Nam Iulinenses, cum urbis sue recentes ruinas ferende obsidioni inhabiles cernerent, perinde ac uiribus orbati, deserta patria,
 20 presidium Caminense petuerant, aliena amplexi menia, qui propria tueri diffiderent. Ab his demum finibus exercitus noster ad urbis Ozne solum dirigitur. Cuius menibus abs- CLX
 25 tinens, uiciniam irrumpit, certam agrorum uastacionem incerte urbium obsidioni preponderare existimans. Sed eciam idem aliquanto sacius faciliusque reputabat persequi dispersos quam urgere munitos. Cui post modum compendiarie nauigacionis reditum circunspicienti, in commune prouisum est, propinqui fluminis abstrusos reserare secessus, cuius ostia, cum quondam nauigantibus peruia fuerint, nunc
 30 harenis obfusa, ad pristinum habitum fossa redigi possint. Quam sentenciam considerata difficultatis magnitudo quassavit, rege eximiam obstaculi molem ligonibus penetrari morosum ducente, uetanteque negocium suscipi, quod plus impense quam utilitatis afferre uideretur. Igitur repetito
 35 Ozno, tormentisque propter uallum erectis, obsidio fingitur, cuius specie dedicio obtineretur. Quam simulationem serpentibus oppidanis, expedicioni finis imponitur. Aliam rege post uer posterum exorso, eiusque opinione finitimos terrente, | cum se Sclavi nec propriis uiribus nec peregrinis
 40 auxiliis aduersum Danica arma abundare conspicerent,

delegatur Priszlauus, qui bellum apud Danos deprecaretur. In quorum preparatam classem incidens, oblate pecunie paccione non solum profeccionem prohibuit, sed etiam pacem in biennium taxauit. Ceterum publice religionis 5 condiciones barbaris ingestae non sunt, cuius professores plerique eorum principes existerent, uulgo sacrorum societatem damnante. Qui tametsi Christiano nomine censem-
rentur, titulum moribus abdicabant, professionem operibus polluentes.

10 Per idem tempus Henricus, compositis in Bauaria rebus, quia Sclauis aduersum Danos adesse non poterat, amiciciam Waldemari, prius per internuncios petitam, mox apud Eidoram colloquio obtentam, callidius quam uerius amplexatus est. Nam peruicaci eius ingenio nulla boni 15 stabilitas seruiebat. Cum gente nostra numquam diutinas ac constantes amicicias gerere sustinuit. Mentiri uirtutem ducebat, bonarum arcium loco fallaciam amplectebatur, fidem simulacione colebat, honesto utile anteferendo. Assidue nostros rupta turpiter societate ledebat. E contrario 20 regem conspicua animi integritas perpetuaque in cunctis p. 894 constancia decorabat. Quid ergo miremur, quod inter eius uirtutes et Saxoniam leuitatem firma societatis copula aut solidum concordie vinculum contexi non poterat?

Iisdem fere temporibus Suerus quidam, fabro patre 25 genitus, sacerdocii, quod in Ferogia aliquandiu gesserat, partibus abdicatis, Noruagiam petens, religionis munus milicia mutauit, Osteni cuiusdam ab Erlingo prostrati occasione adductus. Cuius agmini per deserta fugienti fortuito obuius, ducem se prebuit, resque aduersum uictores 30 nouare cepit. Et ne generis titulo carere uidcretur, originem mentitus, Haraldum Hyberniensem ianum sibi uendicando, Siuardo se procreatū configit. Cuius eccliam nomen filio, quem anteā patris uocabulo Vna(m) appellauerat, aptauit. Et ut omnia prioris fortune mo(numenta) subrueret, 35 prouique uocabulum in eo representari crederetur, simulate prosapie decus noui nominis ornamenti ursurpare sustinuit, Magnumque se in argumentum generis uocitari constituit. Quod tam impudens mendacium, turbulentu militum errore credulaque uulgi suffragacione protectum, ad tocius Nor- 40 uagie cruentissimam stragem extremamque perniciem pene-

p. 895
(348)

travit. Idem cum adhuc priuatus Suetie ducem Birgerum petisset, sacerdoti, cuius forte hospicio usus fuerat, stolam, precipuum diaconi insigne, cum libro sacerdotalia sacra continente dono dedisse fertur.

- 5 Sed ne peregrinis ulterius immorer, stilum ad propria referam. Neque me domestica scelera per idem tempus exorta diu*cius* externis insistere paciuntur. Siquidem CLXXXI
Magnus Erici filius, presentis for*tune stipendiis non contentus, cum Kanuto et Carolo, quibus paterna cum Wal-
10 demaro necessitudo, maternus autem auus Eskillus erat, aliisque compluribus in societatem facinoris accitis, oppri-
mendi per insidias regis consilium capere sustinuit, a quo, cum, *in* Suenonis partibus militando, bello Grathico captus fuisset, non solum spiritu, sed eciam amicicie et familiari-
15 tatis iure | donatus atque ex priuata fortuna ad eminentem dignitatis locum proiectus fuerat. Tantam uictoris cari-
tatem supplicii, quod meruerat, loco expertus est. Cuius insidiarum apparatus hoc securior, quo incredibilior extitit.
Neque enim facile regis animum subire poterat, ab illo
20 sibi insidias neci, cui quondam salutem a se tributam meminerat. Cum res diu latuisset, indicium huius modi fuit. Quidam Teutones insidiarum concii, Magno clientele obsequiis deuincti, cum forte, negociorum eius curam am-
ministrando Holsatiā peragrandes, cuiusdam solitariam
25 uitam degentis hospicio excepti fuissent, eiusque cubiculum a se medio tantum pariete discretum nescirent, nocturno inuicem sermone effusius habito, uehementer se mirari dixerent, quo pacto rex inter tot preparata sibi insidiarum commenta mortalium adhuc luce fungeretur, quas Magnus
30 cum Karoli filiis eius capitū clandestino consilio molitus fuerit. Has uero omnes, aduersum insciū excogitatā, non fortuitis humane condicionis casibus, sed constantibus diuine proteccionis subsidīs esse dispulsa. Siquidem
35 Magnum, gladio duntaxat uenabuloque, quo tigres occu-
pandi consuetudinem habebat, utentem, petituro Sialandiam regi comitandi obsequium ad cuiusdam usque uadi transitum exhibuisse, ibique Kanuti, qui pari armatura instructus (nam id genus in uenacionis sectatoribus suspectum esse non poterat) cum coniuratis eodem tempore superuenire debe-
40 bat, occursu fraudatum, facinusque sine complice experiri

non ausum, per summam propositi dissimulacionem, consalutato rege, propria repetiuisse. Post cuius discessum Kanutum regi uadum transgresso obuium extitisse, turbatumque consortis absencia prosecucionis officium simulasse.

5 Ali quanto tamen eum acerius audiusque, quam Magnum, propositum exequi perseuerasse, qui regem, equites ad mare premittere, stipantibusque feminis, morabundum in littore considere et inter extremos nauigium conscendere solitum, aggredi constituerit; peregissetque facinus, ni rex,

10 absque omnis humani indicii monitis, benigniore celestium cura compulsus, relictis ociis pedissequis, ratem preter solitum scandere maturauisset. Karolum autem | antea a coniuratis in Scaniam transmissum fuisse, si fratri propositum ex sentencia cessisset, ad extirpandam regis sobolem
p. 898

15 amicorum auxilia contracturum. Sed ne sic quidem Kanutum proposito cedere uoluuisse, quod, apud Fioniam frustra tentatum, in Scania maiori cum opportunitate consummare sperauerit, Waldemarum ad Helsingorum urbem precurrere maturando, eumque, cum primum Scanie ad-

20 uectus rate excederet, incautum oppri^mere moliendo, quem post diurna uenacionis exercicia, premissis arbitris, eo loci paruula rate crepusculo transire solitum, non ignoraret. Quam machinacionem fortuitis necessitatis presidiis elusam fuisse; nam ratem, que regem uehebat, cum forte glaciali
(349)

25 impulsu^m procul a concupito littore detorqueretur, militum eius aduentum prestolancium ingenti cohorte exceptam fuisse, eamque manum necessitati subuenire conatam, coniuratorum insidiis obstitisse. Ita Kanutum et Carolum, bis propositi cassos, lorias, quas inuadendi regis gracia
30 sub tunicis gestabant, hospiciis reddidisse. Horum autem omnium ammiracionem uincere, quod Waldemarus unius ex coniuratis, sibi perfamiliaris, suspectum minime ferrum uitare potuerit, qui, cum regi, per rhedam auecupium exercenti, solitarius comes aurigaque existere soleret, deficien-

35 tibus coniuracionis auctoribus, parricidale ministe^rium circa ipsum, cum, prehensa aue, curru delapsus, iuuandi accepitris curam intenta corporis inclinacione tractaret, sua manu peragendum promiserat; fortunam tamen in tanta tamque facilis insidiandi materia promissis parricidii partibus
40 aditum non dedisse. Horum itaque euentum miraculis

liquere, mortali manu regem perire non posse, cuius salutem inter tot exicias arcanaque pericula non industria humana, sed celestis protexerit diligencia. Hanc hospitum relacionem, a rerum ammiracione profectam, eremita, p.
 5 rinde ac si**(bi)** diuinitus dati indicii mysterium, ueneratus, cuidam monachorum rectori ad se uenienti memori narracione replicuit, iusso horum indicandorum gracia ad regem transitum non differre. Quibus acceptis rex, cum ex difinizione locorum argumentisque temporum nec non itine-
 10 rum suorum circumstantiis fidem assertis habere cepisset, non minus sibi subsidii deum in prodendis insidiis prestitisse, quam in frustrandis tribusset, gratulatus est. Cuius rei ignorancia Karolus, pristina adhuc securitate succinctus, siue tegendi parricidalis propositi cal-
 15 liditate seu peragendi desperacione, Absalonem, ob cognacionis fiduciam petitum, impetrandi sibi a rege prouincialis beneficii adiutorem depositit. Quo propinqui preces attencius exsequente, Waldemarus, dissimulata insidiarum cognitione, ex fisco suo se stipendia
 20 Karolo soluturum promittit, quoad honoris ei imperciendi facultas incideret. Cumque Roskildiam ueniens in ede Trinitatis optime maxime morem sacris gessisset, amotis arbitris, Absalonem adesse precepit. Quo secum considente, indicem aduocans, que sibi detulerit, iterato exponere iubet.
 25 Ille propinquitatis metu, qua Absalon a Karoli filiis contingen-
gebatur, eloqui ueritus, atque os rubore perfusus, aliquandiu plenum hesitacionis silencium egit. Cuius taciturnitatis rex illico causam coniectans, Hoc, inquit, te metu Absalonis fides liberat, apud quem mee respectum caritatis
 30 proprio necessitudinis affectioni preponderare non dubitem. Quo dicto senioris uocem, uerecunda animi hesitacione torpem, ad eloquenda, que iubebantur, intrepidam redidit. Is itaque relacionem ab insidiarum principio orsus, cunctasque earum partes ueris narracionis indiciis pro-
 35 secutus, hoc non sue, sed aliena compunctionis fuisse testatur, rogatum se tantum, eadem regi referenda curare. Tunc rex, eo secedere iusso, ductis alte suspiriis, priuatim apud Absalonem queri cepit, numquam sibi uel cognacionis ius uel beneficencie meritum obtentui fore potuisse, quo minus
 40 malis propinquorum artibus appeteretur. Quorum fraudem

si dissimulanter tolerare cepisset, effectum insidiis prebere posse, que tam potentum tamque sibi familiarium studiis necterentur; si uero, parum adhuc publicato facinore, supplicia de indemnatis sumere maturasset, dolique noticia a paucioribus sumpta, crudelius in emulos consuluisset, innoxia capita conflictis criminacionis partibus obruere uidetur, || inuidiaque uirtutis accensus ad communem generis sui interitum uariis insimulacionis modis exsurgere, necessitudinis euersor affiniumque consumptor censendus. Igitur et pacienciam periculosam et ulcionem, si prepropera foret, probrosam existere. Ita se, quem uindicta modum apprehendere debeat, ignorare, cuius et ignominiosa acceleratio sit et perniciosa dilacio. Ceterum insidiarum periculis patere malle, quam in auctores facinus retorquere, ni mors sua ad aliorum confestim excium redundaret, quam liberorum suorum amicorumque miserabilis strages, mox discordia ciuilis seuaque exterorum irrupcio ac tocius patrie tetricima uastitas insequeretur. Hec et consentanea rex crebris anxiisque gemitibus prosecutus, que maxime sibi conducant, Absalonem desplicere iubet. Ille, se nihil a regis estimacione diuersum perpendere, refert, prefatus, ipsum ex repente* tino uindicta procursu non leuius fame dispendium quam salutis ex dilacione capturum. Quam ob rem animaduersionis ius diuino permittendum arbitrio, qui potis sit insidias, quas eluserit, publicare; sed neque rem, cuius multitudo conscientia sit, diutile uulgaris latere posse. Hortatur deinde, corporis sui custodiam consuetis comitibus attencius mandet, iubeatque numquam sibi inermes assistere, nec magis salutem suam diurnis eorum officiis quam nocturnis excubiis uallari curet. Sic enim coniuratorum aliquos, se proditos suspicantes, repentinum propositi indicium edituros. Gratum Waldemaro consilium fuit. Cuius, Roskildiam linquentis, Absalon comitem agens, sollicitatur a Carolo, petitionis sue partes, quas nuper apud regem egerit, iterare. Quod exsequente eo, respondetur a rege, raram beneficij graciā esse, quod accipiens parricidio pensare studeat. Preterea miram quorundam ingenii et fallendi pertinaciam et dissimulandi inesse uersuciam. Se nihilominus, cum primum Iutiam introierit, insidiosi militi munificum futurum, a quo potencie ius in id maxime uulgaris affectari non dubitet.

CLXXXII^a
p. 901

Iocunda Carolo promissio extitit, quam sibi per Absalonem expositam impensiore graciarum relacione prosequebatur. Finxit enim oris hilaritatem, leticiamque effusius pretulit, quam non tam recipiendi beneficii quam implendi parricidii
 5 affectus progenuit, quod ei regie dissimulacionis industria securitatis incrementa tribueret. Huic post modum forte materni aui Eskilli, per idem tempus a Gallia nauigantis, appulsus urbem Ripam cum Kanuto fratre petendi causam prebuit. Quorum Benedictus quidam solo patre germanus,
 10 sed pellice editus, regie clientele forcior quam fidelior comes, Waldemaro paucis post diebus, quam Fioniam ingressus fuerat, in propatulo prandente, siue celande fraudis impaciencia adductus, seu parricidii, quod cogitauerat, furiis concitatus, neglectis epulis, cultrum, quem forte prandendi
 15 gracia sumpserat, compressa manu, huc atque illuc actum, uaria ancipiisque uersacione stringebat, perinde ac usum eius ad inferendas plagas agitacionis exerciciis prediscere cupiens. Interdum ferrum sinu condebat, detectumque rursum diligitis inserebat. Inter hec assidue regem oculis
 20 destinabat, quibus non minus, quam manui, minarum inesse uidetur. Cuius motibus amencie consentaneis Waldemarus per sponsam filii, Gertrudem, ob id muliebriter lachrymantem, oculos inserere monitus, Nicolaum, qui regie mense preerat, quam poterat arcanis nutibus accersitum,
 25 uisum ad inusitatos Benedicti gestus obliquare tacite iubet, amotisque post epulas mensis, ceteris sibi propriorem consistere, predicti equitis, siquas moliretur, insidias excepturum. Sed Benedictum tum ipsius regis, tum commilitonum plena stuporis contemplacio ferrum uagine reddere coegit.
 30 Crediderim uero, hunc animi estum eius precordiis diuinatus ingestum, eodemque auctore proditum facinus, quo prohibitum, esse. Tum demum Waldemarus neglectum Absalonis consilium penitencia prosecutus, deuocatis in cubiculum militibus, inter quos et Benedictus astabat, rem
 35 mestam eisque perquam maxime displicituram afferre se dixit, quam et prodere triste sit et celare pestiferum; nec se dubitare, quin eadem in commune delata amicorum mentes tristicie salebris sit implicatura, tantoque eis plus amaritudinis incussura, quanto regem suum propensiore
 40 caritatis cultu contingent. Siquidem quorundam con-

spiracionem de nece sua habitam non dubiis conjecture
 racionibus, sed ueris conciorum indicis certisque rerum
 uestigiis sibi proditam esse, cuius auctoribus primam salutis
 sue custodiam credere consueuerit. Nolle uero se eorum
 5 declarare uocabula, quod noxios resipisciendi induciis donare
 quam insimulandi studio obruere mallet. Hortatur deinde,
 maiore cum sedulitate uallandum* se curent, nec usquam CLXXXII^b
 gladiis uacui incidentem comitari sustineant, stipandique
 officia, hactenus per incuriam gesta, deinceps elaborato
 10 famulandi studio prosequantur, tantaque id sollicitudine
 peragant, perinde ac quiuis proprie synceritatis certitudine
 de aliena ambigere necesse habeat. Sed neque se uni-
 uersos notabiles ducere, de quorum grege complures ad
 mortem pro se excipiendam, si res posceret, paratissimos
 15 sciret. Tunc milites, mutua fidei emulacione co*n*sciorum
 indicium flagitantes, a perfidis erga regem capitibus uin-
 dictam se exacturos promittunt, neque aut necessitudinis
 aut familiaritatis gracia tem*p*eratu*r*os, quo minus sanguinis
 eius cupidos penas, quas mererentur, persoluere sint co-
 20 tacturi. Ad hec rex referre, fidei synceritate contentos,
 ulteriores indicii partes expetere non oportere. Ita militum
 preces, ab innocencie conscientia profectas, plenum mode-
 racionis responsum cessare compulit. At Benedictus, con-
 iuracionem a consciis regi proditam ratus, eumque his,
 25 quos incautos opprimere cuperet, callidis simulationis am-
 bagibus ueniam polliceri, plerisque milicie insignibus relictis,
 Iutiam, qua potuit celeritate, petiuit, detecte faccionis
 nuncio ad Magnum dimisso. Ita perfidum eius animum
 mordax conscientie crimen regie mansuetudinis promissis
 30 fidem habere uetuit. Que res Magno proxima nocte nauigio
 Lubecam proficisciendi, indeque Henrici contubernium ex-
 petendi causam prestitit. Eodem nuncio Kanutus et Carolus
 per Benedictum accepto, tacite Ripensium urbe egressi,
 35 conscientia apud Randrusium naue, prefectum Gothie Birge-
 rum propinquitatis fiducia petiuerere. Adeo illos maligne
 conscientie uis securitate defectos subito pauore quat-
 coegit. Quorum profectionem Eskillus, tum propriam,
 tum nepotum fortunam miserabilius questus, infinite egri-
 tudinis molestia prosequebatur. Ob cuius magnitudinem
 40 lingue debilitate contracta, parum uocalis euasit. Quem

rex ad se Wibergi uenientem iocunda ad modum fronte suscepit, nequid suspicionis in eius aduentu reponere uideatur. Quam regis moderacionem pontificis prudencia equauit. Supplicem enim pro nepotibus uocem mittere non sustinuit, quo magis se ab insidiarum suspicione alienum efficeret, neue eorum culpe affinis, quos precibus seruare cuperet, existimari posset, consulcius arbitrando, taciturnitatis argumento malignitatis suspicionem uitare, quam offensam pro noxiis supplicando contrahere. Cui post modum Scaniam | profecto opportuna medicorum industria debilitate uocis opem redintegravit; at mentem eius ingenti curarum estu obsitam egritudine uacare nepotum, proprio spiritu cariorum, fortuna passa non est. Adeo facilius corporis quam animi discrimina uitantur. At Magnus, facinoris pudore, quam exilii causam haberet, Henrico pandere ueritus, || reconciliacionis ab ipso duntaxat remedia postulabat. Ille, exulis uota auersari impium ratus, epistola ad Waldemarum transmissa, concepte erga Magnum offense remissionem efflagitat. Ad hec Waldemarus legacione quam literis respondere sacius ratus, Henricum, quem stabulo suo preposuerat, Germanice uocis ad modum gnarum, in Saxoniam dirigi curat, apud eius ducem Henricum Magni perfidiam accusaturum. Quo auditio, Magnus, rubore in audaciam uerso, quam poterat pertinaciter, obiectis se affinem negare, et ueluti in argumentum innocencie duello manum offerre, eodem acumine dissimulationem amplexus, quo facinus molitus fuerat. Refert legatus, non ob hoc se eo missum, ut accusacionis partes apud exterios ferro prosequi debeat, sed ut reum causam suam ad regis cognitionem transferro defensionemque patria lege decretam subire moneat. Tum duce, quem defensionis modum aduersum hoc criminacionis genus lex Danica statueret, rogante, penes ferrum pur*gacionis morem consistere respondit. Tunc Magnus, a duce roga|tus, an tantum fiducie in innocencia sua reponeret, ut huius experimenti indicio spem defensionis petere auderet, anceps id genus nec semper miraculo preditum aiebat, quod plerunque et insolentes damnare et noxios absoluere soleat, fortuitosque maxime experimentorum euentus habeat. Neque enim diuinam potentiam tanta mortalium cura flagrare, ut

quibuslibet eorum uotis rerum naturam cedere compellat. Suspecta plerisque responsio fuit. Tum duce, quam a se opem sperare debeat, qui tanti criminis obiectionem patriis institutis refellere nolle, arecios perquirente, quid ageret, 5 incertus, aliquandiu responsi cunctacionem exhibuit. Tandem ulterioris profugii diffidencia adductus, ulti regem aditum se dixit, si sibi, quemcunque causa exitum sortiretur, impunitatis fides daretur. In cuius fiducie certitudinem stabularius sponsonis sue pignus offerre cepit, prefatus, 10 capitali crimine damnatis patrie legis instituto dilabendi inducias tribui, iisdemque uestigio supplicium irrogari, nefas haberi. Qua Magnus oblacione contempta, solam Absalonis fidem se pignoris loco recepturum asseruit. Que cum rex ex legato cognosset, epistola duci redditur, qua 15 Magno sub Absalonis obtentu / ueniendi discedendique potestas promittitur. Quo euenit, ut Absalon prius Magnum hospicio exciperet, quam ullum aduentus eius nuncium a rege sumpsisset, literas, que pro eiusdem recepcione destinabantur, nimio festinacionis studio precurrentem. Quibus tandem per regem susceptis, sollicitudinem improvisi hospitis plenis fiducie promissis discutere cure habuit. Quibus erectus Magnus plus spei in Absalonis auxilio, 20 quam metus in sua noxa reposuit. Quo euenit, ut, maiore formidinis parte deposita, propria repetere non dubitaret, 25 nauigacionem, qua Iutiam petiturus erat, necessariis usibus instructurus. Quippe causam apud A[u]rusiam dicere iubebatur. Verum hoc securitatis robur deprehensa secretorum eius legacio quassauit. Siquidem binas eius epistolae, prodicionis mandata gestantes, a publicorum itinerum 30 obseruatoribus intercipi contigit. Quas cum regi allatas ab intermeantibus expertus fuisset, formulam, qua signatoria utebatur, proprii scribe negligencia amissam configit, idque non solum inter suos, sed etiam apud Absalonem simulacione prosequi curauit, opinionem serere cupiens, 35 adulterinas epistolae a formule repertoribus odio sui fuisse compositas. Appetente cause diccionis tempore, binis nauigiis instructus, Absaloni Sialandie et Scanie magnatibus comitato obuius affuit. Quo adito, conscientie stimulis actus, trepidacionem fide maiorem preteriteque uite fortitudini indebitam exhibendo, nullis se exhortacionibus, ut Iutiam

p. 906

peteret; adducendum, iurabat, plus a se metus in regis offensa, quam || opis in cuiuspiam patrocinio reponi, prefatus. Preterea fortuitam sigilli sui amissionem causatus, emulorum commento, occasionem ex eiusdem inuencione nactorum, 5 inimicas regi literas suo nomine confictas asseuerabat. Sed Absalone, tametsi criminis acta ab eo confessio foret, nihil commissum, quo minus inuiolatus discederet, constancius asserente, sociali illum nauigacione prosequitur, plus amici monitis quam proprio pauori indulgens. Cui rex, omni 10 Danica nobilitate stipatus, apud uillam Wiby sibi per Absalonem oblato, mense sacra communicare passus non est, ne conuiuam agendo | offensam deponere uideretur. Quem die postero ad concionem uocatum, suorum in eum benignitate exposita, maiestatis reum agere cepit, pietatem 15 parricidio rependere audum, quod eius fuga non uiolenter ingesta, sed a solo conscientie reatu profecta recenter prodiderit. Ad hec Magnus, se non cuiuspiam delicti, sed minacis nuncii per Benedictum accepti impulsu dilabendi consilium cepisse, testatur, regic suspicionis causam* e clxiiii. 20 longinquo tucius spectaturus. Preterea mirari se, quo pacto rex propinquum, quem omni familiaritatis iure prosequi consueuerat, inanum suspicionum ductu persecui sustineat. Contra rex hoc eum ingraciorem, quo meritorum suorum negligenciorem, astruere, et in perfidie argu- 25 mentum supradictas ipsius epistolas, quarum altera clausa, altera aperta obsignabatur, in commune proferre; quas eciam per presentes pontifices circunferri et, an uero Magni signaculo obsite essent, curiosius annotari precepit. Quod inspectantibus cunctis, adulterinumque esse negantibus, 30 recitari eas in publico iubet. Aperta Scaniensibus scribatur, regem super complurium oppressione calumnians, cunctosque ad bellum cum eo gerendum exhortans, Magnum repetende libertatis auctorem habituros. Clusa ad Kanutum et Karolum eodem, quo prior, titulo mittebatur, 35 que eos res in Scania nouare moneret, Magnumque idem apud Iutiam facturum promitteret; sic regem uiribus caritatum, maiorum regni prouinciarum auxiliis ad eum commeare prohibitis. Perfectasque epistolas Magnus cum responso excepturus putaretur, indice metus silencio ute- 40 batur. Quin eciam tantum stuporis animo contraxerat, ut p. 1

uoce quoque deficeretur, interne perturbacionis notas confuso oris habitu pre se ferens. Notabilis uiri taciturnitas fuit, que ne confessionis loco duceretur, prudens Absalonis interuentus effecit, miratu indignum dicentis, ad nouos
 5 criminacionis obiectus hominem, defensionis dubium, pleno meditacionis consilio respondendi officia tardius exhibere, protinusque eum dandi responsi gracia colloquio excedere et, quos uelit, ex amicis in consilium contrahere iubet. Quo dicto recreatus Magnus atque ad spem labefactande
 10 accusacionis erectus, acceptis consultacionis induciis, Absalonem cum Tukone, Wendilensem antistite, seuocat. Is Tuko patri eius Erico diaconatus obsequiis percarus habitus deque eius clientela ad pontificatum accitus fuerat. Cuius rei grata recordacione Magni caritatem propensius animo
 15 insitam habebat. Quem multum diuque ob cogitati sceleris immanitatem profectis a dolore conuiciis insecurus, respondentie eo, epistolas aliena fraude contextas, superiuacuum id purgacionis genus astruxit, non solum scripture, sed et stili modum, quo scriba ipsius Lambertus in dictaudis
 20 epistolis uti soleat, certissime recognoscere prefatus. Cuius affirmacionem Absalone consentaneis uerbis prosequente, tantum Magno desperationis incessit, ut eos, an sibi confessionis remedia amplecti liceret, trepide percontaretur. Tum Absalon, tametsi confessio periculo non careret, ad
 25 hanc tamen ante procur⟨r⟩endum, quam de uenia actum excussumque foret, negabat, suadetque uti, stupore deposito, per se uel per amicum in posterum || diem induciarum facultatem audacter efflagitet, firmato animo rem felicius expleturus. Quibus admissis, rex presentem nobilium ca-
 30 teruam, uespere iter ingressus, ad Vnnonis, locupletissimi uiri, penates secum perduxit. In qua profecione Absalon a Magno ad modum estuante, quisnam defensionis modus obiectis congrueret, curiosiore percontacione consultus, nullam partem probro aut periculo uacuam aiebat. Nam nec
 35 accusacionem tot | rerum indiciis subnixam refellere promptum, nec purgacionis partes detrectare syncerum; confessionis uero exitum ancipitem fore, quam nulla uenie certitudo precurreret. Ita uerax responsi dator consultori ignoranciam pretendere, quam in dubiis certitudinem promittere,
 40 fidelius duxit. Tunc Magno, omnia se ueraciter relaturum,

(354)

p. 909

si ueniam confessioni tribuendam speraret, dicente, intrepide eum sibi secreta, que uellet, committere iubet, nullum eorum indicium ad regem ex se manaturum, prefatus. Tum illo omnem insidiarum ordinem patefacere cupiente,

5 Absalon narrationem admittere noluit,* ne eam sacerdotali CLX
ministerio confessionis loco recipere uideretur. Suadet itaque, Sunonem et Esbernum secum adhibeat, quos in rebus arcana tegendis industrios sciat. Quibus admissis Absalonique data fide pollicitis, absque eius conniuencia

10 nullam se presentis arcani mencionem acturos, Magnus insidiarum seriem a principio retexere orsus, | non solum se cum his, quorum crimen testis fuga prodiderat, iure notatum asseruit, sed eciam complura ad regis caput pertinencia, adhuc eius noticie parum indita, apertissima confessione

15 detexit, Eskillum (Asceri hic filius erat) et Christiernum, patre Suenone natum, eiusdem culpe conscos asseuerando, Christierni fratrem Ascerum, cui in templo Lundensi prima post antistitem dignitas cesserat, coniuracionis consilium scisse pocius quam probasse, testatus. Confecto itinere,

20 postquam opportunum colloquio tempus occurrit, Absalon cum Sunone et Esberno regem, paulisper sine arbitris esse iussum, contemplari cause exitum monet, in qua nec accusacionem actori instruere expeditum nec reo confessionem amplecti tutum ducatur. Qui si indemnatus abscederet,

25 complures ad innocenciam sibi decernendam adduceret; sin confessus uenia careret, simplicitatis exemplo culpe sociis tegende eius documentum preberet. Igitur elaborandum, ut spontanea ab eo confessio elici posset, quem testimonio insequi promptum non esset. In hanc sentenciam perducto

30 rege et, se penam confessioni remittere, promittente, cum Magnus postera die in concione ab eo, quid super responso deliberasset, interrogatus fuisse, a coniuracionis inicio orsus, pudore posthabito, omnem insidiarum contextum, non solum conscos, sed eciam loca rerum ac tempora perstrin-

35 gendo, uera narrationis serie prosequebatur, regem inter tot peruicacissime artis ambages non sorte humana, sed diuina opera seruatum affirmans, seque non aliud magis mirari, quam quod fraudem tanta familiarium arte compositam propicie fortune interuentus eluserit, hominemque

40 tot ciuium dolis petitum casus incolumem seruare potuerit.

p. 911

His | dictis, genibus regis supplice uultu gemebundus aduoluitur. Quem rex, preterite amicicie uerecundia consurgere iussum, ingrate mentis exprobracione coarguit, illius per insidias opprimendi cupiditate perfusum, cuius a primeua
 5 estate perpetuam caritatem expertus fuerit, a quo belli Grathici temporibus non tantum spiritum sibi datum, sed eciam adiecta potestatis incrementa meminerit. Se enim non solum propinquitati supplicium remisisse, sed eciam munificenciam impendisse, eum uero, cum fidem beneficio
 10 debuisse, perfidiam rependisse. Itaque meritorum suorum obliuionem ab eo tam nequiter actam admirans, nec pristine confessionis assercione contentus, an se per insidias oppri-
 mire cogitasset, inquirere perseuerauit. Ille, nec animum sibi nec arma nihilque, quod || tanto facinori attinuit, ex-
 15 cepto dei nutu, defuisse subiunxit. Delectatus rex tam audaci hominis responso, ueniam se confessioni tribuere, non familiaritatem restituere dixit, ne rursum amicicie copia insidiarum irritamentum existeret. Eundem quoque tacita ad Kanutum Karolumue mandata habere prohibuit,
 20 monitum, ne culpam repetere uelit, cui diuinam potentiam tam constanter obniti persenserit. Ille se, siquid tale com-
 mitteret, ulterioris uenie remediis indignum uocare, ne pre-
 cibus quidem salutem deinceps tueri ausurum. Quo rex sedendi locum repetere iusso, protinus Suenonis filium
 25 Christiernum, quem, peracta Magni causa, per ignoranciam casus obtulerat, iracunda ad modum accusacione perse-
 quitur. Qui cum se consortis indicio proditum accepisset,
 defensionis inops confessione ueniam impetravit, nec solum spiritum, uerum eciam bonorum omnium incolumitatem
 30 assecutus est, exilio duntaxat penas dare coactus, ne promptus ad crimen regressus suppe*teret. Ita moderacio mani- CLXXXIIIIB
 festam militis culpam, extremumque supplicium meritam,
 proscripcione insequi contenta extitit. Taliter exacto con-
 cilio, Magnoque Fioniam reuerso, Waldemarus insulam
 35 ferarum gregibus abundantem, more regio prede uenatice uacaturus, ingreditur. Quo loci Absalon et Ascerus a maximo pontifice Eskillo ob ueniam eius nepotibus conciliandam, que Magni exemplo sponderi uidebatur, trans-
 missi, inexorabilem regis animum experti sunt. A quo
 40 demum Ascerus, an coniuraciouis fautorem egisset, roga|tus,

(355)

p. 912

cognitioni se quidem affinem, sed a consensu immunem asseruit, nec tam odio regis, quam delacionis pudore prodendique commissi uerecundia hec fecisse. Quem confessionis modum diuturni post modum exilii causam habuit.

5 Huius legacionis contemptum tam egre Eskillus tulit, ut, uariis corporis pestibus contractis, grauibus hyemem morbis exigeret.

Qua finita, Waldemarus, Danie Suctieque primoribus accersitis, regales filio nupcias exornat. Quibus peractis,

10 Waldemarum Eskillus secreta allocuzione petitum enixe depositit, arcani, quod ei committere uelit, intempestiuam confessionem non arguat. A quo postulata sperare iussus, iampridem deponendi pontificatus allatam sibi cupidinem dicit, quem tanto oneri imparem etas uiribus defuncta constituat. Neque enim in fastigio se, sed priuatum ac procuracione liberum decadere uelle, preterite conuersacionis habitum monastica mutaturum. Quem cum rex uerbis caritatem simulantibus proposito prohiberet, idque ei sine Romana auctoritate exequendi fas esse negaret, habere se

20 summi pontificis epistolas, per quas non solum abdicandi honoris licenciam, sed eciam transferendi, in quem uellet, potestatem acceperit, testatus est. Huc accedere, quod se, Romane legacionis officio fungentem, ne sedes successore uacula habeatur, subrogacionis curam exhibere par sit.

25 Quod dictum rex, Ascerum ab eo pontificem adoptari ratus, suspicione insequi cepit, nec dubius, Kanutum et Karolum, siquid ulterius aduersum se conati forent, multum ab auo uirium contracturos, cum diu uerbis amiciciam preferentibus egisset, ad postremum uotis eius annuere se dixit, quod

30 Romane sentencie decreto obuiam ire nequeat, penes quam publice religionis norma consistat. Tum Eskillus, honoris abdicacionem contractorum pontificum frequencia celebrari magni estimans, prefecturum ab urbe regem precari instituit, uti ipsos exacto mense secum reducat, quos non

35 solum sue renunciacioni, uerum eciam noui antistitis creationi interesse expediat. Quam rem prorsus silencio dignam existere, ne cognita quenquam eleccionis metu dilabi coget. Quo concesso, statam interim solennemque popularium concessionem ingressus, docet, quantam sub(d)itorum

40 caritatem fastigio functus exhibueri, quamque beniuolo

studio merita sua publicus eorum fauor pensauerit. Iam
 uero sibi re pontificali cedere in animo esse, cuius am-
 ministra*cioni* supreme etatis sue habitum dissidere con-
 spiciat, ideoque se eorum curam, quam hactenus plenis
 5 pietatis officiis gesserit, diuino mandare presidio, cunctis-
 que sibi milicie fide deuinctis huiusc generis nexum re-
 mittere; super hec omnia alienis delictis ueniam dare,
 propriis petere; uniuersos eciam discessum suum piis pre-
 cibus prosequi uotisque pro se excubare precatur, parem
 10 se eis dignacionem repensurum pollicitus. Adeo autem
 misérabiliter in concione egit, ut eam lachrymis suffusam
 dimitteret. Qua soluta, Absalonem Sialandia redeuntem,
 missis, | quibus exciperetur, equis, penatum suorum hospicio
 uti compulit. A quo, quid ita plebem mesticia affecisset,
 15 rogatus, tum senium suum, tum exilium nepotum dignitatis
 sibi patriaque fastidium afferre respondit. Huc accedere
 uoti religionem, qua se dudum Bernardo Claraullensi,
 pontificatu ultro cessurum, priuatamque uitam et hono*ribus CLXXXV^a
 defunctam acturum spoonderit. Die postero, cum pre-
 20 dicti prouinciarum antistites in edem Laurencii matutine
 coissent, ornamenta sacrarii armamentario egeri conspectui-
 que subiici iubet, quantum ueteri altarium cultui pristino-
 que sacrorum splendori noua ac religiosa liberalitate ad-
 iecerit, in propatulo ostendere cupiens. Quibus prolatis,
 25 uoce suspiriis permixta, quantis caritatis impendiis pro
 subditorum pace ac stabilitate excubuerit, quot erumnis,
 quot periculis obsitum omne pontificatus sui tempus exe-
 gerit, edocet. Quem ob hoc se deponere statuisse, quod
 etatis sue magnitudinem ulteriori eius funcioni inhabilem
 30 senciat. Cuius oracionem rex respondendi officio subse-
 cutus, eum, tametsi crebras cum regibus simultates gessisset,
 pontificis partes laudabiliter executum affirmat. Sue uero
 sentencie resignacionis eius propositum non placere, cui
 iam eo etatis peruentum sit, ut malignitatis ultra notari
 35 non debeat. Deinde eum proprio motu, an suo compulsu
 pastoris officium detrectaret, fateri iubet. Tunc Eskillus,
 directis in aram manibus, iurare et presencia sacra testari,
 se non odio regis aut ullius iniurie ex eo recepte uiolencia,
 sed perituri honoris fastidio perpetuique studio huc pro-
 40 positi esse perductum. Grata regi responsio fuit, cupienti

(856)

p. 914

uera pontificis assercione calumnie suspicionem uitare.
 Rogat deinde, an umquam regia seueritate penas ab his
 exigere supersedisset, aduersum quos ille pontificalem cen-
 suram prior distringendam curasset. Quo nihil tale eum
 5 egisse fatente, graui metu liberatum se dixit, ueritum,
 ne subita antistitis abdicacio occultam apud complures
 sibi notam crearet. Romani deinde pontificis epistola, sine
 cuius nutu rex dignitatem ab ipso deponendam negabat,
 in commune relegenda profertur. Ea scribebatur, Roma-
 10 num antistitem Lundensi, pontificalis ministerii laxacionem
 petenti, quod eum huic muneri per utilem scisset, hactenus
 repugnasse, nunc uero, precum eius perseverancia supera-
 tum, etati ipsius assiduoque languori petito rei licenciam
 detulisse. Cuius auctoritati rege refragandum negante,
 15 sua sede exurgens, uirgam anulumque, precipua pontificalis
 sacerdotii insignia, altario imponens, perfectam sui muneris
 abdicacionem agere protestatus est. Cuius facti misera-
 cione lachryme astantibus oborte suspiriisque murmuris
 instar redditibus edes repleta. Igitur Eskillus, qui regni
 20 clerum excussius nosset, sedis a se relicte successorem a
 rege circunspicere rogatus, comprobata monitoris industria,
 aliam Romane dignitatis epistolam explicat, qua sibi, lega-
 cionis habenas tenenti, subrogandi antistitis arbitrium man-
 dabatur. Ea perfecta, potestatem, quam sibi indulgencia
 25 Romana detulerat, ad eos, quibus eligendi ius esse con-
 suerit, transferre se dixit, quod ultiro iure suo cedere quam
 alienum offendere malit, ne ecclesiam, pro cuius maiestate
 tuenda semper excubuerit, consueto libertatis beneficio
 fraudare uideretur. Tunc iisdem, [regi] uti consilium suum
 30 exponeret, obsecrantibus, regeque || cleri postulacionem
 sub plebis nomine, cuius se partibus proloqui referebat,
 consentaneis precibus prosequente, sentenciam suam inter
 diuinam humanamque caritatem fluctuari asseruit, quarum
 alteram tacendo, alteram loquendo offendere posset. Dei
 35 namque mentem exasperaturum se esse, si illius, quem
 huic maxime regimini idoneum scisset, indicem agere
 supersedisset; si uero hominem huius officii gnarum, pon-
 tificisque partes alibi laudabiliter executum, sed et pro
 patria difficilia audere solitum, nuncuparet, familiaris et
 40 propinqui graciā uiolaret, quem huius honoris oblacionem

auersari non dubitet. Tunc cuncti, quisnam ab eo destinaretur, animo perpendentes, solam uocabuli certitudinem flagitant. Et ille, Roskildensem, inquit, antistitem, michi propinquitate, uobis | opinione notum, designo. Igitur p. 916
 5 compluri*bus, bene ecclesie consultum, acclamatibus, exurgens Absalon, maiorem hunc fascem, quam ut humeris suis imponi debeat, refert, nullo se pacto ad deserendam ecclesiam adduci prefatus, quam, angustissimis rei Danice temporibus susceptam, ad eminentem fortune habitum
 10 summa animi corporisque fatigacione perduxerit, cuiusque non solum externum hostem armis submouerit, sed eciam ueterem atque hereditariam paupertatem felicibus opum incrementis mutauerit. Tum ii, quibus suffragandi ius erat, ab Eskillo taciturne hesitacionis increpiti, et, cuinam
 15 officii sui partes cedere uellent, rogati, paribus in Absalonem uotis pronunciant, adeoque concordes suffragiorum uoces misere, ut nihil in his diuersum aut dubium reperi res. Nec oris officio contenti, manu comprehensum ad sedem, quam ei uoce detulerant, ui pertrahere conantur.
 20 Nam primus Eskillus iniecte in eum dextere exemplo ceteris idem fiduciam tribuere uidebatur. Qui eciam, ut mos est, concinere exorsi, celebrem eleccionis concordiam decoro psallendi officio prosequuntur. Quorum plenum ueneracionis concentum populus, ingenti plausu
 25 tripudians, sacro cantilene genere emulabatur, gloria sis clericorum uocibus aliquid honorifice modulacionis adiicere gestiendo, personantibus aliis, deformem sibi taciturnitatem existimans. Adeo in eligendo eo tota multitudo unam beniuole suffragacionis uocem habuit. Ille uero trahenti
 30 se turbe summis corporis uiribus obluctatus, complures robustiore impulsu precipites humum petere coegit. Ab iisdem quoque exuuie renitenti detracte, iamque res ad uim et rixam usque progressa permixtos strepitu cantus exaudiri non paciebatur. Igitur Absalon ad sedem pontificali fastigio consecratam pia plebis uiolencia perductus,
 35 in ea collocari passus non est, ne ulla ex parte cogentibus assentiri putaretur. Quam ob rem prius ab Eskillo, mox a Waldemaro oblati sibi diuinitus honoris ornamenta amplecti rogatus, ne presentis ecclesie maiestatem nouo et
 40 inaudito contemptu perfunderet, impetrata loquendi copia,

ad appellandi officium procurrit, cumque precibus obsecutus putaretur, ualidissimum repugnacioni sue tutamentum adiecit. Rapuisset alius oblate dignitatis beneficium, | audeque se tanti sacerdocii tribunalibus ingessisset. Nicolaus,
p. 917

5 Roskildensis chori senior, super irrogata antistiti[s] uiolencia parem appellationis uocem edere cunctatus non est. Tum Eskillus aliquanto concussior, certissime se suffragatorum partibus affuturum dicebat, sensurum Absalonem, sua an illius uota plus momenti Rome sint habitura. Hinc misse
10 studium datur. Qua percelebrata, benedictionem Eskillus Absalonis ministerio prestari precepit, hac usurpacione eum eleccionis assensorem efficere gestiendo, se, iam cunctis pontificatus partibus defunctum, huic ministerio congruencia amplius exequi non oportere prefatus. Quem Absalon,
15 tametsi pontificalia deposuerit, legacionis tamen iure benedicendi prerogatiuam retinere dicebat, neque ad inferioris potencie uiros debitum fastigio suo munus relegare debere. Ea Absalonis uerecundia senem uoti cupidum neglecte dignitatis sue meminisse coegit. Alio quoque moderacionis
20 genere repugnacionis eius perseveranciam idem labefactare tentauit. Siquidem in cubiculum deuocatum, cum precibus perfectere non posset, genibus nixus plenis supplicationis lachrymis aggredi conatus est. Profectu uacuus, tercium irritamenti modum, quo electi mentem ad suam sentenciam
25 adduceret, excogitauit, incertum relinquens; maior in cogente, an resistente perseverancie conatus extiterit. Siquidem equites suos, numero et amplitudine insignes, ad eum direxit, militari fide se eius partibus obligaturos. Quorum Absalon famulatum repudians, se prorsus in hono*rem CLXXX
30 eorum obsequiis dignum consensurum negabat. Qua demum constancia euictus Eskillus, ne supellectilis, quam ecclesie relinquere statuisset, obscurior depositio foret, eundem in arcanam uestibuli partem abductum instancius hortari cepit, uti saltem oculis eam subiicere dignaretur. Sed et hanc
35 quoque sollicitacionis partem superiorum uictor mire contempsit, ne, qui glorie tentamenta calcasset, auaricie irritamentis succumberet. Quam ob rem Eskillus, ira accendi creditus, minus se bonorum, quam cogitauerit, inquit, sacris atque domesticis usibus relicturum, ipsumque tam
40 stolide | pertinacie quandoque damna sensurum. Aureo p. 918

deinde poculo regem, Absalonemque simili muneratus est. Preterea neminem ex amicis indonatum reliquit, apud patriam sibi preclara liberalitatis monumenta creare cupiens. Varia quoque membrorum debilitate perstrictus, ad postremum eciam igne, quem sacrum uocant, quadam corporis parte respersus, abscedere maturauit, perinde ac diuinitus injecti sibi supplicii cruciamenta sortitus. Quem cum Absalon Scania excedentem castelli sui hospicio excepisset, seque tanto pedum frigore teneri, ut noctu quietem capere non posset, conquerentem audiret, calidum laterculum cistula crebris foraminibus distincta inclusum plantis applicuit, eoque fomenti genere prefrigido seni pacientem quietis calorem restituit. Cuius medicamenti beneficium hoc Eskillo grarius fuit, quod ab artificis caritate, non sciencia aut professione manauit. Qui cum Absalonis nauigio comitatutque Slesuicum perlatus fuisset, cyphum argenteum ab eodem sibi pro munere oblatum suscipere recusauit, prefatus, se deinceps nullum insignium uasorum usum habiturum. Idem cum regem Slesuicensi in ponte obuium conuenisset, ita corporis debilitate solutus est, ut a plerisque exanimis putaretur. Recreatus tandem, fretumque rate transgressus, ac presentes benignius exosculatus, inter flebiles amicorum uoces plorabundus et ipse curriculo per Absalonem procurato, cum prorsus equitandi impaciens foret, quo mollius ueheretur, imponitur. Cuius flentis discessum amicorum turba, ipsum ulterius non uisura, perinde ac funus lachrymis prosecuta est. Post hec regis legati cum Lundensibus, cogendi Absalonis gracia, Romam mittuntur. Qui primum Clareuallum profecti, reperti illic Eskilli epistolam, cuius ea tempestate non mediocris apud curiam fauor uigebat, in adiumentum sue peticionis accipiunt. Nec minus Absalon ac Roskildenses legacionibus curiam fatigant, eleccioni, quam Lundenses confirmatum per[a]gebant, plenis reclamacionis sentenciis obnitentes.

Interea proceribus apud Roskildiam paschali tempore feriatis, conuiuioque per summam omnium hilaritatem exacto, per Thordonem, Lundensium prefectum, regi significatum est, Thormerum quendam, Magni nuncium, nuper Gothia reuersum, tanto itinere Scaniam esse transgressum; ut capcionem celeritate uitauerit; cuius occupandi

gracia Beltensem transitum insidiis esse uallandum, quem ab eo ocios adiri ambiguum non sit. Rogatum super his Magnum, presidiumque negacionis amplecti conatum, rex tuto fateri posse promittit. Ille summa cum dissimulacione
 5 obiectorum fidem leuare, siquid huius modi compertum foret, ulteriorem sibi || ueniam negari precatus. Rex, negatorum incredulus, Adulfo eidam, insignis fidei, sed clericalis condicionis, quod propter Belticum littus habitaret, obseruacionis negocium mandat, per satellites ad eum
 10 directos cultus et corporis notis, quibus predictus Magni nuncius dinoseceretur, expressis. Taliter captus Thormerus, ac corami rege super mandatis, quorum esset gerulus, perquisitus, post diutine negacionis ambages, questionis metu credita sibi secreta detexit, lignum compactile, quale more
 15 Danico in*ter amicos sigilli uim obtinet, a se epistole CLXXXI
 loco gestari confessus, cuius dimidium a Kanuto et Karolo perinde ac syngraphus haberetur. Cuius nequiciam rex uinculis mulctare contentus, Absalonis eum custodie tradit. Igitur per Nicolaum, stabuli sui prepositum, Fioniensium
 20 militum eum sequi iussorum auxiliis succinctum, Magnum, perinde ac denuo sibi | insidiosum, penamque perfidia meritum, capiendum curat. Qui in cubiculo nocte concubia circunuentus, dum pristine uirtutis immemor salutem latebris, non armis circunspicit, post aulea repertus abs-
 25 trahitur. Ita nescias, miseriorem eum deformitas capcionis an capcio ipsa reddiderit. Oblatus regi, cum super insidiarum consilio rogaretur, aliquandiu obiectis se affinem negabat. Tandem conuinentibus eum captiui indicis, dissimulacionisque materia non suppetente, confessione crimen
 30 aperuit. Cuius mentem rubor nescio magis, an supplicii metus affixerit. Hunc rex ad urbem Laterensem missum, Thorberniique custodie traditum, carcere quam morte mul-
 ctare maluit.

Per idem tempus Sclauorum pirate, spoliatis Walde-
 35 mari legatis, nauigium muneribus eidem a socero trans-
 missis onustum cepere. Cuius reposcendi gracia nunciis ab eodem missis superbe responsum dedere. Qua iniuria Waldemarus, ut par erat, accensus, Henricum in societatem ulcionis sollicitat, Rugianisque, quod hostilium locorum
 40 gnari essent, in commilicium euocatis, per | Suinam in-

(359)

p. 920

p. 921

uectus, Iulinum oppidum, incolarum fuga desertum, incendio tentat, Henrico Diminum obsidione complexo. Qui cum expugnacionem dubiam difficilemque animaduerteret, amnem, qui castra sua a menibus diuidebat, transuerso ductum alueo, remociore cursu urbem preterlabi coegit. Quo facto hostium muris summam defensionis opem conciliauit, presidium eius pro oppugnacione molitus. Ea re effectum est, ut actam estate obsidionem autumno inglorius solueret. Cuius discessionem fortuitum urbis incendium subsecutum est, suis uiribus tribuente fortuna, quod Saxonice deferre dignata non fuerat. Eadem benigniore Danos lumine contemplata, eorundem ministerio Criztouam urbem conflagrare permisit, indigenas uero, metu palantes, ad loca paludibus obsita uirium inopia confugere coegit. Quod Absalon captiui cuiusdam, cum fratre minore coniugeque et liberis comprehensi, indicio expertus, rogare eum cepit, an suam | suorumque libertatem latencium ciuium prodicione mercari cuperet. Ille condicionem cupide pactus, se ipsum terrestribus copiis petendam paludem cincturum, fratrem uero nauigaturis ducem promittit. Sic enim Sclauos, anticipi fuga implicitos, nusquam dilabendi materiam habituros. Ea palus a superiore per angustum amnis discrimen abrupta, minoribus duntaxat accessa nauigiis erat. Quibus dum Absalon eam peteret, a captiuo errorem simulante ductum minis extorsit, saltumque meditantis ceruici nexum inferri precepit. Multi in eum ex Sclauis, dum cimbis fugam capessunt, incident. Armenta, ab iisdem inter mare paludemque coacta, a Sialandensibus capta ac per totum exercitum distribui curata sunt. Que res ei plus inuidie apud socios quam glorie quesivit, quod ab uniuersis capendum erat, a solis Sialandensibus occupari dicentes. Qno paludem egresso, quidam ex nautis petulancioris lingue ducem supplicio dignum per iocum dixere, quod, cum nauigacionem premonstrare || deberet, ignoranciam finxerit, promissumque suum secutos simulato errore fallendos curauerit. Ille, ludibriis pro serio ductis, laqueo destinari se ratus, dum aquam e stagno tanquam mundiciarum gracia peteret, ultro precipitato corpore profundum insiluit, anticipare fatum quam expectare preoptans. Qua temeritate dubium reliquit, perieritne, an sub undis saluus ena-

p. 922

(360)

*uerit. Quibus rursum, | ut fieri solet, euomitus, restim, CLXXX.
 quam collo innexam habebat, manibus, ne per eam attraheretur, complicandam curabat. Mersus denuo uisentes eadem, qua prius, ambiguitate compleuit. Sed corpore 5 eius tandem exanimi reperto, dubietatis quieuit contencio. In tantum autem illic exercitus noster captiui pecoris gregibus abundabat, ut in iisdem agendis cotidiana pastorum opera uteretur; quorum discursum periculo uacuum generalis carundem parcium uastitas efficiebat, quam tanta 10 incendiorum uis pepererat, ut hirundines quoque tectis, quibus habitare consueuerant, orbate, gubernaculis nauium ac proris, fetum procreature, nidos affigerent, domiciliorum usum ab hostibus mutuantes. Post hec rex Henricum, diutina Diminensium obsidione suspensum, alloquio peti- 15 turus, terrestri itinere arrepto, urbem Cozcoam a nemine defensam igni implicitam reliquit. Cuius processum tum amnis cuiusdam profunditate insignis, tum ulteriorum locorum difficultas indicata cohibuit. Hinc regi in Caminen- 20 sium prouinciam transitus fuit, quam rurali magis populacione, quam ulla munitiōnērūm oppugnacione permensus, Camino duntaxat inaniter attentato, nauigia, quis captiuum pecus ueheret, prendenda curauit. Hec tam uber pecoris opportunaque commeatibus erat, ut exercitum nostrum bimestri edulio aleret. Legacione deinde ad Henricum 25 missa, presenti milicie finem imponere iubet<ur>, illo obsidionem, quam frustra gesserit, ocios soluturo. Quibus responsis acceptis, interiacencia queque partim ferro, partim igni adortus, per summam hostilis rei populacionem Walagostum accedit. Quo uiso, Walagostenses, Zulistro duce, 30 extremam pontis sui partem conuellere ceperunt, ne quis hostium per eum irrumperet, inhibituri. Cuius fragmentis pauci ex nostris perinde ac scalis utentes, amminiculantibus sociis, ascensu obtento, hostium urbe exiliencium irrupcione petuntur. Quibus ob paucitatem resistere nequeuntibus, 35 Hemmingo excepto, omnes cessere. Absalonis hic armiger erat, leibus armis instructus, ad discrimina subeunda promptissimus semperque se periculis immergere solitus. Qui dum se paruulo pedis regressu urgentibus subtrahit, talis gladii, quo cinetus erat, longitudine offensis, supinus 40 concidit. Quo lapsu plus glorie quam incommodi expertus

est. Nam inter crebras hostium hastas, quibus acerrime petebatur, non tam suo quam fortune clypeo protectus, ut primum genibus se excipere potuit, districto ferro propriorum tibias appetiuit. Quibus paulisper cedere compulsis, 5 sublimis desiliit, sociorumque, tandem ex pudore fortitudinem capiencium, accursu petitus, oppugnatores urbem repetere coegit. Ita ad suos regressus, ac toto corpore integer repertus, ammiracioni uisentibus fuit. Igitur non solum fortitudini ipsius, sed eciam fortune ueneracio tri-
10 buta est.

Ea tempestate Romani scismatis controuersia, astipulante Cesare Federico, pertinacissimo Germanorum errore compluribus annorum curriculis alita, ueri pontificis Alexandri pedibus | proculata succubuit, diuiduumque ecclesie statum
15 catholice concordie uinculum colligauit. Quo in tempore regis Lundensiumque, nec non Absalonis legati Roma regressi, leto patriam nuncio compleuerunt. Qui tametsi diuersas atque contrarias res peticione complexi uiderentur,
20 ea tamen Romani pontificis industria sunt excepti, ut pars utraque sibi pro uotis consultum gauderet. Nam et Absaloni Lundensem pontificatum assumere iussum, et Roskildensem ad ministrare permissum. Ita geminum ecclesie regimen in eius ius dicionemque concessit, alterum precepto,
25 alterum indulgencia sorcientis. O nouam et inauditam curie munificenciam! Récusanti pallium ingestum est, insigneque, quod* potentibus egre prestari solet, repugnanti
30 uiolenter imprimitur. Dignos humeros, quibus tam preclarum onus imponeretur! Veniens' siquidem Romanorum legatus, Galandus, Lundensi clero Roskildiam euocato,
35 presentem Absalonem non solum literarum recitacione, que eum eleccioni parere iubebant, sed eciam anathematis comminacione, quo sé aduersum eum, si repugnare persouerasset, usurum dicebat, electoribus assentiri fidemque obediacionis solenniter ab iisdem recipere coegit. Quem post modum Lundensi in templo pallio, quod attulerat, muneratus, die postero Ripensium electum Homerum religioso eius ministerio pontificem consecrari consperxit. Ita legacione syncerissime atque integerrime gesta, hybernis exactis, Romam reuertit.

p. 925

(361)

CLXXXVII^b

SAXONIS GRAMMATICI

HISTORIE DANICE

LIBER DECIMVS QVINTVS.

Post hec rex, nondum ulcionis in rerum suarum
 5 raptores sacietatem adeptus, expedizione <Scalau>iam petere
 statuit. Quam dum, septentrionalibus Iutis supersedere
 iussis, australes immenso uentorum flatu peterent, Slesui-
 censium antistes Fredericus, perfectissimum honestatis
 specimen, dum ueli magnitudine eximiam aurarum molem
 10 intolerabilesque nauigacioni notos complectitur, defecta
 gubernaculo puppe, cum omnibus pene sociis periclitatus,
 contracte classis animos ingenti luctus acerbitate confecit.
 Cuius fato minus triste non fuit, quod, sociorum cadaueri-
 bus ultro repertis, solum eius corpus impensis perquisitum
 15 ante spiritus sancti solenne deprehendi non potuit. Cuius
 tempore Sialandico littori appulsum non odore triste, nec
 aspectu deforme compertum est, prorsus ut corruptela
 uacuum existimares. Quo integratatis habitu sanctitatem uiri
 diuinitus declaratam crediderim. Nec minus ueneratu
 20 dignum, quod idem, frustra ab amicis quesitus, eius potis-
 simum festum corporis sui repercione clarescere uoluit, cui
 peculiaris cultus officio honorem habere consueuerat. Tum
 uero insignis Absalonis gemitus erat, precordialis amici
 casum lugentis. Rex | copiis apud Falstriam obuius, uocata
 25 maiorum concione, prouisum sibi, inquit, paruula manu
 magnas hostium copias non lacessere, eam milicie con-
 dicionem habenti, cui plurimum glorie uel opprobrii debe-
 atur. Quam ob rem se pocius Absaloni Kanutoque filio

expedicionis summam committe^{re}, si bene rem gererent, aliquantulum laudis, si male, parum uituperii relaturis. Illi iussibus celeriter obsequuti, Rugianorum eciam classe, quanta subito contrahi poterat, adiuti, incessata nauigacione
 5 Ostroznam accedunt, in occupando hoste non minus celeritate quam audacia usuri. Quorum tam latens improvisaque irrupcio extitit, ut plerosque Sclauorum domi inopinatos opprimerent, prouinciamque penitus* incautam uastas- CLXXXVIII^a
 sent, ni incendio demum ab inerioribus edito proderentur.
 10 Illic binis forte Sclauis nauigio fugam querentibus, cum alterum a Gerimaro teli iactu prostratum reliquus ulcisci cuperet, cognito, quod Rugianorum ducem appeteret, telo uerecundius abiecto, dilabitur. Tanta apud hanc gentem uiris in fastigio positis ueneracio penditur. Interea classis
 15 per Penum amnem allapsa, equis, quos inter pascua repertit, captis, Walagostum progreditur. Cuius ponte disiecto, transituque obstaculis uacefacto, propter menia ancoras iacit, oppidanis imparata adhuc tormenta tractantibus. Eadem obsidionis fastidiis nauigacionis dispendia anteponens,
 20 tam uagum sparsumque milicie genus secura est, ut hostibus errore ludificatis, ubinam maxime sua tueri deberent, ineptum relinquenter. S*(i)*quidem euitatis locis, in quibus eos obuios habebat, defensoribus uacula petebat, quibus eadem accidentibus ex consulto cedebat, et ad partes
 25 presidio carentes miliciam transferebat. Et ne ulla negotiorum intermissio foret, peditibus remigio noctes, somno dies exigere, equitibus uero nocturnam requiem diurnis milicie laboribus rependere constitutum. Aduersum quem excursacionis modum Bogiszlaus et Kazimarus nihil in
 30 armis remedii ducentes, animaduerso, patrie uastitatem, nostrorum non minus agilitate quam uiribus inchoatam, suo ductu propulsare non posse, emende pacis consilium capiunt, quorum arma ferre non possent, amiciciam mercaturi. Quibus accessis, eorum se uiribus impares confessi, presencium finium iacturam inter damna *non ducere* simulant, amplissima Pomeranie deserta nouis sedibus complexuri. Ad hec Nicolaus Falstricus in risum solutus, sinistre eos patrie consulere dixit, cuius inferiora Danis, superiora Polanis, finitimorum manu hue atque illuc iactati,
 35 40 cedere cogerentur. Quo dicto patrie salutem circunspicere

moniti, centum libris nummum Absaloni, quod penes eum expeditionis arbitrium esset, totidemque Kanuto promissis, legatorum a se captorum dimissionem cum duobus milibus talentum, qua summa rapinam regi inflictam rependere^(nt),
 5 pollicentur. Ad hec Absalon responsum moratus, seductis maioribus, offerri condiciones ab hoste dixit, quarum usus perniciosus patrie, *sed gratus*, contemptus uero commodior, quam carior esset futurus; siquidem pecuniam regi, pacem ciuibus, captiuis missionem pacti nomine lucri> fauori
 10 quam | utilitati proprius emolumentum esse; iisdem uero pro nihilo ductis, a bello non recedere, saluberrimum. Iam enim Scelauorum uires eo tenuitatis esse redactas, ut, si pax desit, dpcionem sequi necesse habeant. Ita se suis, bellum, an pacem probent, diligendum relinquere, ne,
 15 alieno consilio preterito, proprium audacter secutus uideatur. Respondetur, ei potissimum parti studendum, qua publicus fauor possit acquiri. Hac sociorum sentencia Absalon uti compulsus, ne anxiam regis expectacionem inopinata redditus sui celeritate concuteret, ab Esberno se precurri iubet,
 20 speciosum gestorum nuncium perlatus. Qui, propter Hythini insulam tempestatum aduersitate coercitus, non ante tempestuum profecionis || celum sortitus est, quam Absalon, receptis obsidibus, eiusdem uenti beneficio allaberetur. Cuius precelerandi gracia nauigacionem impensius conficiebat. Qua forte rex inter uenandum conspecta, prepropterum postere classis redditum ammiratus, fugam suis inieictam credebat. Quam sollicitudinem falso contractam, cognitis ex Esberno rebus, effusiore gaudio permutauit, utilius pace bellum confessus. Quem eciam hospicio benignissime exceptum plenis hilaritatis officiis prosecutus est.
 25 Die postero classem non solum impensioribus uerbis laudatam, uerum eciam osculis honoratam dimittit.

Quo post modum apud Iutiam diuersante, Kanutus et Karolus, petulanciore manu quam ualidiore delecta,
 30 Hallandiam adorti, exilii* proprio scelere contracti suppli- CLXXXI cium a patria sumere conabantur. Qui dum Hallandensium multitudine, quam sibi fauturam sperauerant, repellerentur, fatum fuge anteponentes, propter nemus, quod Hallandiam a Gothia secernit, aciem ordinant. Vbi infelicibus auspiciis
 40 preliati, graues tentate patrie | penas dedere. Nam Kanutus p. 930

crebris uulneribus exceptus, ab agrestibus captus, eundem, quem Magnus, carcerem expertus est, supplicii socium sortitus, quem facinoris consortem habuerat. Karolus mortifico uulnere obrutus, paruulo uie excessu petito, fortem spiritum inter molles arborum frondes depositus, felicior obitu quam frater uita. Quorum patrimonium Waldemarus lege, que patrie reos omnibus bonis damnat, adeptus, insperata opum incrementa contraxit. Igitur Karoli corpus putre post modum ab indigenis repertum documento fore potuit, aliena fastigia cum proprie contemptu fortune concupiscenda non esse.

Post hec Henricus, ob exercitum Cesari aduersum Italos negatum, grauem bello offensam expertus, cum tante rei molem uiribus suis maiorem cerneret, Waldemarum sibi obuiam crebris nunciis euocatum, pertransito ponte, cuius numquam antea dimidium excedere consueuerat, per summam mutue fidei exhortacionem obnixa auxiliu peticione sollicitat. Adeo superbie necessitas imperat, fastusque infortunio domatur. Ad quod rex se nullo fidei debito compelli prefatus, amicicie tamen, quam olim cum eo iunxerit, si monitis suis obtemperatum foret, affuturum promittit. Igitur Henrico, quenam hec essent, cognoscere cupiente, cum terrenum, inquit, imperatorem attentare inter ardua ducatur, multo celestem lacescere periculosius, qui proprio nutu, preter humanum amminiculum, prospera uel aduersa afferre mortalibus possit. Quem si Henricus, iampridem a se pontificalium bonorum rapinis offensum, congruis restauracionis officiis complacasset, uictoriam mente presumere posset, alioqui bellum temere conaturus; quod si, infesto deo, communiter ab ipsis committeretur, ambos hosti uictoriaram cessuros. Neque enim dubium fore, quin caduca ac fragili potentia usurus sit, quisquis diuine pertinaciter obuiare presumpserit. Igitur se non nisi expiato periculo commilicium prebere ausurum, publice religioni quam priuate amicicie propiorem. Tum Henricus, multa a se pontificum bonis beneficij nomine extorta confessus, quibus si sponte cederet, ultime paupertati subiiceretur, corrase attonscque ceruicis homines tanti a se estimari negabat, ut ultro opibus carere, plusque eorum ire quam glorie sue tribuere uelit. Repulse tamen sue silencium ab ipso geri

precatur, ne in uulgus negate opis fama dissereretur. Sic rege dimisso, promissi ab eo presidii simulacionem apud milites, ne ad Cesarem deficerent, exhibebat, hac spe eorum animos firmare cupiens. Regressis inde Danis, mirum dictu et nouitate prodigium incidit. Siquidem una noccium infinitus murium grex e longinquo rure concurrens, tristi occantu edito, Selcensibus aquis sua sponte submersus interiit. Quorum cadaueribus || uento iactatis littus mane constratum apparuit. Que res utilior incolis an mirabilior fuerit, incertum est. Eadem quoque nocte | Absalonis quietem capientis exuuie a soricibus corrose certissimum future uexacionis eius omen dedere.

Cui Sialandiam regcesso nunciatur, turbatis Scanie rebus, plebem a primoribus dissidentem aduersum regios 15 questores publice consternacionis impetum distrinxisse. E quibus Agonem, splendide prefecture uirum, in concione Lundensi plena temeritatis uiolencia probrosius contrectatum, ac prope uulgi manibus discerptum, ni in edem diui confugisset Laurencii. Quam facem, turbulentissimo multitu- 20 dinis furore accensam, non nisi per Absalonem extingui posse, cui fa*cilius sit orientis quam adulti tumultus arma comprimere. Quam ob rem oportere eum citato Scaniam petere, si rebus regis laborantibus digne consultum cupiat. Qua de re Suno et Esbernum consulti, quam poterant dis- 25 suasoriis uerbis profecionem damnabant, dicendo, comper- tum sibi, tacita principum conspiracione plebem instinctam non aliud hoc motu, quam Absaloni periculum petere. Sed Scaniensium legatis rem sine eo sedandam negantibus, iturum se, utcunque fors tulisset, respondit, eciam salutem 30 suam, si ita res posceret, tot egregiis regis meritis impen- surum. Igitur premissis, qui Scanie primores, habende concionis causa, ad urbem Lundiam contraherent, exemplo se uenturum promittit. Nec Scaniam petere cunctatus, patricio spiritu publico furori constanciam suam obiicere 35 properauit. Plebs siquidem, acerrimis consternacionis fluctibus concitata, ciuilis iniurie quereelas sediciose accusacionis genere prosequebatur. Sed et Thordonem, concionari ex- orsum, crebris sibilis infestoque clamore uexatum cepto desistere coegit. Ceteris quoque regiarum parcium assen- 40 soribus dicendi potestate negata, solam Absalonis uocem

tranquillis auscultacionis modis exaudire sustinuit. Qui cum multitudinem imperitis clamoris iurgiis obstrepentem salubriumque monitorum inpacientem aduerteret, diuidendi ratus, prouinciarum conciliis triphariam distribui iussis,
 5 cunctas se principum culpas emendaturum edixit. A quo Thordo, quod eum ad tumultus uix sedabiles parum uerae cibus mandatis euocasset, increpitus, concitate plebis demenciam a temulencia coortam affirmat, eiusque rei quosdam in concione stertentes fidem fecisse. Quam ob rem
 10 non in urbe, sed campo | concionandum fore, ne hominibus pocioris audis uiolande sobrietatis accessus suppeteret. Proxima Absaloni cum australibus concio fuit. Illic regium satrapam Petrum (Euari hic filius erat) profectis ab inuidia accusacionibus asperius quam uerius laceratum, quo
 15 tuciorem ab hoc calumnie genere prestaret, proximo sibi sedendi loco recipi iussit, uenerabilique uicinitatis sue presidio, nequid in amicum atrocius consuleretur, prouidit. Postera luce per summam licium cognitionem exacta, pleno equitatis iudicio cunetas querelarum partes absoluit, cau-
 20 sisque legitima diffinizione explicitis, delectatam beneficio plebem ad grates sibi rependendas adduxit. Inde progressus, indigene militis indicio cognoscit, sediciose edicti generе concitatum populum, apud album fontem concioni quatriduo uacaturum. Igitur tametsi Scanorum potissimum
 25 stiparetur, ad supplendum tamen arbitrorum numerum etiam Thordonem nuncio uocatum, quid sibi super popularium motu recens fama prodiderit, edocet. Ille uerbis suspicionem dementibus rumoris fidem leuare, nihilque tale metuendum astruere, ceteris aduersum uim publicam res
 30 caucius gerendas monentibus. Ita sentencia variante rerum dubiis, indubitato Sygaftham insulam explorandi gracia adire collibuit. Illic | Absalon, ante accepta cerciore expertus nuncio, consternatam amencia plebem, quod ei se tuto obiecturus non || uideretur, procuratis, qui concionem
 35 accederent, per summam equitatis promissionem delinire constituit. Qui cum omnia atrocissimo multitudinis furore misceri, ipsamque, ausu petulanciore instinctam, effusa uerborum licentia nobilitati insultare cognoscerent, acto mandatorum silencio, maximum sedicioni incitamentum dedere, plus alienae demencie quam proprie legacionis officio

p. 933

p. 934

(365)

tribuentes. Quod perfidia an metu egerint, dubium reliquere. E quibus Petrus longus, insignis stature, egre dicendi potestatem adeptus, affirmare, se, tametsi miles Absalonis esset, respectum eius ciuium cultui non anteferre,
5 populi maiestatem pontificis partibus priorem ducere, plus publice caritati quam priuate debere; cete*rum ad omnes uulgi actus imitandos propensiore animo fore; libertatem eius, iam quasi naufragam ac periclitantem, ne armis quidem protegere dubitaturum. Responsum a concione est,
10 ludificari plebem, quam Absalon magnatesque, rapinis uulgus affigere soliti, de industria petere supersedissent. Quam uocem uniuersis acerrimo clamore comprobantibus, multitudo maximo fragore dissiliens, armata passim equos inuolat, Absalonis penates hostiliter petitura. Neque enim
15 eo properanti succurrit, illos a se lares incursti, quos tocies sibi munificos experta fuerat. Cuius nunciandi gracia legatorum iuniores, telis, quibus undique petebantur, callidius euitatis, citato Sygoftam peruenere. Ea re concussi milites Absalonis diuerso consilio defensionis auxilia
20 circunspiebant. Alii pratis spaciantes equos colligere, pars uadum pretentum insule, quod post modum Absalon latericio opere uallandum curauit, contractis, quas fors obtulerat, qua|drigis, obcludere, pars saxa iactilia lectitare. Tum Absalon, hortante seniorum turba, aut obsidioni
25 animum preparare aut, primis incursancium ante nimium et intolerabilem multitudinis aduentum oppressis, abscedere, neutram consilii partem probare se dixit, quod nec opportunos obsidioni commeatus haberet, et se patrem pocius quam predonem existere meminisset. Sed neque se pacis
30 studium, cuius condende causa aduenierit, humano sanguine polluturum, aut pias pastoris partes truculento percussoris officio mutaturum. Malle uero, qui primi irrumperent, innocue et sine cede deturbandos curare, facile fugam daturos, quod nullo fulciantur imperio. Militibus deinde
35 quempiam plebeiorum uiolare prohibitis, primorum agmen, propinquum collem acie occupancium, prelata cruce adortus, in proximum nemus refugere coegit, comprehenso sedicionis auctore, quem memores iussorum equites, armis amictuque nudatum, pulsare duntaxat contenti fuere. E quibus unus
40 confertissimis hostium globis lasciuioris equi petulancia

adactus, loco palustri, ignorantibus sociis, concursu popularium interficitur. Ita Absalon agrestium impetum elusisse contentus, nullo hostiliter imminentem, liberum repetende urbis iter habuit, eisdem audissima insule direpacione irarum suarum proculsum expletibus. Igitur patricii spiritus pontifex, ut tranquillum ita salutare consilium secutus, pietatem seuicie preferendo, dum gregi parendo consulit, plus glorie et uirtutis in innocencia ac moderatione quam lesionum suarum ulcione constituit. Quo enim se longius a ferri licencia retraxit, hoc religionis laudi proprius admouit. Superuenientibus deinde, quos ad deleniendam concessionem direxerat, eorum uocacione queritur simplicitatem suam hue discribinis esse perductam, percontatus, cur improvidum se et imparatum ad res tanta difficultate implicitas secura mandatorum specie pertrahere uoluissent. Quibus se nihil tale suspicatos dicentibus, culpamque negligencie confessione excusantibus, estimare eos, quid nunc expediatur, iubet, preteritum errorem presenti consilio cor|recturos. || Respondent, nec armis se nec auxiliis instructos, contrahendi utriusque commodi causa domum digredi necesse habere, paraciores postridie reuersuros. Ipsum interim exquisito latebre genere uti debere; probro caritatum, qui tempori consulat. Quod utrum malignitate ingenii an inopia consilii protulerint, estiment, quibus sequencia eorum acta cognosse fastidio non fuerit. Refert Absalon, honestiorem sibi castelli, quod in Sialandia haberet, aditum fore, parum latebras exquirere solito. Quarum deformitatem perosus, Thordone nauigium prebente, discedit. Neque enim claritatem suam obscuriore loco coarctandam putabat, cuius fulgorem per tot terrarum spacia conspicuis uirtutis ope*ribus diffusum non ignorabat.

Sialandiam ingressus, Waldemarum, apud insulam Samsam uenandi studio inseruentem, recepta ab ipso epistola petere iubetur, necessariis patrie usibus uacaturus. Vbi cum Sunone Esbernoque propositas negotiorum curas debita agitacione complexus, postremo apud regias aures Scanici tumultus famam edidit, primusque ipse perturbacionum suarum nuncium agere non exhorruit. Estuantem animo regem, sediciosisque supplicia minitantem, consilii sui delenimento a proposito retraxit, exigendeque ulcionis

p. 936
(366)

cxc*

affectum primorum Scanie uirorum beniuola uocacione
 differre docuit. Quos eciam, illum apud Fioniam petituros,
 plenis humanitatis officiis prosequi non supersedit. A qui-
 bus eundem precari rogatus, ne Saxonem, Achonem, | Su-
 p. 9
 5 nonem et Esbernum, homines extra Scaniam ortos, eius
 rebus preesse pateretur, affirmantibus, finem sedicioni fore,
 que ob solam eorum petulanciam ceperit, si procuracionem
 exteris attributam ad indigenas transferri curasset, iniudicare
 eos regis potencie respondit, cuius in dandis beneficiis
 10 arbitrium abrogare nitantur. Se uulgi *seuiciam experiri
 quam regiarum rerum dominium, tot seculorum usurpa-
 cione firmatum, insidiosa prece subruere malle. Tum illi,
 omnem consternacionis rabiem in eius caput effundendam
 minati, superbius equo responsum dedere. Iisdem a rege,
 15 quidnam mitigandis Scanie rebus efficacissimum esset, in-
 terrogatis, solam eius epistolam, que blanda asperis certe
 moderacionis temperamento misceret, huic tumultui sedando
 suffecturam dicebant. Quorum instinctu rex plebem Sea-
 nicam plenis minarum literis aggressus, non parum nutri-
 20 menti publici furoris incendio addidit. Siquidem indignatus
 populus, eum aduersum se concitacionibus notis usum,
 aduersum hunc scribendi ausum iram suam seuerius de-
 stringendo omnia uectigalium iura solenniter abroganda
 curauit. Pontificales quoque decimas execratus, sacerdo-
 25 tibus coniugia decernebat. Quorum eciam sacra | sibi, ex-
 pleso pontificis ministerio, sufficere predicabat. Igitur in
 diuina pariter humanaque grassatus, maiestatis contemptum
 religionis iniurie sociabat. Rex frustra minis institisse se
 uidens, armis agere constituit, exactoque messis tempore,
 30 in traiicendo milite magnis nauigiorum copiis succinctus,
 Helsingum oppidum petit, Absalone inter postremos appelle-
 re iusso. Plurimum illic uulgs, piscandi opportuni-
 tate contractum, crebris habitaculis occupauerat littus.
 Quod, Absalone uiso, odium eius alimentorum suorum
 35 studio anteponens, littorales et, quos casus obtulerat, la-
 pillos aduentanti ipsius nauigio obiiciebat, parum recolendo,
 illum a se Scanie finibus pelli, qui cunctis Danie locis
 tutum habitacionis usum prestiterat. Pars, rege in con-
 cione relicto, per summum maiestatis contemptum ad mare
 40 decurrentis, antistitis aduentum pari iniuria excipiebat. O

ingrata Scaniensium' gens, que pleno temeritatis furore tot
 commodorum tuorum auctori iniuriam pro gracia rependere
 rubori non ducis. Pastoris parentisque tui nauigium, im-
 probissimis euecta furiis, finibus tuis prohibere conaris,
 5 cuius beneficio tibi, piraticam tocies seuiciam experite,
 tuta late nauigacio patet. Illi presentem littoris aditum
 negas, cuius bellica uirtus, ne tu quidem hac littoris sede
 pellerere, perfecit. Deßine ergo optimis amplissimi inte-
 gerrimique uiri meritis quasi grauissimis insultare delictis,
 10 erroremque iniquo animorum iudicio contractum ueloci
 penitencie studio redime. Nec pacienter rex tam contu-
 meliosam eorum audaciam ferre potuit. Estuantem eum,
 equosque et | arma poscentem, Arusyorum pontifex Sueno
 medium complexus, nequid duri in plebem committeret,
 15 obsecrabat. Pietas illi an metus hunc ausum prestiterit,
 incertum* est. Sed apud regis animum, continua Absa- .cxcv
 lonis caritate flagrare solitum, uenientis amici pericula
 complectentis precibus preponderabant. Quo descendente,
 qui nauigium infestauerant, summa cum innocencie simu-
 20 lacione, repetitis tabernaculis, Absalonii littus cessere. In
 quo post modum diuiduum ei regique cum Scanico milite
 colloquium fuit. Scanienses, apud quos rex sopiende
 sedicionis consilium agitabat, Absalonem aduenasque Scanie
 porcioni prepositos remittendos monebant, dicendo, nihil
 25 ad publicam demenciam comprimendam eorum absencia
 efficacius fore, que non aduersum regem, sed in illorum
 plenos malignitatis actus exarserit. Huius sentencie suf-
 fragatores Iutenses milites fuere. [Creditum est, eos partim
 decimarum odio, quarum nuper Scanie Sialandieque solucio
 30 inoleuerat, partim metu ex Fotensis pugne recordacione
 contracto Absalonis affectasse discessum]. | Quam eiusdem
 p. 939
 equites honestiore animi iudicio execrati, tantum sibi ne-
 cessitudinum, tantum generis armorumque robur esse dice-
 bant, ut, inuitis infestisque popularibus, herum suum,
 35 absque regiorum militum amminiculo, per cunctas Scanie
 partes a se tuto libereque circunducendum sperarent. Quo-
 rum animosis adhortacionibus rex, ob pacem plebi con-
 ciliandam, ignauos Iutensium monitus anteponens, uocato
 Absalone secreto, memorat, quantam inuicem sentenciarum
 40 concordiam semper gesserint. Numquam sibi tam diuersa

ac rigida animorum iudicia fuisse, quin ad postremum alter
 alterius arbitrio flecteretur. Orare deinde eum, progres-
 sionis in Scaniam propositum deserat, Sialandiamque repe-
 tere deforme non ducat, speciosis aliquando consiliis utilia
 5 prelaturus. Ad hec Absalon, ne tunc quidem se uetrem
 obsequendi morem relicturum, prefatus, consilio usurum
 affirmat, quamuis absenciam suam multis et graibus men-
 dacionum notis lacerandam sciat. Rex, graciis tante mode-
 racioni impensius actis, equites eius in augmentum comi-
 10 tatus depositit. Illi in plenos fidei caritatisque fletus effusi,
 hunc sibi supremi perpetuique dedecoris diem affirmant,
 hu[i]c ignominie non propria, sed alienorum ignauia pro-
 tractis, ut, cui famulatus officia debeant, deserpcionis probra
 persoluant. Ita Absalone per summam animorum mestis-
 15 ciam relicto, regem prosequebantur. Graues illi difficiles-
 que cum plebe conciones fuere. Vbiique enim causas
 armata dicebat, animum habitu ostentatura. Cotidie Absa-
 lonem | falso et inaudito obtrectacionis genere lacerabat.
 Hec audientes Iutenses occulto laudacionis studio prose-
 20 quebantur, blandiciis fouentes, quod armis punire debuerant.
 Qua adulacionis deformitate maximum sedicioni irritamen-
 tum dedere. Rex, finitis commeatibus, Scaniam relicturus,
 lectos e plebe uiros componendi cum Absalone gracia, ad
 illud Sialandie littus, quod ab Helsingo oppido uocabulum
 25 tenet, traicere iubet. Vbi demum | Absalon regi obuius
 factus, compluribus innocencie testimoniis obiecta purgando,
 cunctas mendacionum partes, quibus absens notatus fuerat,
 adeo ualidis copiosisque rationibus subruebat, ut criminatores
 reatum confiteri coactos ad ueniam a se flagitandam
 30 adduceret, deque accusatoribus sui ueneratores efficeret.
 Nec parua apud omnes eloquacie eius ammiracio extitit,
 compluribus, qui aderant, diuino ore eum egisse dicentibus.
 Sed hec omnia Scaniensium legati ad ciuium arbitrium
 35 relegantes discedunt, absque patrie consensu nullum sibi
 componendi ius esse testati. Sed neque eorum fida ad-
 hortacione populus Scaniensis ad deponendam consterna-
 cionis sue rabiem adduci potuit. Nam || nec decimas ponti-
 calibus usibus solui curatum, nec quicquam, quod ad
 40 prestanda sacrorum iura attinebat, exhibutum. Quorum
 infandam sacrilegamque pertinaciam Absalon, proximo

p. 94

p. 34

(368)

sacerdotali concilio per epistolam uisitato,* cunctarum ^{cxii.}
 Scanie ecclesiarum obseracione puniri precepit. Cuius
 edicti premonita plebs per idem tempus ante edem Lau-
 encii in concionem armata descendit. Ad quam sacer-
 dotes binis ordinis sui viris, qui pontificalis edicti rigorem
 exponerent, missis, sacrorum cessationem diuinique tac-
 turnitatem officii, si decimarum solucionem abnuere perse-
 uerasset. minati sunt. Delegantur totidem e plebe mutuas
 sacerdocio minas intentaturi. Ab his responsum est, sacer-
 dotes alimenta sua plebi, non pontifici debere, quorum
 munere et beneficio necessariis uite usibus instructi noscan-
 tur. Quocirca aut diuinis inseruant, aut ingratia patria
 cedant, si neutrum egissent, non solum bonorum omnium
 penam, sed etiam sua membrorum supplicia recepturi.
 p. 943

Ad hec clerus responso constantissime dato, se neque
 mortis metu neque paupertatis respectu, quo minus anti-
 stitis sui imperium perageret, cessaturum affirmat. Tam
 pia tamque religiosa cleri constancia euictum uulgus, pre-
 cibus minas mutando, quoad Absalon conueniri posset,
 sentencie dilacionem posebat. Ciule siquidem bellum se
 excitaturum timebat, si in sacerdotes sibi nobilitate pares
 animaduertere studuisset. Nam cum in Scania alienigene
 indigenis permixti sacerdocia gererent, amplior tamen
 digniorque domesticis reuerencia prestabatur. Quo effectum
 est, ut utriusque ordinis consensu mitterentur, qui iustas
 animaduersionis inducias flagitarent. Haud egre ab Ab-
 salone obtente sunt, plus clemencie quam seueritati indul-
 gendum putante. Multum ab eodem graciarum sacerdo-
 talis cetus constancie persolutum. Nihilominus populus,
 cum contemptu beneficii, regiorum pontificaliumque milii-
 tum penates publice diripere perseuerauit. Appetente
 publici ieuii tempore rex Scaniam, eius Sialandieque
 milicia succinctus, Helsingo transitu petit, Fioniensium
 Iutorumque comitatum, ob prebita ab eis iaindndum sedi-
 cioni irritamenta, pertesus. Absalon, ob chrismatis con-
 feccionem pontificali officio administrandam, Lundiam de-
 properat, ubi paucos cum rege dies feriatus, uicino rure
 se exceptit. Hac fama septentrionalis Scanie populus cum
 Hallandensibus excitus, more gentis, misso per omnes
 stipite, sub specie petende libertatis belli titulum fingit,

eoque edicti genere exercitum construit. Quem tanta
 demencia ceperat, ut manum cum rege conserere prope-
 raret, summi imperii uires laccessere nullius negotii existi-
 mando. Quo rex e | plaga australi regressus apud Dysiam
 5 pontem excepto, oranti se Absaloni, fustibus quam armis
 agere mallet, cum uiris sibi, non canibus configendum
 respondit. Igitur non ire aut furoris impulsu concitatus,
 sed conspicua animi industria ad corrigendam ciuium in-
 solenciam metumque consimilis audacie ceteris iniiciendum
 10 aliquid ab inuisissima sibi feritate mutuandum ratus, man-
 suetudinem ingenii sui, deposita ad tempus clemencia,
 crudelitatis actus imitari coegit. In ponte res gesta est,
 utrisque transitum anticipare studentibus. Anceps diu
 prelum fuit; insignis illic agrestium pugna extitit. Quo-
 15 rum aciem Absalonis equites per ignoti uadi compendium
 irrumpentes, repentinam uictoriam edidere. Multi illic
 popularium cesi; compluribus | amnis exicio exitit; ferrum
 uitantes aqua periclitati sunt. Reliquie fuga seruate. Ita
 nefarius ille cetus diuino iudicio profligatus, sacrilegi furoris
 20 penas exsoluit. Rex Lundiam regressus, orientalium par-
 cium armatam plebem aduentare cognoscit, unius iam exer-
 citus uictor, alterum excepturus. Cuius generalem con-
 uentum pugne celeritate precurrere monitus, a Lunden-
 sibus, stipendorum loco uectigalium laxacionem poscen-
 25 tibus, aliquandiu retentatur. Quibus obtentis, in proximum
 campum || excessisse contenti, longius eum, sub excusa-
 cione* tuende urbis, prosequi supersederunt. Id regi
 tardius hostes excipiendi causam prébuit. Getungam ap-
 pellant pontem (am Rande Gyldingebro), apud quem
 30 arma populi corona consedit. Grandes illuc lapidum
 aceruos prohibendi pontis gracia uecors turba congesserat.
 Rex alio amnem uado transgressus, ferro decernere statuit.
 Sed plebem non tam presencia regis arma, quam dira
 recentis sociorum cladis exempla terrebant. Missis igitur,
 35 qui pontem a rege repeti precarentur, ab armis se disces-
 suram promittit. Precipue regem Absalonis, [in] nimiam
 agrestium stragem uitandam dicentis, temperamenta flecte-
 bant. Repetito ponte, supplices a sedicionis auctoribus
 40 ad regis genua manus tenduntur, cunctaque famulandi
 officia anidius promittuntur. Cum de fide ambigeretur,

p. 944

p. 945

(369)
CXCIB

p. 948

iusinrandum promissionibus additur. Sic nulgi collegio dimisso, Lundiam redditur. | Scanie deinde giro pertransito, obsides a plebe recipiuntur. Ad reliqua facilis populus, decimaru[m] solucionem duntaxat pertinacius abnuebat.

- 5 Nihil magis regi, quam ad earum remissionem Absalonem abducere, curatum est, summopere cauendum dicenti, ne sibi forte, quod olim Kanuto Othoniensi decimaru[m] iura propagare nitenti acciderat, eueniret. Absalon, quicquam ex consueto sacerorum iure decerpere non minus inglorium
 10 quam sacrilegum ratus, constancius id se facturum negabat, dicendo, tametsi rex plebis sentenciam fauore prosequetur, sibi impedimento non fore, quominus ab ea decimaru[m] debitum exigere perseueraret, neminem ad participanda secum pericula prouocaturus. Tutissimum igitur
 15 regi silencium fore, ne ecclesie opem ferendo populari se ipsum odio impliceat. Tam iustum tamque fortis Absalonis constanciam rex animo ueneratus, cum remissionem admittere nolit, exaccionem differre postulat; consilio post modum effici posse, quod armis nequeat. Paruit
 20 precanti Absalon, prefatus, se decimaru[m] loco prioribus pontificum condicionibus non usurum. ne prorsus earum iura negligere uideretur. Tam modesta Absalonis promissio consternacioni remedio fuit.

Summa post modum Cesaris in attentando Saxonie
 25 principe calliditas patuit. Non enim minorem expugnandi eius spem in acumine quam viribus reponebat. In primis Waldemarum, quem eidem cercius affuturum credebat, astucia tentat. Siquidem binas eius filias totidem filiis suis, quorum alterum successioni imperii destinarat, alterum Suevie satrapam constituerat, per legatos in matrimonium postulabat. non quod sanguini suo bone fidei nupecias quereret, sed ut hostem amicis abundantem auxiliis spoliaret. Quod callidius an impudencius egerit, ignorauerim. | Ad illum enim falsas iungende affinitatis preces
 35 dirigere non erubuit, quem olim perfidie laqueis compli- catum ad obsequia sibi pacis cenda pertraxit. Amici regis, intellecta fraude, hec non matrimonii uoto, sed Henrici odio flagitari dicebant. Tam ueros Cesariane calliditatis interpres sola regine sentencia superauit, sanguinis sui
 40 connubii[is] affinitatem cum Cesare iungere gloriosum du-

p. 947

centis. Querente rege, quantum ab eo dotis nomine exigeretur, legati se ignorare dixerunt, remque ad Cesaris arbitrium retulere. A quo rescriptum est, curandum regi Lubecam petere, cuncta secum illic commodius definituro.

5 Obtemperatum rogatui est. Interea Cesar, omnibus imperii neruis ad obruendas Henrici partes connisus, urbes eius passim ad se deficiente in dedicionem recepit. Defectionis causa non tam Cesaris amor, quam Henrici odium extitit. Is siquidem nimis ac diuturnis felicitatis 10 successibus elatus, inque summo fortune fastigio nullum ruine incommodum suspicatus, subiectas tyrannidi sue ceruices inusitata dominacionis seuicia atque intolerabili morum acerbitate uexabat, nec hosti quam ciui importunior existere consueuerat. Igitur non bello aut clade,* 15 sed fraude militum et deserctione uiribus amissis, cum solas spei reliquias in Trans[al]bianorum auxiliis haberet, Lubeco oppido relicto, quod se eius menibus parum tutum arbitraretur, summa cum festinatione correptis nauibus, in Stormariam, intimum fuge sue receptaculum, penetrat.

20 Huius prouincie preses Adulfus, apud ipsum profusis caritatis officiis a puero alitus, feliciaque nature pariter ac fortune incrementa sortitus, atque ad ordinem militarem summis beneficencie studiis prouectus, tam fedam educationis sue mercedem exsoluit, ut inter omnes Henriciane 25 milicie comites primus se defectoris nomine macularet. Post hec a Cesare nauigia, quibus Albiam superaret, sagittariis et funditoribus completa, per pronum amnis alueum immittuntur. Pari studio classis, exquisito bellatorum agmine referta, ad impediendum Cesaris traiectum 30 ab Henrico contracta. Que postquam hostilium nauium multitudinem in conspectu habuit, earundem numero per terrefacta, proposito per fugam deserto, Cesari transitum cessit. Qui dum oppidum Lubecum obsidere cepisset, Bogyszlauique et Kazymari fratrum uires ad modum 35 suspectas haberet, utriusque se potencie et claritatis incrementa daturum, subornata legacione, promittit, prouincias, quas hactenus obscure et sine honorum insignibus gesserint, satraparum nomine recepturis. Iocunda Cesaris 40 tocies ab Henrico lessis promissio extitit, non intelligentibus, sibi sub specie beneficii deforme seruitutis iugum

cxci
(370)

p. 91

p. 91

intendi. Interea Waldemarus classe luxu quam armis
 ornaciore Lubecum profectus, occurrentibus sibi Germanorum
 equitibus, eximiasque eius aduentui grates habentibus,
 nauigacionem medio amne, quoad possit, proferre
 5 depositur, quo breuius inter ipsum ac Cesarem iter
 restaret. Quo facto, postero die, an Cesarem medio itinere
 obuium affectaret, a legatis rogatus, castra eius petere
 preoptauit, Romani imperii rectorem in re modica fatigare
 superuacuum existimando. Nec minor Cesaris in ex-
 10 cipiendo Waldemaro calliditas quam Waldemari in pe-
 tendo Cesare moderacio extitit. Siquidem in primis eum
 amplexu atque osculo decentissime ueneratus, mox dextra
 honorabiliter apprehensa, deposito amiculo per media
 castra perduxit, preconis more cunctos ei uia cedere
 15 iubendo. Tentorium quoque, nimio multitudinis conspi-
 ciendi regis auide concursu collapsum, planum campi
 petendo deseruit; ubi sedande pressure gracia, distenta
 uirga, quam poterat celsa uoce, cunctos locis, in quibus
 consistent, consedere precepit. Sed Waldemarus cum
 20 eius dignacione perinde ac quadam moderationis emula-
 cione contendens, sellam suam se expectaturum respondit,
 ne, probato sedendi usu, imperialis cathedre honorem
 usurpare uideretur. Magnates honoribus eminentes non
 ordine aut racione discretis sedendi spaciis, sed ut quen-
 25 que violente pressionis casus iactauerat, sedilia habebant,
 fortuna, non dignitate locorum usum distribuente. Illic
 exaudire erat Teutonum uoces formam regis staturamque
 mirancium; quos tanta uisendi eius cupiditas ceperat, ut,
(cum) sedendi humilitas obstaret, alter alterius consensis
 30 humeris productis illumi ceruicibus inspectarent. Hunc
 regem, hunc dominum, hunc imperio dignum referre, Ce-
 sarem regulum homuncionemque uocare. Adeo barbaris
 eum excellens corporis habitus uenerabilem faciebat. Cre-
 diderim Cesarem has militum uoces dissimulanter tulisse,
 35 ne regis laudibus offendi uideretur. Quem post diutinam
 omnium ammiracionem, paucis secum exsurgere iussis, in
 proximum tabernaculum eodem comitatis genere deducen-
 dum curauit, quo uenientem fuerat prosecutus. Illic eum,
 seruis omissis, aliquandiu beniuolo iocundoque sermone
 40 detentum, ad uesperam, prosequente tocius Germanie

iuentute, discedere* permisit, luce postera apud siluam c
portui uicinam opportunitatis colloquii gracia presenciam redditurum. Interca filios regiam nauem petere, inque ea sub specie lusitandi morari precepit, carissimorum 5 pignorum familiari conuersacione, in quanto regis aduentum poneret, ostendere cupiens. De quorum nupciis condicto in loco mencionem orsus, maiori tr^{ig}inta milia talentum, minori octo in matrimonii condicionem depositit. Queres suspecta Danorum maioribus fuit, uirgines nondum ad 10 nubendi etatem prouectas fraudulenter ab eo postulari creditibus. Sed Waldemarus, maiorem summam suis opibus imparem arbitratus, minorem, Vngarie regis, arcta sibi propinquitate coniuncti, fiducia pollicetur. Huic pacacioni iureiurando firmitas adiecta est, despensionisque uinculum sacramenti religione constrictum. His actis rex nauigia, Cesar castra repeciit. Quo tempore Sclauorum, ad ipsum regie classis metu nauigiis progredi non audendum, legatis receptis, diluculo nauigium regis, paruo militum numero comitante, eiusdem cimba adiectus, cunctis 15 inopinatus ascendit. Igitur rege exercitus sui primores participandi colloquii gracia contrahente, solum Rugie principem Iarimarum, quem pridie compluribus ueneracionis officiis, insuper regio nomine adulatus fuerat, quod eum Danis perquam fidum non ignoraret, uocari passus 20 non est. Habere deinde se dixit, quod ad regem secreto referre cupiat, quem ob futurum mutui sanguinis contractum non amicum modo, uerum eciam unanimem habeat. Sclauos siquidem enerandi gracia Henrici a se promissionibus allectos esse, quas, eodem expugnato, minime exequi 25 uelit; memor, quid olim sibi de subigenda Sclauia pollicitus fuerit. Orare deinde, paciatur, se eam ad presens sui muneris facere. binis fratribus gemine prefecture titulo speciosius quam diuturnius tribuendam. Eandem quippe se ei, profligato Henrico, subiicere curaturum. Annuente 30 rege, posteroque die concionem petente, Bugiszlauum et Kazimarum, datis solenniter aquilis, Sclauie duces appellat, ueterem atque hereditariam patrie libertatem uanis atque fucosis dignitatum nominibus uendantes. Qui si scissent, quanto oneri se exigui panni recepcione substernerent, 35 40 mortem beneficio pretulissent, aut priuati in omne uite

tempus degere maluisserent. Sic sub honoris specie grauisimis dedecoris probris implicati discedunt, seruitutem falsis dignitatum insignibus coloratam in patriam referentes. Illic quoque Syfridus, splendido Thyringie loco ortus, unam 5 Waldemari filiarum, Cesare astipulante, despondit, regiaque naue deuictus, solennes Slesuici nupcias habuit.

p. 953

Interea Sclaui, castello, quod propter Zuybensia ostia moliti fuerant, hyberna maris exundacione pessundato, bina alia iisdem in locis, materia per hyemem contracta, ueris 10 principio condiderunt, inexpugnabiles se fore rati, si P'enus amnis Walogosto oppido, Zuyna maritimorum presidiorum obstaculis clauderetur. Quod rex sero nuncio expertus, cum ad uiridem portum impediendi operis gracia contractis copiis appulisset, ex Rugianis cognoscit, consummatas arces presidiisque completas. Precipue eum in his expugnandis circumspecta portuum inopia desperare coegit. Tunc Kanuto filio *cum* Absalone, Sunone et Esberno uocatis, refert, difficilem arcium oppugnacionem sibi uisam, alienis eas auspiciis quam propriis incessere preoptanti, ne, 15 studiis parum ex sentencia cedentibus, rerum tocies a se feliciter gestarum fulgor corrumperetur. Igitur Kanuto atque *|* Absalon'i oppugnacionis curam imponit, prefatus, minus ruboris ex inefficaci illorum pugna, quam sua ad patriam redundaturum; si uincerent, non minori sibi glorie 20 fore, quam si ipsem uictoriam edidisset. Sed* Absalon, cxviii* Scanorum atque Sialandensium ductum pollicitus, Iutos sua opera ductandos negabat, quos non solum imperii sui, uerum eciam adolescencie Kanuti contemptum acturos sciat. Nec eum predicationis augurium feffellit. Permotus dicto 25 rex, iturum, licet inualidum, respondit. His curis astrictus, morbo ex sollicitudine contracto, in lectum decidit. Enim uero precordia eius diuidue passiones, hinc uincendi cupido, hinc desperacio, torserunt. *Iutorum* ducibus eum, ut sibi parceret, orantibus, impeffriumque eius eciam absentis se 30 executuros spondentibus, uix atque egre consensit, ut ad oppidum Worthyngum, filio pontificique contradita belli summa, discederet. Quibus eodem in loco diutina ac uehementi tempestate detentis, sediciose *Iutorum* uoces toto littore exaudiabantur, tum commeatuum alimentorumque 35 defectum causancium, tum expedicionis milicieque remissio- 40 (372)

nem poscencium. Quas cum Homerus, Ripensium antistes, quem preter religionis dignitatem singularis eloquacie claritas commendabat, copiosis facundie documentis delinire non posset, postremo uim uerbis anteponendam ratus,
5 quendam ex sedicionis consortibus, ante tentorii sui fores pertinacius obstrepentem, preendi uincirique curauit. Queres populi clamorem auxit, sedicionem accedit. | Igitur patres, plebis a rege cum contemptu imperii discessum ueriti, communicato colloquio, expedicionem ab eo sponte
10 soluendam decernunt, temerariam eius delapsionem simulate licence beneficio precurrendam putantes, ne magis proprio ductu finiri quam regio nutu remitti wideretur; que si in preriendo reditu proprie uoluntatis motum ducis arbitrio pretulisset, euenire posse, quod diuo Kanuto, solute
15 classis penas a patria exigenti, contigisse prodatur; quam rem Kanuto, si patrem eius iam febri implicatum presens morbus absumeret, regni successionem adimere posse. His consiliis adductus Kanutus conuocatam classem, facta reuertendi potestate, dimittit, beneficij loco erogans, quod plebis
20 petulancie negare non poterat. Ita sedicionis periculo bellum omittere coactus, cum Absalone, Esberno et Sunone Worthingum adnauigat, paterne febris exitum expectaturus. Igitur Waldemarus, per apertam cubiculi sui fenestram uelorum reditum contemplatus, ammiracione rei morbi
25 pariter atque egritudinis incrementa contraxit. Summa tamen utriusque dissimulacione usus, filium ad se cum arbitris uenientem tam hilari uultu admisit, ut pene morbo uacuus putaretur. Quin eciam se minimo doloris sensu teneri dicebat, corporis molestiam animi robore dissimulare
30 conando. Apud Absalonem tamen religiosam culparum confessionem agere non oblitus, incertum mortis tempus sacro correccionis genere precurrendum credebat, seram atque inutilem penitenciam iudicans, que emendacionis odio nimiaque peccandi perseuerancia ad ultimum usque
35 etatis terminum prorogatur. Preterea locis monastica religione sacratis dimidium patrimonii sui, que ad fiscum regium pertinebant, exceptis, testamento legauit. Sed ceteris bene de eius salute sperantibus, solus Suno, siue somnii monitu siue alio mentis oraculo doctus, fatalem hanc regi
40 febrem augurabatur, quonam modo filii rebus, decedente

patre, succurri oportet, prouidendum hortatus. Tantam
 siquidem in regis funere luctus acerbitatem futuram, ut
 consilium ullum aduerti nequeat. Eodem tempore Ioannes
 quidam religione abbas, medicine presumptuosior quam
⁵ pericior professor, cuius opi plurimum credebatur, e Scania
 accersitus aduenit. Qui, morbo parum prudenter inspecto,
 sospitatem regi constancius quam uerius promittebat. Quem
 cum cibo medicinali arte confecto reficiendum curasset,
 cunctis cubiculo ejectis, quietem capere iubet. Eundem,
¹⁰ paulo post sine uoce esse compertum, ut artuatim sudore
 suffu*sum inuenit, accuracius operiri precepit, letum id
 profluuii genus ac salutare testatus. Vtinam Sunonem
 pocius mentis augurium, quam medicum artis sue presagium
 fefellisset! Cuius promissum regis obitus insecutus, quam|
¹⁵ parum fidei in medicorum ope[re] reponi oporteat, docu-
 mento extitit. Ingressi mane cubiculum amici, defuneti
 regis corpus perquam simile spiranti reperiunt, adeo pri-
 stinum habitum retinente uultu, ut nec rigore contractum
²⁰ nec horrore mutatum cerneret, rubicundis oris notis uiui
 hominis speciem aspectumque reddentibus. || Incertum, an
 decessisset, pristini caloris habitus, totis adhuc membris
 reteatus, relinquere uidebatur. Sero tandem pallore mortis
 fidem faciente, mandatur feretro corpus, Ryngstadiumque
²⁵ funerandi gracia deuehendum curatur. Hic uicus non
 uetustate modo, sed eciam paterne eius sepulture titulo con-
 spicuus habebatur. Accessit luctui matrum miserabilis
 planetus, sparsis comis funeri occurrencium, iterumque se
 pristinum seruitutis onus experturas dicencium; extinctum
³⁰ illum, qui ciuium capitibus captiuitatem detraxerit, qui
 patriam pyratarum metu uacuefecerit, maritimasque sedes,
 perinde ac domesticas, a predonum incursu tutas prestiterit.
 Agrestes quoque, funebri ipsius pompa conspecta, rustico
 opere, quo occupati erant, relicto, consentaneis arua que-
³⁵ relis replebant. Cui eciam ut supremi officii decus pre-
 starent, funebri eius lecto humeros subiicere iocundum
 ducebant, euersam regis morte patriam miserisque sibi
 commune funus, aut siquid funere tristius est, imminere
 plangentes. Pro cuius spiritu salutaria Absalon uota gestu-
⁴⁰ rus, inter solennium uerborum nuncupacionem doloris im-
 potens, non temperauit sibi, quo minus aram lachrymis

xciii^b

p. 957

(373)

spargeret, uixque ad rem diuinam peragendam uocis aut
mauus ministerio sufficere ualuit. Quin eciam tantum
egritudinis animo contraxit, tamque graui et periculosa
ualitudine subito affici cepit, ut pene uitam cum sacrificio
5 finiret. Incredibile uideretur, tantum uirum tam insigni
luctus horrore confectum, si non eius erga Waldemarum
affactus fuisset notissimus. Sed fortuna, altero patrie lumine
extincto, reliquum perire passa non est, ne deesset, cuius
10 ductu Danie pedibus Selavia subiiceretur, aut gens, que
sub tantis ducibus ad excellentem honoris habitum prouecta
fuerat, tutore uacua remaneret. Cuius lachrymis, precum
loco defusis, respersa altaria non paruulum promptissime
eius erga regem beniuolencie indicium prebuere. Iisdem
quoque madefacta thura gratum deo odorem dedisse, cre-
15 diderim.

EXPLICITVS EST SAXONIS GRAMMATICI DE REBVIS DANICIS
LIBER DECIMVS QVINTVS.

SAXONIS GRAMMATICI

CXCIIL.
P. 959

HISTORIE DANICE

LIBER SEXTVS DECIMVS.

Peractis inferiis corporeque regio honoratissime funerato, Kanutus, monentibus arbitris, festinacione, qua regnum peti firmarie oportuit, in Iutiam secessit, paternos sibi milites obligaturus. Neque enim illi nomen regium ambiendum restabat, quod unctionis sue tempore solenniter adeptus fuerat. In concione Wibergensi beniuolos ciuium animos expertus, apud V[e]rnensem tacita quorundam simultate compressa, pari ceterorum fauore excipitur. Atque ita patrie consensu regni heres efficitur. Interea Scanorum populus, laxata sibi pristine petulancie frena regis morte gauisus, cladis apud Disiam pontem peracte piacula a principibus exigere constituit, per quos carissimis necessitudinum solaciis orbatus fuerit. Sed et Acho quidam, Tubbonis filius, plenis temeritatis eloquiis flagrantissimam ciuilibus malis facem subiiciebat, extincte et iam pene sepulte Scanice sedicionis reliquias suscitando. Cuius mali impediendi gracia Absalon in Sciam transgressus, apud plenam malignitatis concionem oracione liberius quam efficacius habita, a plebe deseritur, faccionis principes, alium concionandi locum complexos, petente. Quorum tam petulans ac preceps audacia erat, ut equis insidentes cunctam Scanie plebem ad eundem locum, sementis spacio exacto, quasi tuende libertatis gracia armatam redire sub edicto iuberent. Que res Absaloni Sialandiam repetendi causam

p. 960

(374)

prebuit. Ob cuius secessum popularis seuicie procursus
 temeritatis incrementis euectus, inque Thordonis et Esberni
 penates effusus, eosdem prius rapine, deinde incendio |
 subiecit. Complures quoque Scanice nobilitatis sequentibus
 5 diebus edes cremate. Siquidem faccionis duces, quo prom-
 ptiore plebis audacia uterentur, petulanciam eius principum
 bonis pascendam curabant, dulcedine prede et assiduis
 fatigacionis premiis iocundiores atque alacriores eius
 operam reddituri. Igitur nobilium complures, equalium
 10 exemplo uim penatibus suis inferendam timentes, bona
 omnia amicorum custodie mandabant. Pars fretum nauibus
 complexa, se et opes undis quam edibus credere preopta-
 bant; pars apud Absalonem exulare solacii et lenimenti
 loco duxit. Cuius atque Kanuti equites <remanentes>,
 15 suam eque ac dominorum fortunam afflictari cernentes,
 cum iniuriam armis propulsandam duxissent, sedicionis
 principes, frustra a se sine duce res nouari superiore tu-
 multu experti, Haraldum quendam, regii sanguinis, <s>et obtusi
 cordis | impeditique sermonis, e Suetia ad <s>eiscunt, homi-
 20 nem prorsus regno imparem, cum in eo nihil preter generis
 nobilitatem natura aut fortuna commendabile reddidisset.
 Igitur maiore cum opprobrio talem uirum Suetia miserit
 an Scania receperit, incertum est. Quo rumore attoniti
 percusisque magnates, prout se hostium aduentus fama
 25 uariabat, dubiis Absalonem legacionibus fatigant, nunc
 opem eius transitumque poscentes, nunc eundem cum tota
 manu supersedere iubentes. Nondum enim Scanie partes*
 Haraldus irruperat. Quas cum Kanuti, Suetie regis, eius- cxci
 demque satrape Byrgeri presidiis ui <ir>upisset, ad noui
 30 principis opinionem cupide congestum uulgas incredibiles
 ei copias sociabat. Quibus fretus, Lundensi urbi portas
 sibi claudenti excidium minatus est. Igitur ex magnatibus
 complures | alternis internunciis contracti fortique inuicem
 cohortacione firmati, propter Lummam amnem (am R ande
 35 Lumme aa.) castra constituunt, aliis regiorum militum per igno-
 rancie simulacionem uenire supersedentibus. Quos tantus pu-
 gnandi ardor ceperat, ut per summum non solum periculorum,
 sed eciam popularium contemptum absque paucitatis sue
 respectu, ut quenque equi pernicitas adiuuabat, sine imperio
 40 aut ordine effusis habenis in hostem contenderent. In quo qui-

dem impetu maiorem uenti (quem forte aduersum habebant) quam hostium, quos impetebant, seuiciam experti sunt. Ille enim magnitudine sua clypeos cursitantibus decussit, hi ne pectora quidem irrumpentibus obuertere ausi fuere.

5 Ita popularium acies, numero hominum quam animis pre-stancior, incruentam de se uictoram dando, plus pericli an ignominie senserit, dubietati subiecit. Enimuero, quo expedicius fugam, qua pugnain precurrebat, intenderet, se ipsam scutis exuere non erubuit, armorum onus abiiciendo,

10 quorum usus experiri confisa non fuerat. Hac igitur partim cesa, partim capta, Haraldus cum Akone, quem affectati regni auctorem habuerat, Suetiam refugus petebat. At Lundenses, suspensis ad belli euentum animis, in neutram partem auxilia commodabant, fauorem uictoribus erogaturi.

15 Qui, rei successu conspecto, perinde ac uictores uictis insultare ceperunt, cupiditate laudis et prede alienis se uirtutibus inserentes. Nec contenti popularium specie *(faccionis duces)* bis bellum potentibus intulisse, collecta concione tercium aduersum eosdem indicere grauati non

20 sunt, suscepti uulneris dolorem consternacionis furori permixtum communi | nobilitatis exicio pensaturi, tantamque prouocandi perseue|ranciam, siue pudore cladis siue cupidine ulcionis, animis insitam gestantes. Neque enim illos aut illustrium uirorum respectus aut uulnerum suorum

25 memoria, quo minus sedicionis studia sectarentur, domare potuit. Quod periculum, cunctorum Scanie magnatum capitibus contiguum, preproperus Absalonis cum Sialandensibus aduentus dispulit. Siquidem sublatis uexillis deputatum concioni locum ingressus, non solum turbulentis-

30 simo plebis proposito obstitit, sed eciam leges, que ini quisissimis eiusdem suffragiis conuulse fuerant, piissimo iudicij decreto ad pristine auctoritatis habitum reduxit. Sed neque Haraldum, quo minus a magnatibus damnaretur, absencie patrocinium protegere potuit. Hunc certe bis a

35 Scaniensibus multatum dixerim, semel armis, iterum sentenckiis. De quo quidem discernere arduum est, ferro an suffragiis punicior fuerit. Plebs quoque nihil hostile ausa, armis summa cum propositi dissimulacione depositis, Absalonis se turmilla tranquillo concedandi more iungebant,

40 singulis iudiciorum suffragiis alacrius quam libencius suc-

p. 964
(375)

clamando. Ita terribilis illa ac diutina sedicio simul cum concione finem habuit, funesto plebis conatu ulterius aduersum principum collegium insolescere non audente.

Interea Kanutus, excitati in Scania belli nuncio,

5 Fyoniam e Iutia p^te^re coactus, Esbernum, *(ab)* Absalone fratre nunciande regiarum parcium uictorie gracie transmissum, obuim accipit. Cuius inopinato occursu tristia affери ratus, herente animo deiectoque uultu, quicquam ex eo cognoscere uerebatur. Post modum non solum eiusdem 10 plena hilaritatis fronte meliora sperare iussus, uerum eciam iocunda ac libenti narracione de suorum uictoria doctus, in Scaniā ouans processit. Ac primum eius prouinciam Frostam (am Ran de Frosteherrit) rapine et incendio opportunam exh*ibuit, ua|stassetque, ni Absalonis erga illam studium gerentis inter- 15 uento prohiberetur. Quo mediante effectum est, ut ab his, qui in regem Haraldica faccione deliquerant, era tantum pene nomine exigerentur. O immensam clemenciam, cuius beneficio hominibus euidenter noxiis maximi facinoris culpam paruulo censu redimere licuit! Quo exemplo ceteri ad 20 spem uenie erecti, mitissima Absalonis opera parem regis mansuetudinem experti sunt. Egregium tunc Kanutus moderati animi specimen dedit, cum ulcionem, quam uniuersorum crimen meruit, unius amici precibus donauit. Indiguum adolescentem, cuius uirtus externi principis acu- 25 mine tentaretur! Compluribus enim Cesaris legacionibus curiam adire paterneque amicicie successionem expetere iussus, intercedente amicorum consilio, quam modestissime rescripsit, excusacionis uerbis a regnandi nouitate quesitis. Siquidem arbitris eius excussa atque explorata Cesaris 30 calliditas erat, hisdem perfidie laqueis filii simplicitatem circunuenire studenti[bu]s, quibus olim patris credulitatem implicatam habuerat. Cui cum Cesari, erepturum se regnum aliique daturum, plena minarum epistola respondisset, solum hoc rescribere contentus fuit, querendum uidelicet 35 Cesari esse, priusquam sibi regnum adimat, qui Daniam in eius beneficio reponere cupiat. Qua responsi libertate non solum minantem elusit, uerum eciam plurimum a se fiducie in ciuium animis reponi docuit. Apud quem Cesari frustra monitis egisse se uidens, Syfridum, 40 qui sororem ipsius in matrimonio habebat, subornat, quod

literarum suarum instinctu nequibat, aliene uocis supplemento persuasum haberi conando. Qui ubi Daniam intravit, quanta regis caritate ob sororis eius matrimonium teneretur, quantisque Cesar uiribus esset, exposito, Absalonem, Sunonem et Esbernum, qui soli ex amicis cum rege admittebantur, tum fidei, quam Kanuto, cuius tutores existerent, deberent, tum fiducie, quam eiusdem | pater in eorum || pectoribus reposuerat, admonitos orare cepit, (37[5](6)) ne, amicorum nomine hostes agendo, creditum sibi pupilum, annis et consilio tenerum, graue et intolerabile belli onus suspicere iubeant, eumque sub titulo tuende libertatis regno exuant. Qui⟨n⟩ pocius salutaribus illum consiliis formare cure habeant, Romanique imperatoris curie ascribi deforme non ducant. Respondet Absalon, de se dubium non esse, quin utiles, si nosset, monitus Kanuto libenter fuerit porrecturus, a quo ita Cesaris amiciciam expeti uelit, ut proprie eius maiestatis decus incolume seruaretur. Nam et Waldemarum, Frederici partes amiciciamque secutum, nihil fide eius aut promissione fallacius repperisse. Proinde Syfridum nosse debere, Kanuto Cesarique equum regnandi ius esse, neque minore cum libertate hunc Danici regni, quam illum Romani imperii gubernacula continere. Igitur indignante Syfrido, plenaque minarum ac fastus responsa fundente, An tu, inquit, ex temet ipso Daniam pensas, eamque ut Thyring⟨i⟩am a Cesare, cum uolet, quam facilime capi posse existimas? Proinde abi, imperatorique tuo perfer, Danorum regem ne minimam quidem obsequii partem dignitati eius ac nomini delaturum. Dignum hoc contemptu dixerim, qui propior alieno imperio quam pro prie affinitati, tam inuisam Danice libertati legacionem suo monitu administrare sustinuit. His auditis, Cesar spernenti se regi, quia bellum nequiuuit, odium infixit, animo, non ferro contemptum ulturus. Spe tamen pociente Danie non omissa, ciuilium in ea malorum motum expectandum putabat, seditione diuiduam gentem, | minore cum uirium suarum periculo oppugnandam sperando. Quam opportunitatem aliquandiu quesitam a fortuna sibi negari conspiciens, Sclauie sa*trapam Bogiszlauum, quem nuper Kazimiri fratri deceidentis orbitas heredem effecerat, crebris muneribus amplissimisque promissionibus in Danica bella

p. 966

p. 967

cxcv

sollicitat. Cuius hortatui Bogyszlauus pronius quam prudencius obsecutus, sed bellum aduersum Daniam palam atque aperte profiteri non ausus, primum auunculi sui Iarimari, Rugie prefecti, | quiescens simultatum causis, p. 968
 5 hostem agere cepit, Cesariane milicie respectum arctissimis affinitatis uinculis preferendo. Qua de re Kanutus per Iarimaram cercior factus, mitti curauit, qui causam a Bogiszlauo tam subite lesionis inquirent. Ille non regem, non Daniam a sel edi, sed iniu[iu]riam a Iarimaro illatam repelli testatus,
 10 communem controversonem per utriusque legatos, armis interim depositis, ad regis cognitionem referri depositit, eundemque pacis inter se faciende auctorem flagitat, uerbis beniuolenciam simulantibus simplicitatis fidem pretendere cupiens. Igitur rege nihil insidiarum aut perfidie metuente,
 15 cause diccionis dies locusque decernitur. Apud insulam deinde Samsam, non solum huius negotii explicandi, sed eciam iuris ciuilis emendandi gracia ingenti nobilitate contracta, amborum legatos exceptit. Quorum altercacione solenniter audita, cum in Iarimaram complura loquacius
 20 quam uerius obiectarentur, ac propter principalium personarum absenciam sentencia impediretur, a Bogiszlaui legatis ultro iureiurando promissum est, eum, cum primum regi placitum foret, in rem presentem uenturum. Ita in eludendo rege non minor[e] legatorum quam eius, a quo
 25 missi erant, calliditas uersabatur. | Quorum promissis Kanutus securius quam caucius estimatis, concilio ociosus dimisso, in Iutiam secessit, fortissimis quibusque Scanorum ac Sialandensium tantam ocii tranquillitatem causantibus, seque nimia iam quiete in desidiam prouolui querentibus,
 30 longo deliciarum usu enerues animos gerere, qui sub rege Waldemaro tocius ferme anni tempus multiplici rerum agitacione uarioque milicie genere deducere consueuerint. Nam militaris roboris neruos sicut ocio hebetari ac remitti, ita negocio intendi excitarique. Igitur acuende uirtutis (37[6])
 35 gracia piraticam aduersum Estones in commune decerni placuit. Inter hec Bogiszlaus, hortante Cesare, non solum patriis ac domesticis uiribus instructus, sed eciam a finitimis late presidia mutuatus, aduersum Rugiam quingentorum nauium classem ingenti belli apparatu refertam con-
 40 traxerat. Quibus copiis nihil hostilium uirium obstatetur

ratus, Bugiszlauum quandam legati nomine Cesarem petere iubet, qui tantum a se exercitum aduersum Daniam contractum nunciaret, ut dubitare non possit, quin Kanutus, resistendi fiducia defectus, quam citissime Romano se foret
 5 imperio traditurus. Delectatus promisso Cesar, laudato Bogiszlao, legatum imperatoriis donis prosequitur. Iarimarus tam subiti inopinatique belli fama perculsus, Absaloni in Sialandia se continentis magnitudinem periculi Rugiane genti imminentis propinquitatemque denunciat.
 10 Qui protinus festinacione, quanta sociorum expugnacionem precurri oportebat, accinetus, missis per Sialandiam epistolis, omnem etatem armis habilem in classem confluere iussit. Minores rates maioribus, onerarias | piraticis sociauit,
 plebique demum ac nobilitati promiscuum corripiendarum
 15 nauium usum concessit. Eodem edicti genere coniunctis Sialandie insulis imperatum. At Fioniensibus Scanisque sextum intra diem prefixum portum petere, alioqui supersedere iussum; neque enim ulteriores apparatu inducias conuenire. Adeo autem in his, quibus expedicionis societas
 20 mandata fuerat, obsequendi sollicitudo flagrabat, ut egregio alacritatis certamine constitutum sibi tempus aut implerent aut precurrerent. Kanutum uero, tametsi nuncium in Iutia recepisset, ingens locorum distanca denunciati temporis angustiis permixta Absalonici operis consortem exi-
 25 stere non paciebatur. Sex solas naues Fonia,* quatuordecim Scania, ceteris tarditate impeditis, transmisit. Quarum insignis paucitas culpe obnoxia uideri potuisset, si non longinquitatis patrocinio defenderetur. Penthecostalis festi peruigilium erat, quando prenominatum sinum Absalonica
 30 classis inierat. Eadem die, nequid segnius aut cunctancius gereretur, Hythini insulam ad nauigari curatur. Illic obuii Rugianorum nuncii prestolandum docent, quoad sciri possit, in quam Rugiani soli partem | hostilis irrupcio tenderet. Iam enim Bogiszlao ad insulam Coztam Rugie pretendam
 35 esse peruentum. Qui, quanquam hostilia iam pene rura pulsaret, non temperauit sibi, quo minus sobrietatem effusa crapule licencia uiolaret. Tanta siquidem epularum indulgencia exercitum aluit ac corrupit, ut conuiuim magis quam bellum amplexus uideretur. Verum Absalon nun-
 40 ciorum monitis obsecutus, hisdem postera luce regressis,

p. 970

cxcvi-

p. 971

Bogiszlaumque ex aduerso Strele insule copias expositum docentibus, quanquam crepusculum appetebat, correpto signo, ocissime littus scapha petiuit. Gubernatorum deinde collegio per preconem uocato, nuncioque quam
 5 breuissimo militibus edito, ingenti cohortacionis cura alacritate exercitum repleuit, quietem suam certis uictorie imaginibus adumbratam prefatus. Nec alia militum responsio fuit, quam pugnam se optare; quam si accipient, non dubitare, quin uincant. Quem animorum calorem tum
 10 a longa uincendi consuetudine, tum eciam ab ingenita Danico sanguini uirtute traxerunt, digni, qui uocis sue augurio non fallerentur. Igitur Absalon incerte nauigacionis metu, quod fretum dubie profunditatis esset, diluculum prestolatus, cum inde soluturus esset, aliquandiu
 15 retentus est, harenis anchora aleius insidente. Quo euenit, ut ab uniuersis, infinitum procedendi ardorem gerentibus, relinquetur. Sed neque se ab exercitu precedi indecens existimabat, a quo plus hortacioni sue quam cunctacioni tributum cernebat. Quem merito his gratulatum credi.
 20 derim, qui iuste celeritatis compotes || quam uiolente more (377) consortes existere maluerunt. Quam tarditatis iacturam impedimento solitus tanta remigii uelocitate pensauit, ut pene prima nauigia occupauerit, dispendium casu inuectum preliandi cupidine redimendo. Hunc publice festinacionis
 25 procursum missa a Rugianis ratis excepit, que aliquanto remissiore nauigacione utendum doceret, quod, Bogiszlauo adhuc insulam Coztam tenente[m], incertus irruptionis locus existeret. Sed et Iarimarus secessum hostium domestico milite succinctus opperiebatur. Igitur, cessata impetus
 30 cura, ad littus Drecense diuertitur. Illic affertur, hostes domum petisse, nunciis incidentis forte nebule errore deceptis. Idem nostris, portum Darsinum | petere iussis, Iarimari cum eis consiliaturi Rugiano exercitu uallatum pollicentur occursum. Quo loci adnauigato, cum nec Iarimarus nec quisquam ex eius satellitibus repertus fuisset, placuit Nicolaum Falstricum, quod Sclauice gentis linguam
 35 calleret, explorandi hostium secessus gracia ad Iarimarum dimitti.

Quo abeunte, cum Absalon, diuine ueneracioni uacaturus, littus scapha petisset, repentino nuncio per Iarimari

p. 97

p. 97

p. 97

familiarem suscepto, cognoscit Pomeranicam aduentare classem, que, si nebule densitas non obstaret, cerni minus posset. Igitur reuocatis, qui sacra gestabant, cupide concitatam classem obuiam hosti in altum direxit, armis, non 5 precibus deo libamenta daturus. Quod enim sacrificii genus scelestorum nece diuine potencie iocundius existimemus? At Pomeranis non tam hostile solum repente inuadendi, quam Rugianorum equitatum, defendendi littoris studiosum, uariis nauigacionis ambagibus ludificandi propositum erat.

10 Qui Danicam conspicati classem, Borwegium occidentalibus comitatum Sclavis auxilii sibi ferendi gracia aduentare credebant, aeris* nubilo nostrarum nauium numerum habituque dignosci non paciente. Neque enim eorum animos subire poterat, Danos, per tot locorum spacia a Sclavia 15 remotos, intra tanti temporis angustias eo loci fuisse projectos, speculatoribus ob nimiam securitatem excubandi officia parum curiose gerentibus. Igitur Bogiszlaus, Rugianam classem appelli ratus, a centum et quinquaginta myoparonibus circuiri desyderat; reliquam classem ueluti 20 in aciem iactis anchoris componit; naues, quibus alimenta uehebantur, aliquanto pyraticis prestanciores, inter ipsas et continentem admouit, armate multitudinis speciem uacua lignorum effigie adumbraturus. Quo uultu deceptus Suno Bogiszlaum auxilia a Teutonibus mutuatum credebat.

25 Rarescente tandem nebula, Absalon ab exiguis hostium scaphis preteriri se uidens, ne omnes quidem tuto reddituras per iocum aiebat. Igitur sociis ingenti cohortacione firmatis, in hostilem classem ut imperio, ita | ductu et nauigatione primus inuehitur. Monitus a Sunone, ne eam, 30 perinde ac Germanicis roboratam auxiliis, prepropera festinatione incesseret. sed, temperato remigio, militem armari iuberet, minime cunctandum aiebat, prefatus, eo iam loci conclusum hostem, ut nec bellum tuto conserere nec fugam salubriter edere posset. Itaque nihil impedimento fore,

35 quo minus promptissimam sibi uictoram esset cessurus. Eo deinde monitus iterante, milites Absalonis munimenta corporibus aptare ceperunt, parte remigium continuante. Quorum apparatus nimie ac perseverantis nebule beneficio hostem falleggat. At ubi propius uentum, Danorum iu- 40 uentus ut cunctacionis, ita silencii impaciens, sublatis uexillis,

CXCVIB

p. 975

